Periodica de re morali, canonica, liturg

Museum Lessianum

ARTHURUS VERMEERSCH, e Soc. Iesu
DOCTOR IURIS ET IURIS CANONICI, ROMAE, IN PONTIFICIA UNIVERSITATE GREGORIANA S. I. PROFESSOR THEOLOGIAE MORALIS

PERIODICA
DE RE CANONICA ET MORALI

UTILIA PRAESERTIM

RELIGIOSIS ET MISSIONARIIS

TOMUS QUATUORDICESIMUS

(continuans ***De Religiosis Institutis****, etc. t. 2)*

ALMA COLLEGE
P
LIBRARY
PDRM
Alma, California

BRUGIS
SUMPTIBUS BEYAERT
Editoris Pontificii

BARCELONAE
EUG. SUBIRANA
Puertaferrisa

ROMAE (19)
DEPOSITI LIBRI, UNIVERSITÀ GREGORIANA
Via del Seminario, 120

10233

1926

V. 14

IMPRIMATUR

Sora, 15 Febbraio 1926

† ANTONIO M. IANNOTTA
Vescovo di Aquino, Sora e Pontecorvo

Società Tipografica A. Macioce & Pisani — Isola del Liri

PARS PRIOR

DISSERTATIONES

ET QUAESITA VARIA

Variae vices voti castitatis quod cum professione religiosa coniunctum est.

I. **Causae peculiaris honoris quo votum castitatis affectum est.** — E tribus consiliis evangelicis nullum est cuius perpetua et absoluta professio tam explicite commendatur sicut consilium perfectae castitatis. Quid enim magis irreparabile quam castratio ? Iam vero Christus Dominus ad laudandos continentes hac castrationis imagine utitur in celebri loco : « Sunt eunuchi qui se ipsos castraverunt propter regnum caelorum. Qui potest capere capiat ». (S. Matth. 19, 12). Nulla condicio sicut condicio virginis tam formalem a S. Paulo commendationem recepit (1. Cor. 6, 7). Nulla est professio perpetua quae magis, a primis saeculis, decorabat Ecclesiam, quam professio ista virginum quas SS. Patres et Scriptores ecclesiastici tantis laudibus celebrarunt, tanta fiducia Vestalibus et ethnicorum virginibus opposuerunt.

Nullum videtur formale votum, votum virginitatis antiquitate superare vel adaequare. - Nullum aliud votum assumptum est ut sigillum sanctitatis et dignitatis sacerdotalis. - Nulla demum professio est quae in

libris Pontificalibus suam separatam a vita religiosa habeat consecrationem sicut in consecratione virginum reperitur.

Professionem et votum tanti pretii in Ecclesia, ab hac fuisse speciali protectione munitum quis mirari potest ?

II. **Documenta specialis honoris seu tutelae.** — Inviolata virginitatis sanctitas firmata primo est exemplo virginum quae martyres obiere ut fideles Christi sponsae manerent; dein tutela episcoporum quam S. Cyprianus nobis testatur (1); tum nota qua incostans virgo notabatur: a S. Cypriano reprehensa est ut adultera Christi (Ep. 62. P. L. 4, 470).

Praeterea dubitatum est de ipsa Ecclesiae potestate auferendi vinculum sollemnis consecrationis. (Cf. S. Thomae 2, 2, q. 88 art. XI.)

Verum etiam postquam Ecclesiae potestas inter res exploratas fuit, diu tamen Ecclesia in *sollemni castitatis* voto dispensare nolebat. Atque etiam 19 febr. 1858, S. C. Episcoporum et Regularium huiusmodi dispensationem inter res insolitas reponebat (Cf. *Analecta Iuris Pontificii*, XVII, 1004, n. 1902).

Simplex autem votum castitatis propter iustam causam dispensabatur ad permittendum matrimonium ; sed clausula haec addebatur: « ad effectum duntaxat unius matrimonii contrahendi, ita tamen ut si comparti cui nupserit, supervixerit, eodem castitatis voto, ut prius obligatus maneret ». Sic concessa dispensatio, mortuo coniuge, omni effectu privabatur, ita ut altera dispensatio pro altero matrimonio peti deberet. Immo, consistente priore matrimonio, ad solum licitum coniugii usum, votum relaxabatur, ita ut alii actus contra sextum praeceptum, non soli castitati sed etiam religioni adversarentur.

(1) *De habitu virginum*, (c. 24. P. L. 4, 464).

Etiamnum privatum votum castitatis, si fuerit absolute et in perpetuum emissum a maiore 18 annis, est S. Sedi reservatum (c. 1309).

Quod ad votum castitatis in religione emissum, quamvis C. *Conditae* (1) 8 dec. 1900 (Leonis XIII, n. VIII primi capitis) Episcopis permiserit ut vota sive temporaria sive perpetua Instituti dioecesani dimissione remitterent, iisdem tamen facultatem propriam negavit auferendi perpetuum castitatis votum.

Atque ipsa S. Congregatio, quando professionem religiosam solvebat, votum castitatis, etiam si temporaria tantum fuisset professio, excipere solita erat. Ista agendi ratio praesumptione nitebatur: vovens existimabatur habuisse voluntatem vovendi castitatem independenter a religiosa professione.

III. **Coniunctae quaestiones cum ista disciplina.** — Dum haec disciplina vigebat, quaestio oriebatur, quid iuris, si religiosus huiusmodi voluntatem praesumptam nullatenus habuisset; i. e. si castitatis votum non fecisset nisi ut aliis votis coniunctum, vel ut pars vitae istius religiosae quam solam prae oculis habuisset. ?

Similem anterioris iuris casum ipse SUAREZ (2) sic solvebat. Legalis ista voluntatis interpretatio « est ex sola praesumptione, cui standum est quotiens profitens non fuerit certus habuisse se contrariam intentionem. Si autem constiterit se non voluisse vovere castitatem nisi ut annexam religioni... tunc, re vera non erit obligatus ad servandam castitatem ». In foro tamen externo probabiliter manebit impedimentum prohibens matrimonium « etiamsi in re ipsa et in conscientia ibi non intervenerit simplex votum castitatis, quia satis est quod in foro Ecclesiae et iuris in-

(1) Cf. *De religiosis* II, p. 17.
(2) *De religione*, Tr. 7, L. 7, c. 2, n. 14.

terpretatione tale iudicetur ut illud praeceptum obliget ». Dictum tamen suum Eximius Doctor statim hac ratione temperat: « Verum hoc etiam cum debita moderatione accipiendum censeo, videlicet... quando... re vera in conscientia factum non fuit votum, quia de hoc Ecclesiae constare non potest, obligare in conscientia ab abstinendo (sic) a matrimonio, ubicumque sine scandalo et offensione Ecclesiae contrahi possit; non obligare autem ubi res fuerit adeo occulta ut sine periculo talis offensionis, matrimonium contrahi possit... quia nulla sententia vel censura iusta ex sola praesumptione seu exteriori probatione amplius obligat ».

Huiusmodi solutio nobis probanda videbatur. Quare, in vol. I *De Religiosis* n. 221, id addebamus: Si *constaret* castitatem a religioso dimisso vel ceteris votis dispensato, non esse promissam nisi ut cum vita religiosa coniunctam, onus, si quod remaneret, dispensatione cuiuslibet confessarii auferri posse, supponendo confessarium qui saltem in vota non reservata potestatem habeat. Si vero istud *non constaret*, observandam pronuntiabamus iuris praesumptionem qua votum subsistere censebatur. Votum quidem istud si esset perpetuum, reservatum esse S. Sedi, « communi tamen illa reservatione quam plura indulta, v. g. episcopis concessa, auferre consueverunt ». Cui nostrae solutioni plures auctores calculum adiecerunt. Cf. Nostrum *De religiosis* II (151) n. 67; Piat, *Praelectiones iuris regularis*, I, 187; Bastien, *Directoire canonique*, 2. éd. n. 193.

IV. **Disciplinae variatio.** — 1. In moribus hodiernis, praesumptio voti castitatis magis absolute emissi tam saepe a veritate aberrabat, ut novi styli necessitas in dies magis manifesta fieret. Quocirca iam anno 1907, in altera editione operis *De religiosis,*

scribere potuimus (n. 221, nota) « Nuperrime... alia inducta est disciplina, qua tria auferuntur vota, et votum castitatis a dispensatione non excipitur nisi iis qui intentionem istud servandi positive declarent ».

2. Quam variationem Codex iam perfecit. Indulto enim saecularizationis tria vota, etiam sollemnia, tolluntur.

V. **Coniunctae cum praesenti disciplina quaestiones.**

1. **Quaeritur.** Utrum votum castitatis quod quis ante ingressum in religionem fecisset, ipsa saeculariziatione tollatur necne.

Resp. De votis ante religiosam vitam, immo ante professionem emissis, Codex haec habet: « Vota ante professionem religiosam emissa suspenduntur donec vovens in religione permanserit ». Quare, nisi ipse religiosus voluerit suum praecedens votum in suam religiosam professionem commutare, votum istud, post dimissionem vel saecularizationem, ipsum iterum ligare incipiet, donec distincta dispensatione non tollatur. Quod aeque valet, sive ante noviciatum, sive in ipso noviciatu votum absolute emissum fuerit. Directam enim facultatem irritandi vota noviciorum a Superiore religioso vel a magistro noviciorum abiudivavimus. (Cf. *Epitome*, altera edit. n. 666, 2).

2. **Quaeritur.** Utrum necne possit quis religiosus efficaciter velle ut votum suum castitatis póst quamlibet dimissionem intactum maneat.

Resp. Nihil prohibere videtur quin religiosus in ipsam suam professionem publicam privatum sed magis absolutum votum castitatis includere voluerit, ac nihil in iure efficacitati istius intentionis refragatur. Casum haud absimilem cuiuspiam qui religiosam professionem ficte quidem, simul autem votum castitatis

vere facere voluerit, Suarez examinat, l. c. n. 15-17, atque intentionem istam esse efficacem contendit.

3. **Quaesitum**. Constitutiones cuiuspiam religionis Sororum expresse statuunt, professionem religiosam ita emitti, ut votum castitatis censeatur absolute factum, ita ut post quamlibet dimissionem vel votorum relaxationem firmiter superstes esse debeat. Huiusmodi dispositio Constitutionum potestne hodierno iure servari?

Resp. Constitutio ista Sororum nunc praescribit quod ante ipso iure communi factum praesumebatur. Quod nec absonum nec illicitum esse videtur. Quare nihil est quod efficaciam dispositionis istius impedire posse videatur. Nec ullus canon explicite rem attingit.

Itaque Sorores istae, etiam saecularizatae, voto castitatis astrictae manebunt. Votum tamen istud, sublata vita religiosa, non iam publicum erit, neque aliter ac privatum perpetuae castitatis absolute promissae votum S. Sedi reservatur.

4. Qui hodie, in religione dioecesana, ab episcopo obtinuerit indultum saecularizationis, quod, vi c. 638, episcopus concedere potest, is, vi c. 640 § 2, a votis ac proin etiam a castitatis voto liberatus per se manet. Si tamen ipse privatim magis absolute castitatem in perpetuum vovere intenderit, voto privato astrictus manebit. Quod votum communi potestate in vota S. Sedi reservata, propter iustas causas dispensari vel commutari poterit.

Hactenus quae de argumento isto scribenda videbantur.

De condicionata Extremae Unctionis administratione

I. **Status Quaestionis.** — 1. Si seponimus sacramentum Matrimonii, quod simul contractus rationem habet, ac propterea etiam sub condicione suspensiva de futuro celebrari potest, plane constat hodie, intentionem ministri conferentis sacramentum condicioni vel omnino occultae et soli Deo notae vel de futuro numquam alligari posse. Condicio prorsus occulta excluditur, quia talis administratio hominibus necessario incerta maneret; excluditur condicio de futuro, quia signum sacramentale, neque *ex nunc*, propter deficientem intentionem, neque *ex tunc* (quando condicio impleretur) quia signum iam non adesset, operari posset. Administratio igitur necessario invalida foret; reverentia autem sacramentis debita nos obligat ut invalidas sacramentorum confectiones vitemus.

2. Quando casus occurrit in quo utilitas subiecti administrationem sacramenti postulat, et simul reverentia sacro ritui debita prohibet ne absolute ponatur, tunc, ex recepta hodie sententia, minister potest vel adeo debet intentionem suam condicioni de praeterito vel de praesenti subicere.

3. Theologi morales, ubi de condicionata sacramentorum administratione agunt, nisi hoc explicite exigunt, saltem supponunt condicionem apponi quae elementum iam aliunde ad essentiam sacramenti requisitum respiciat. Ita S. ALPHONSUS, L. VI, n. 26-28, sive ubi textum Busembaum refert, sive ubi eum annotationibus ditat. Sic v. g. LEHMKUHL, II, n. 38: « Regula 1. *Condicionate* non absolute conferri debet sacramentum, si confertur, quotiens rationabile dubium

adest, an aliquid desit quod ad sacramenti valorem necessario requiritur aut praerequiritur ».

NOLDIN, *De sacramentis*, n. 25, 3: « *Iusta causa* conferendi sacramentum sub condicione adest, quotiens sacramentum absolute collatum exponeretur periculo nullitatis », etc.

FERRERES, *Compendium Theol. mor.* II, 273: « Condicionata collatione sacramenti consulitur, in quantum fieri potest, tum bono eorum qui sacramentum accipiunt, *si forte illius sint capaces*, tum etiam reverentiae sacramenti. Apposita enim huiusmodi condicione, sacramentum non fit magis incertum, ita ut obligationi valide conferendi sacramenta prorsus sit satisfactum ».

IV. Inde sequitur, ut ait D' ANNIBALE (*Summula*, III, 251) condiciones quae pertinent ad dispositiones suscipientis, in sacramento quidem paenitentiae licite apponi posse quia dispositiones, secundum probabiliorem sententiam, ipsam sacramenti essentiam ut « quasi materiam » ingrediuntur; « in ceteris vix aut forte ne vix quidem, quia sacramentum sine scandalo iterari nequiret ». -

Potior ratio tamen e natura vel effectibus singulorum sacramentorum repetenda videtur. *Baptismus* enim, cum statum det in Ecclesia, et condicio sit sine qua nullum aliud sacramentum valide suscipi posset, non potest ab interna dispositione quod ad valorem pendere. Nulla quoque ratio est *confirmandi* adultum qui non sit sensibus praesens. Is igitur vel explicite vel tacite dispositiones suas affirmabit, eique regulariter credetur atque absolute sacramentum conferetur; vel easdem non affirmabit: ei tunc sacramentum negabitur. Quantum bonum Ecclesiae postulet ut propter defectum internae dispositionis neque *Ordo* neque *matrimonium* dubia reddantur, per se est manifestum. Restat sola *Extrema Unctio*, de qua, ante Codicem, quod noverimus, nihil peculiare proferebatur.

II. **Solutio de Extrema-Unctione** — Nunc autem Codex, antequam canone 943 regulam generalem confirmet, c. 942 eam exceptione circumscribit, cum de iis agitur de quibus ambigi potest utrum necne in manifesto peccato mortali contumaciter perseverent. Ii igitur sunt qui, rei manifesti peccati mortalis, utputa duelli, et nullo signo paenitentiae dato, sensibus destituti reperiuntur. Ut regulam de negando sacramento indignis cum spirituali aegroti utilitate componatur, Codex iubet ut tunc condicionate conferatur. Quia autem sola dispositio dubia est, condicio hic erit : *si es dispositus*. Ceterum condicio ista insinuatur per verba c. 942 : Quod si hoc (ipsum in peccato mortali contumaciter perseverare) dubium fuerit hoc sacramentum ministretur sub condicione.

Solutio ista nullam difficultatem habet si infirmus iste usum sensuum recuperet et tunc a ministro interrogari possit. Interrogatus enim, vel constabit dispositiones bonas fuisse, et sacramentum valide et fructuose receptum dicetur; vel id non constabit : tunc, si modo convertatur, sacramentum iterum condicionate (si nondum unctus sis) conferetur. Si contrarium fuerit certum, dummodo nunc dispositus sit, sacramentum absolute iterabitur.

Verum si infirmus non iam animo praesens fiat vel interrogari non possit a ministro (qui, v. g. novo aditu prohibeatur) gravis haec exoritur difficultas. Deficiente condicione momento quo sub condicione « si es dispositus » infirmus unctus fuit, sacramentum omni valore necessarie privatur. Ac proin, etiam si subinde melius se disponat, meliore ista dispositione nullatenus iuvari poterit ad fructum sacramenti percipiendum, quippe quod invalidum fuerit. Gratia tamen istius sacramenti potest ipsi esse ad salutem necessaria. Contra vero, si mere condicio *si capax es*, apposita esset, sacramentum valide receptum esset et

quidem sine formali sacrilegio, cum petitio defuisset. Et tunc, ob probabilem sententiam reviviscentiae Extremae Unctionis, moribundus iste cum subsequente attritione et existimata contritione vi sacramenti salvaretur. (De dispositione animi requisita, cf. *Theol. mor. principia, responsa, consilia, III, 665.*)

Haec cum ita se habeant, iam notabile istud dubium suboritur. Si minister praevidet futurum esse ut postea nulla copia futura sit novae collationis, debetne, litterae Codicis inhaerendo, condicionem apponere : *si es dispositus*, an existimare possit se menti Codicis obsequi, si in his extremis rebus sacramentum absolute conferat ei qui non sit certo impaenitens, vel mere consuetam condicionem « si capax es » apponat? Severa solutio explicari tamen potest poenali Ecclesiae sanctione, quae non vult ut Extrema Unctio ei detur qui ita probabiliter se indignum demonstraverit ut nulla signa paenitentiae dederit.

Benignior vero sententia appellat clementiam Ecclesiae, quae hodie tantopere in indulgentiam propendet. In hanc benignitatem ipsi nos inclinamus donec S. Sedes, si id opportunum iudicaverit, sua declaratione dubium istud evacuaverit.

Atque haec quidem minus certa sunt. Certior autem disquisitionis fructus is erit, ut canonis 949 non fiat nisi stricta applicatio, i. e. quando re vera manifestum peccatum mortale, positiva impaenitentia et contumax perseverantia adfuerint, ut tunc solum haec condicio de dispositione apponatur. *Contumax* autem perseverantia dicit obstinationem post monitionem vel invitationem ad paenitentiam. Casus is fere erit, si deprehensus in peccato mortali conversionem negaverit et dein sensibus fuerit destitutus. Aliis sacerdos vel absolute, vel (si hoc dubium fuerit), sub condicione « si capax es » saluti moribundi extrema unctione consulere seu providere conabitur.

Notandum de materia remota Extremae Unctionis

Materia remota, ad valorem requisita, est Oleum olivarum benedictum ab Episcopo vel a sacerdote, e facultate S. Sedis (In Ecclesia latina facultas sacerdoti non conceditur). Itaque, si oleum dissolvatur seu corrumpatur, validae sacramenti administrationi inservire minime poterit. Iam vero specialis iste foetor qui rancor vocatur indicium est saltem incipientis chemicae adulterationis.

Ne tamen statim inde colligas materiam iam factam esse ineptam. Etenim, ut foetorem raucidum redoleat, satis ut minima olei quantitas corruptione affecta sit. Est etiam qui dicat conversionem in oxydum cui (simul ac saponificationi glyceridarum) rancor ascribendus est numquam 15/100 partes olei attingere. (Si tamen microbica invasio fuerit, tunc omnis materia pervadi facile possit.)

Quaestio huiusmodi, quae in libris theologiae moralis non attingitur, digna fortasse sit quae Supremae S. Officii Congregationi subiciatur.

Utcumque res se habeat, si liquor aspectum non mutaverit, nec minus fluidus effectus sit, materia pro valida haberi potest. Illicita tamen erit.

Verum, si bene purgentur, etiam adhibita substantia antiseptica, pyxides quibus oleum Infirmorum continentur; si oleum gossypio aseptico imbibatur, valde veri simile est fore ut ipse rancor vitetur.

De canone 1427 et de vicariis perpetuis.

I. **Dissertationis occasio et opportunitas.** — Quaenam ius commune, nunc c. 471 contentum, statuat de vicariis qui actualem curam gerunt paroeciae quae alicui personae morali est pleno iure unita, notissima sunt nec de iis quidquam observandum habemus.

Sed doctus sacerdos Patavinus, G. P. tum privatis litteris tum lucubratione: « *La curazia indipendente e la divisione della Parrocchia* » nos attentos fecit ad aliam speciem vicariorum perpetuorum qui in solo canone 1427 explicite memorantur et a Codicis commentatoribus silentio praeteriri consueverunt. Digna tamen est eorum causa accuratiore examine.

C. 1427, § 1, haec habet: « Possunt etiam Ordinarii ex iusta et canonica causa paroecias quaslibet, invitis quoque earum rectoribus et sine populi consensu, dividere, *vicariam perpetuam*, vel novam paroeciam erigentes, aut earum territorium dismembrare ».

Duplex igitur optio Ordinariis offertur, quando spirituali fidelium bono per vicarios cooperatores satis provideri nequit (c. 476, § 8): vel dividendi paroeciam vel eam dismembrandi. Quae divisio rursus sive erigendo paroeciam sive erigendo vicariam perpetuam fieri potest.

De dismembratione, de erectione novae paroeciae, utiles explicationes apud commentatores reperiuntur. Contra autem valde ieiuni sunt cum vicarias perpetuas c. 1427 commemorant. Ita R. P. BLAT, *De Rebus*, Pars. v. p. 405, « *vicariam perpetuam* propter dependentiam a parochia » appellatam dicit, ita ut vicarios istos nulla positiva nota a vicariis cooperatoribus

explicite saltem destinguat. Alii nihil observant de iis. Itaque iuvabit paucis enucleare quo loco sint huiusmodi Vicarii perpetui in hierarchia catholica.

II. **De vicariis in Codicis L. II, Part. I, Tit. VIII, C. 10** (c. 471-478). — In capite X istius tituli legenti occurrit vicarius *capituli* seu *monasterii*, qui actualem curam gerat pro persona morali ad quam cura habitualis spectat, v. g. pro capitulo vel monasterio (is, pro vario casu et qualitate, potest perpetuus vel temporarius esse); dein vicarius *oeconomus*, qui vacantis paroeciae regimen assumat; tum vicarius *substitutus*, qui absentis parochi vicem suppleat; tum vicarius *adiutor* parochi infirmi; demum vicarius *cooperator*, qui parocho in administranda paroecia nimis extensa sit auxilio. Qui vicarii omnes dicuntur quoque vicarii *in divinis*, seu ad sacra administranda, ut distinguantur a Vicariis *in iurisdictione*, quales sunt Vicarii Apostolici et Vicarii generales Episcoporum.

Vicarius autem *perpetuus* qui post divisam paroeciam instituitur, in isto Codicis capite nullam mentionem obtinet.

Sane, c. 476, § 8, dum providendum dicit ad normam c. 1427, si vicarii cooperatores sufficere nequeant bono spirituali fidelium procurando, praescribit paroeciae divisionem quae vel novae paroeciae vel vicariae perpetuae originem dabit; perpetuum tamen vicarium specialiter non nominat.

Vicarius perpetuus etiam indirecte appellatur in c. 1416, 1° , quatenus qualitas beneficii a vicaria quae non sit in perpetuum erecta abiudicatur. Inde colligi facile potest esse etiam vicarias quae in perpetuum sint erectae. Verum, ut novimus e c. 477, § 2, etiam vicaria cooperatoris beneficialis esse potest, ita ut c. 1412 genus quidem insinuet, non autem omnem speciem quae c. 1427 includitur, particulariter designet.

III. **De Vicaria perpetua ante Codicem apud auctores.** Neque in iure superiore, neque apud auctores ignorabatur vicaria perpetua quae post parochiae divisionem exsurgere potest. Cf. PIRHING, in L. I, t. 28, III - XIX; REIFFENSTUEL, eodem titulo n. 29 ss.; SCHMALZGRUEBER, eodem titulo, n. 2-6.

« Etiam interdum, ait PIRHING, l. c. n. V, ob populi multitudinem seu parochiae amplitudinem, praeter ecclesiam parochialem, capella seu filialis erigitur et aedificatur, quae accessorie et in perpetuum unita ac subiecta est ecclesiae principali seu matrici, in eaque etiam Vicarius perpetuus, cum consensu et approbatione Episcopi, a principali Rectore constituitur, iuxta c. *ad audientiam*, 3. De ecclesiis aedificandis. »

Observat autem REIFFENSTUEL, l. c. n. 44 « Interdum in Vicarium, praesertim perpetuum, non solum actualis cura, seu exercitium eius, sed etiam habitualis et sic tota » transfertur.

Duplex igitur species distinguitur. 1. Vel *parochus seu Rector ecclesiae principalis curam habitualem servat.* Tunc iuridica talis Vicarii condicio sic a tribus laudatis doctoribus, e iuris fontibus, eruitur:

a) Vicarius praesentatur a parocho seu rectore ecclesiae principalis; ab Ordinario instituitur;

b) Omnis cura actualis est penes vicarium; parochus solam habitualem retinet, ita ut ne iurisdictionem quidem fori sacramentalis ipsi in ecclesia filiali competat;

c) Nec mortuo nec suspenso vel deposito Rectore principali, quidpiam a iure vicarii detrahitur;

d) Vicarius ius habet congruae portionis e reditibus ecclesiae principalis, nisi aliunde ei provideatur. Ad Ordinarium spectat congruam portionem ei assignare (c. 1427, § 3. 4).

Quatenus e reditibus ecclesiae principalis dotetur,

debet huic honorem deferre modo quem Ordinarius definierit (c. 1427, § 3. 4).

e) Vicaria perpetua beneficio curato aequiperatur. Quare quae de his beneficiis in iure statuuntur in eam cadunt. Itaque fontem baptismalem habere debebit (Cf. c. 774, § 1, et 1427, § 4).

2. *Si vero etiam cura habitualis ad Vicarium translata sit*, tunc ne ius quidem praesentationis parocho principali manebit. Excepto nomine *Rectoris ecclesiae*, quod Vicario non tribuitur, vicarius iste in omnibus est verus parochus dicendus.

IV. **Corollaria et Scholia.** 1. Debetne vicarius iste *missam* dicere *pro populo?*

Quando Vicarius est capituli seu personae moralis, res dubitari nequit.

Non solum enim habetur regula generalis c. 471, § 4: « Ad vicarium exclusive pertinet tota animarum cura cum omnibus parochorum iuribus et obligationibus ad normam iuris communis et secundum probata statuta dioecesana vel laudabiles consuetudines », sed etiam haec ratio addi potest, missam pro populo a persona morali non celebrari, nisi per personam physicam deputatam, quae hic conaturaliter erit iam designatus moralis personae vicarius.

Constat etiam missam pro populo celebrandam esse a Vicario qui habitualem curam actuali coniunxerit.

Si autem cura habitualis manserit penes parochum ecclesiae principalis, is certe, ante erectionem vicariae, missam pro populo suo universo celebrabat. Quaerendum igitur est utrum, facta vicariatus erectione, plebs vicariatus in missis parochialibus parochi principalis nullam iam partem habeat, an contra missas istas participare pergat.

Quia tamen auctores regulam generalem ponunt, Vicario perpetuo onera parochorum ferenda esse;

quia, e c. 1427, erectione vicariatus perpetui parochia vere dividitur, vicarium onere missam pro populo dicendi teneri arbitramur.

2. Teste PIRHING, l. c. n. V, « plures *alii* sunt *casus* quibus licitum est Vicarium etiam perpetuum constituere, ut si quis ex dispensatione obtineat plures ecclesias, vel beneficia curata, vel personalem residentiam requirentia, et aliis casibus, quos recenset Hostiensis in Summa, n. 5, h. t. ».

In his casibus, onus missae pro populo per se a vero parocho servatur, nisi legitima stipulatio permiserit ut per Vicarium constanter expleatur.

3. Haec occasio est dicendi *de alio genere Vicariorum, per quos administratur parochia quae Episcopo vel Praelato est plene addicta.* In quibusdam regionibus enim, Episcopus est simul verus parochus ecclesiae cathedralis; alibi etiam plus quam una parochia ipsi est tributa. Sic Archiepiscopus Florentinus simul duas paroecias qua parochus regendas habet; sic Cardinalis Archiepiscopus Catanensis parochus est vel erat omnium paroeciarum suae dioecesis. Vicarii tunc non sunt nisi Praesulis cooperatores, delegati ad universitatem causarum. Missae onus Episcpo per se incumbit. Nec potest Episcopus qui simul est parochus unica missa pro populo obligationibus suis satisfacere. Etenim quatenus missam dicit ut Episcopus, eam ad totam dioecesim applicare debet, dum qua parochus missam specialiter pro sua parochia celebrandam habet. Sed per indulta res ista rationabiliter componi consuevit, sive partialem dispensationem concedant, sive permittant habitualem substitutionem Vicarii in locum parochi ad onus istud implendum.

4. Ista vicariorum perpetuorum institutione etiam *similes institutiones particulares* facilius explicari possunt. Ita, in diocesi Patavina, praeter 320 paroecias

sunt circa 40 sic dictae *curatiae*, non omnes eiusdem generis.

Aliae sunt mere vicariae paroeciales, de quibus c. 476, § 2: « Vicarii cooperatores constitui possunt sive pro universa paroecia, *sive pro determinata paroeciae parte.* ». — Aliae, non multae, sunt sui iuris « *curazie indipendenti* »: vicarii instituuntur ab Episcopo, praesentantur a parocho; prout beneficium est erectum, vel non erectum sunt inamovibiles (instar parochorum) vel amovibiles. Missam pro populo celebrare non debent.

Si hoc postremum demas, *curazie* perfectam imaginem referunt vicariarum perpetuarum quas descripsimus. Cf. laudatam lucubrationem *La curazia indipendente e la divisione della Parrocchia.*

Ita etiam in Belgio (et in Gallia) post Concordatum, a parochis proprie dictis distinguuntur sic vocati succursalistae, per se amovibiles, de cetero omnia iura parochorum habentes. Ipsi autem obligatione missae pro populo celebrandae tenentur.

De quorundam verborum significatione.

I. *De voce Curatus.* Vox ista est per se adiectiva, apta ad qualitatem designandam eius cui cura animarum per se commissa est. Quia autem hodie plerumque cura vero parocho committitur, vox, usu substantivo, parochum denominare solet. Cf. Du Cange, verbo *Curatus.* Atque ita in Gallia, Hispania, perpetuus usus habet.

Nihilominus in Anglia, immo in regionibus linguae Anglicae, *curate* is vocatur qui rectori missionis vel parocho tamquam vicarius cooperator adiungitur.

Quidpiam simile observatur in regione Pedemontana Italiae, ubi primus vicarius cooperator nomine *curato* compellatur. In Etruria autem, nomine *curato* plebanus ruralis designari consuevit; i. e. is cui ecclesia secundaria regenda obtingit: hanc saepe vicariam fuisse arbitramur.

Praeterea, quamvis magis diffuso usu, parochus, in Italia, vocem *curato* pro synonima habet, in *Vocabolario Italiano della lingua parlata*, Rigutini e Fanfani *curato* definiunt « Quel sacerdote che a cura d'anime ». Immo, magis recens vocabularium Bellini vocem *curato* a voce parochi, hac ratione distinguit: « Il Curato assiste al Priore o parroco; può una prioria avere più curati e se la parrocchia è grande esserci il vice-curato ».

In historicas vocis vices inquirere nobis non licuit. Veri similis tamen haec coniectura nobis esse videtur, frequentissimos olim casus in quibus parochia (habitualis) capitulo vel episcopo addicebatur, causam fuisse cur in quibusdam regionibus vox *curato* cum voce vicarii coniungi consueverit, ita ut iam sola adhiberetur ad eum designandum qui secundo tantum loco in parochia sacris praeest.

II. *De vocabulo studiosus.* Anno 1679, Innocentius XI sub n. 27 proscribebat, ut minimum tamquam scandalosam et in praxi periculosam, propositionem de amphibologiis mentalibus. « Causa iusta utendi his amphibologiis, est, quoties id necessarium aut utile est.... ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens et *studiosa* ». Usu consueto et vulgari, *studiosus* dicitur homo diligens, sollicitus de re et de mediis; quem usum habet v. g. in celebri definitione simoniae: « Studiosa voluntas emendi et vendendi », etc. Neque in vocabulariis (v. g. Forcellini) diversa significatio traditur. Quo pacto igitur hic ipsa veritatis occultatio studiosa dici potest?

Usu iuridico vox etiam obiective adhibetur ad significandam rem quae studio digna sit, quae sit opportuna. Sic in praefatione Digestorum, I, § 1 legitur: « Nihil tam studiosum in omnibus rebus invenitur quam Legum auctoritas »; quae verba iterum occurrunt in Codice L. I, t. 17, lege I § 1. Dein L. III, t. 33, lege 15: « Non interemtionem ususfructus studiosam esse sed magis retentionem ». Allegemus etiam praefationem Novellae VI « Nihil sic erit studiosum Imperatoribus sicut sacerdotum honestas ». Recte igitur vox adhibita est a Sanchez, Dec. L. 3, n. 19, unde transiit in decretum Innocentii XI.

III. *De vocabulo praedicatio, praedicare.* In officio S. Marcelli Papae (16 ianuarii) quinta Lectio desinit in haec verba: « in qua (ecclesia) et Christiani orabant et ipse beatus Marcellus praedicabat ». Satis mire hic oratio fidelium cum contione Pontificali conectitur. Nonne alio usu vox *Praedicabat* assumpta est?

Resp. Re vera *praedicatio* et *praedicare* etiam Missae oblationem, praecipue recitationem praefationis et canonis olim significabant. DUCHESNE, *In Libro Pontificali*, 2. ed. varios locos affert. De S. Evaristo dicitur: « Septem diaconos ordinavit qui custodirent episcopum *praedicantem* ». — De Alexandro: « Passionem miscuit in praedicatione sacerdotum », i. e. inseruit in liturgicam actionem verba quibus passio Christi commemorabatur (Qui pridie quam pateretur etc.) (1). Duchesne citat etiam completam locutionem: *praedicatio canonis*

Etiam extra Librum Pontificalem, S. Ambrosius L. 2, De excessu fratris sui Satyri, haec habet: « mortem eius offerentes praedicamus » (P. L. 16, 1327.) Et antea, in versione latina epistolae Firmiliani ad S. Cyprianum, c. 10 (P. L. 3, 1165) ubi carpitur

(1) Monemur tamen apud eundem auctorem, commemorationem istam ab initio exstitisse.

audacia mulieris quae missam celebrare fingebat: « Et invocatione non contemptibili sanctificare se panem simularet et sacrificium Domini (non) sine sacramento praedicationis offerret ». Qui loci citantur tum a Duchesne, op. c. tum in opere R. P. de la Taille, *Mysterium fidei*, p. 242 et 402.

Itaque in allegata breviarii lectione, S. Marcellus dicitur praedicasse in aedibus Lucinae seu in ecclesia in eius domo erecta, quatenus ibi sacris operabatur. Quae interpretatio confirmatur etiam hoc loco ex Passione S. Marcelli: « Cum frequenter in eadem domo (Lucinae) missas celebrasset ». Qui textus nostri parallelus est (Cfr. DUCHESNE, op. c. I, 165, nota 8).

De SS. Eucharistia, praesertim in locis missionum

I. De communione paschali.

In regionibus missionum, praeceptum paschalis communionis in praeceptum communionis annuae saepe pluribus convertendum est. Namque fit facile ut per totum tempus paschale nulla copia sacramentorum detur. Cum autem, extra tempus paschale, missionarius missionem visitat, exigere non potest ut christiani tunc ad s. communionem accedant, dummodo officium istud intra annum expleant.

De causis autem excusantibus, ut morale iudicium proferamus, ab hoc initio proficiscendum est: quo rarius recurrat actus lege praeceptus, eo gravior causa excusationis requiritur; longe autem strictius urget divinum quam ecclesiasticum praeceptum. Aestimatio

autem incommodi, ubi consuetudo nihil pressius definierit, relative facienda est.

De incommodo autem quod ab implendo praecepto communionis paschalis, et etiam magis communionis annuae, Suarez, Lugo, Laymann et theologi morales nihil nobis referunt. Eorum igitur prudentia uti non poterimus. Cum difficultas sit relativa, praestare videtur ut, magis auctoritative, res ab Ordimario in synodo vel congressu missionariorum definiatur. Interea quidquam modeste suggeremus.

Itaque, haec nobis videtur esse rationabilis existimatio casus.

1. A praecepto paschali implendo minime eximit distantia propter quam liceret missa dominicali abesse. Sed extraordinarium incommodum saltem dimidii diei postulari videtur. Id est, si per tempus paschale non possis ad s. mensam accedere nisi superando distantiam itineris dimidii diei, dum post tempus paschale commodus tibi erit aditus, hanc occasionem exspectare poteris. Si autem difficultas moraliter eadem mansura sit, istud incommodum non te eximet praecepto quod tunc fere divinum videtur. Praecepto enim divino caro Christi interdum in vita sumi debet, Ecclesia autem suo praecepto aliqua ratione determinat quotiens sacra dape refici debeamus.

Quocirca, ut annuam communionem implere possis, iter duorum vel trium dierum (aliunde non nimis molestum) per se instituendum erit; ac maius etiam incommodum sufferendum erit, ut per duos vel tres annos te cibo isto spirituali munias. Censet enim SUAREZ, *De SS. Eucharistia*, q. 80 art. 11, « obligare hoc praeceptum divinum ad communicandum aliquoties in vita, saltem tertio vel quarto quoque anno, quia maior dilatio valde esset irrationabilis » (1).

(1) De huiusmodi tamen aestimatione doctores non conveniunt.

Praeterea facile ratio cuiuspiam necessitatis medii accedit. Namque omnis vita spiritualis maximo discrimini opponitur si homines, non egregie exculti, sic per plures annos praesidio commercii cum ministro sacro et sacramentorum nutrimento priventur.

Verum missionarius non omittet, iis qui in difficilibus adiunctis versantur apta indicare media precum, lectionum piarum, etc. quibus periculum ne nimis silvescant amoveri queat.

Quaeres utrum necne *poenis* quibusdam fideles isti semi-barbari coerceri possint ut, v. g. bis vel ter in anno, se conferant e magna distantia ad stationem ubi missam audiant et sacra participent.

Resp. Praeceptum novum huiusmodi non posse ipsa Ordinariorum locorum auctoritate imponi, nedum idem liceat missionariis inferioris gradus. Quare suasiva hortatione contenti esse debebunt, nisi malint a S. Sede peculiarem facultatem obtinere ad bonum spirituale fidelium tuendum.

II. **De binatione ad fovendam frequentem communionem.**

In locis missionum et etiam in Europa, evenit ut per facultatem binandi multo plures communiones, etiam virorum, obtineri possint. Si, v. g. in prima Feria VI mensis unica tantum missa celebretur, liquet fere dimidiam populi partem necessitatibus domesticis impediri quominus se conferat in ecclesiam vel sacellum. Etiam die dominica, ubi duo sint sacerdotes, missae ita disponi debent ut altera missa hora nimis tarda pro communione dicatur. Tunc pars tantum populi adesse poterit missae cuius hora commoda sit pro communione. Cum Ecclesia tantopere hodie promoveat frequentem, immo cottidianam communionem, nonne possit pro communi ista utilitate binatio permitti?

Resp. Ex ipso Codice, facultatem binandi « impertiri nequit Ordinarius, nisi, prudenti ipsius iudicio, propter penuriam sacerdotum, die festo de praecepto notabilis pars fidelium Missae adstare non possit » (c. 806, § 2).

Neque facultas ista per facultates quinquennales ampliatur. Sed quod non potest de se, poterit mediante indulto S. Sedis. Iam vero, spes huiusmodi indultum, pro causa vere publica, obtinendi, iam seria haberi videtur. Nuperrime enim III. Episcopo Brugensi, a S. Congregatione de disciplina sacramentorum ad triennium concessum est, ut posset die dominica permittere binationem ubi id videatur necessarium ad frequentes communiones celebrandas.

III. Delatio SS. Communionis ad carcere detentos.

Cum adiuncta non permittunt ut in ipso carcere communio in oratorio distribuatur, **licetne**, sive palam sive secreto, **deferre ss. eucharistiam ad carcere detentos,** etiam qui non sint infirmi?

Resp. Per se quidem locus distribuendi communionem sanis, is est ubi missa celebrari possit. Sed quando, physico vel involuntario impedimento prohibiti sunt fideles accessu ad s. communionem, idque non ad paucos dies sed per tempus notabile, et naturae rerum et hodiernae disciplinae consentaneum est ut praevaleat ius fidelium obtinendi sacram dapem. Quare, fas est ut Ordinarius locorum modum definiat quo ad carcere detentos ss. eucharistia, sive palam sive occulto deferatur; nec dubitamus quin facile assentiatur sacerdoti qui occulta ss. eucharistiae delatione spirituali indigentiae istorum miserorum mederi velit.

Quaestiones de matrimonio

I. De assistentia matrimoniis

Species facti. In dioecesi quadam Galliae, in qua nunc degunt multi Poloni, plura Polonorum matrimonia inita sunt coram Titio, sacerdote regulari, Gallo natione sed linguae polonae perito, cui a Caio quodam dictum fuerat « episcopum considerare ut parochos omnium Polonorum in tota dioecesi omnes sacerdotes qui eorum curam gererent ». An talia matrimonia valida fuerunt ?

Resp. Si episcopus potestates speciales a S.a Sede in favorem Polonorum accepit, iuri communi derogantes, nulla est difficultas.

Secus, haec res omnino singularis videtur. Fuisset oblivio canonum 216, § 4, de non constituendis novis paroeciis pro diversitate sermonis seu nationis, et 460, de unicitate parochi in unaquaque paroecia.

Si quis dixerit modum agendi his canonibus contrarium fuisse de se illicitum, non invalidum tamen, cum invaliditas non asseratur (cf. c. 11 et 15), dicemus: Si vere voluit episcopus omnes presbyteros in sua dioecesi viventes fieri parochos Polonorum, non satis fuit ut eos interne consideraverit ut parochos, sed debuit eos externe et canonice parochos nominare. Hoc resultat ex c. 455, § 1 et ex ipsa natura rerum.

Si dicatur potuisse haberi veram nominationem, et episcopum eam intimasse per Caium sine ullo scripto (et etiam si Titius non nimis credulus fuisset ita fidendo dictis Caii, qui potuerat episcopi verba male intelligere), remanet parochum non assistere valide matrimoniis nisi « a die tantummodo adeptae canoni-

cae possessionis beneficii ad normam can. 334 § 3, 1444 § 1 » (c. 1095, § 1, 1°), i. e. solum post « installationem », nisi Ordinarius ab ea expresse in scriptis dispensaverit (c. 1444, § 1), quod in casu non factum est.

Ergo non apparet quomodo potuisset Titius valide assistere his matrimoniis qua parochus.

Fortasse minus difficile admitteretur episcopum voluisse nominare omnes presbyteros dioecesis suæ vicarios cooperatores suos in cura Polonorum ut fieri potest in vicariatu apostolico in quasi - paroecias nondum diviso (1). Relate ad Polonos consideraretur tota dioecesis quasi ingens paroecia in qua omnes sacerdotes essent vicarii cooperatores quibus episcopus daret ad Polonorum matrimonia delegationem generalem. Utrum talis assimilatio dioecesis perfecte divisae cum vicariatu apostolico non diviso sufficienti probabilitate gaudeat, valde dubium est. Nec apparet ex quaestione hanc fuisse episcopi mentem.

Quid concludamus? Non obstante probabiliore defectu verae delegationis, verosimiliter matrimonia valida fuerunt ob errorem communem, quia multi pro tota hac matrimoniorum serie putaverunt Titium potestate requisita gaudere; hic autem error fundamento sufficienti nitebatur, assertione nempe Caii, episcopum omne id concessisse quod necessarium erat. Sed, cum errore communi uti non liceat nisi ob rationes specialiter graves, in posterum Titius inquirat quid exacte possit; quod si non fiat moraliter certus se posse matrimoniis assistere, remittat nupturientes Polonos ad parochos urbis, aut ad eorum vicarios cooperatores, si sint generaliter delegati, aut ipse pro singulis casibus determinatis specialem delegationem impetret.

E. JOMBART, S. J.

---

(1) Ita respondit S. C. de Prop. Fide, die 25 iul. 1920.

II. De competente ministro dispensationis impedimentorum matrimonii.

Species facti. Episcopus dioecesis subiectae S. C. de Propaganda Fide, laetus ad se venire videt antiquos dioecesanos qui, post plures annos in concubinatu actos, ab ipso petunt ut velit eorum legitimo matrimonio assistere et benedicere. Perspecto casu atque utilitate non neglegendi occasionem, bonus episcopus censuit rationem adesse sufficientem non dimittendi sponsos ad parochum vel Ordinarium proprii domicilii; et statuit eorum votis obsequendum esse. Verum obstabat impedimentum consanguinitatis in secundo gradu. Illa tamen difficultate minime commotus, Antistes, usus facultatibus suis, eos ab impedimento isto dispensavit. Postquam autem discesserunt, coepit anxius esse de valore istius dispensationis.

Resp. Dispensatio ista valide concessa est. Etenim:

1. In Commentariis nostris decreti *Ne temere* (ed. 5, 1912), haec scribebamus: « Quia Ordinarius loci nuptiis semper valide assistit, nubentes videntur, tempore matrimonii, fieri subditi Ordinarii loci ita ut ab eo semper valide dispensari possint, atque etiam licite, si ipsa celebratio matrimonii ibi facta sit honesta ». Dispensatio ista est quasi accessorium actus principalis, pro quo nubentes sunt subditi Episcopi loci celebrationis. Ita etiam CAPPELLO, De *sacramentis*, III, n. 252, nota 15. Contradicit tamen WERNZ-VIDAL, *Ius matrimoniale*, n. 423, note 83.

2. Facultates Propagandae Fidei ipsi permittunt usum facultatum « intra fines suae iurisdictionis ». Iam vero, cum competens sit pro isto matrimonio in loco territorii sui, re vera intra fines suae iurisdictionis sua facultate usus est. Cf. nostrum *De Formulis Facultatum*, n. 44.

De valida susceptione clericatus et ordinis minoris

1. Titius, nesciens formam tonsurae, seu verba quae formae locum tenent, esse ab ipso subiecto pronuntiandam, in suscipiendo clericatu, mere haec verba post Antistitem dixit: « Dominus pars hereditatis meae », ita ut reliqua omiserit « et calicis mei; tu es qui restitues hereditatem meam mihi ».

2. Caius, in ordinatione acolythatus cereum quidem tetigit, non autem ceroferarium cui cerum erat insertum.

Quaeritur de valore tonsurae et acolythatus.

Responsum I. Id praemitti debet, caerimoniam qua quis fit clericus esse totam ecclesiasticae institutionis; ordinem autem acolythatus, etiam si, cum probabili sententia, teneas esse sacramentum, ecclesiastica dispositione esse separatim ex toto potestativo, quod est sacramentum Ordinis, constitutum. Quocirca, omnis potestas est Ecclesiae seu Summi Pontificis determinandi tum essentialia elementa, tum etiam ipsam necessitatem distinctae seu separatae ordinationis, cum in maiore gradu minor certe contineatur.

Inde probatus auctor qualis LEHMKUHL, II, 735, haec scribere non dubitat de ordinibus minoribus: « Valor horum ordinum diiudicandus est secundum regulam consuetam earum rerum quae ab Ecclesiae, potestate pendent, vid. si secundum *probabilem* interpretationem ecclesiastici praescripti omnia essentialia observata sunt, ordinatio non probabiliter tantum sed *certo* valida est », Ecclesia supplente si quid forte defuerit.

II. Inde etiam explicatur quomodo tam paucae

declarationes habeantur circa requisita ad valorem primae tonsurae et ordinum minorum.

III. Nihil de propositis casibus novimus a S. Sede esse declaratum. Sic igitur, proprio ratiocinio, dicendum videtur.

1. Candidatus qui volens clericum fieri verba pronuntiat « Dominus pars hereditatis meae », plene istam suam intentionem expressit; reliqua verba mere maiorem explicationem continent, vel exspectatam mercedem enuntiant. Quare, saltem probabiliter, haec priora verba sola sunt essentialia, nec practice de valore collatae tonsurae est dubitandum.

2. Cum cereum candelabro adhaeserit, tangendo cereum ordinandus mediate accipit ceroferarium. Quare omnino acquiescere seu quietus esse potest, sicut, de ipsa ordinatione sacerdotali S. Officium 17 mart. 1897 acquiescere iussit ordinandum qui patenam et hostiam, non autem calicem tetigerat. (*Analecta ecclesiastica* V. 203.)

De Nova Martyrologii Editione

Nuper evulgata est nova Martyrologii Romani editio, quae quidem prima post typicam inscribitur, etsi ob modificationes in ea admissas, quae tot ac tales sunt ut post principem editionem sub Gregorio XIII factam tales numquam fuerint introductae, recte dici possit editio nova typica. Novam hanc editionem Summus Pontifex in publica et privata divini Officii recitatione adhibendam sancivit hac tamen lege ut antecedentibus tamen editionibus Martyrologii libere uti liceat, dummodo in publica saltem recitatione Officiorum novissime ad Ecclesiam universam exten-

sorum elogia suppleantur. Omissa igitur critica disputatione (1), praecipuas tantum modificationes indicabimus et praecipue muationes in rubricis Martyrologii factas.

1. Conformiter decretis antea iam editis addita sunt elogia recens pro universali Ecclesia approbata: *a*) dominica infra octavam Epiphaniae: « Festum sanctae Familiae Iesu, Mariae et Ioseph; ex qua Christianis familiis sanctissima proponuntur exempla, et opportuna invocantur auxilia » (decr. 26 oct. 1921)

b) die 27 februarii: « Insulae, in Aprutio, sancti Gabrielis a Virgine perdolente, Clerici Congregationis a Cruce et Passione Domini nuncupatae et Confessoris; qui, magnis intra breve vitae spatium meritis et post mortem miraculis clarus, a Benedicto Papa decimo quinto in Sanctorum canonem relatus est ». (decr. 25 iul. 1920).

c) die 24 martii: « Festum sancti Gabrielis Archangeli, qui ad annuntiandum Incarnationis divini Verbi mysterium a Deo missus est. » (Decr. 26 oct. 1921.)

d) die 30 maii: « Rotomagi, sanctae Ioannae Arcensis, Virginis, Puellae Aurelianensis appellatae, quae, cum fortiter pro patria dimicasset, tandem in hostium potestate tradita, iniquo iudicio condemnata est et igne combusta; atque a Benedicto decimo quinto, Pontifice maximo, Sanctorum fastis ascripta » (decr. 25 iul. 1920).

e) die 18 iunii: « Edessae, in Mesopotamia, sancti Ephraem, Diaconi Edesseni et Confessoris; qui, post multos labores pro Christi fide susceptos, doctrina et sanctitate conspicuus, sub Valente Impe-

---

(1) Qui talem habere voluerit, adeat articulum a R. P. D. H. QUENTIN, O. S. B. conscriptum: « *La correction du Martyrologe Romain* » in *Analecta Bollandiana*, T. XLII, fasc. III, et IV, p. 407, vel etiam: « *La nuova Edizione tipica del Martirologio Romano* » in *La Civiltà Cattolica*, 5 Luglio 1924, p. 47; aut *Ephemerides Liturgicae*, XXVIII dec. 1924, p. 355.

ratore quievit in Domino, et a Benedicto Papa decimo quinto Doctor Ecclesiae universalis est declaratus » (decr. 14 oct. 1920) ; et expunctum est eiusdem sancti elogium quod legebatur die 1 februarii.

f) die 3 iulii : « Romae natalis sancti Leonis Secundi, Papae et Confessoris; qui primo sui Pontificatus anno, plenus meritis, migravit in caelum » (decr. 26 oct. 1921); et expunctum est elogium eiusdem sancti die 28 iunii.

g) die 31 iulii, in fine elogii sancti Ignatii addita sunt verba: « quem Pius undecimus, Pontifex maximus, caelestem omnium Exercitiorum spiritualium Patronum constituit » (decr. 13 dec. 1922) (1).

h) die 17 octobris : « Paredii, in dioecesi Augustodunensi, sanctae Margheritae-Mariae Alacoque, quae, Ordinem Visitationis beatae Mariae Virginis professa, eximiis in devotione erga sanctissimum Cor Iesu propaganda et publico eiusdem cultu provehendo meritis excelluit ; atque in sanctarum Virginum album a Benedicto Papa decimo quinto relata fuit » (decr. 25 iul. 1920).

i) die 24 octobris : « Festum sancti Raphaelis Archangeli, cuius dignitas ac beneficia in sacro Tobiae libro celebrantur » (decr. 26 oct. 1921).

Insuper proprio elogio ditati sunt singuli dies litaniarum minorum :

feria II Rogationum : *Romae Litaniae minores ad sanctam Mariam Maiorem ;*

feria III Rogationum : *Romae Litaniae minores ad sanctum Ioannem in Laterano ;*

feria IV Rogationum, post annuntiatam vigiliam

---

(1) Haec additio ostendit hanc editionem Martyrologii, non obstante decreto approbationis dato 11 ianuarii 1922, in lucem non prodiisse sub Benedicto XV, cuius tamen nomen, cum sub hoc Pontifice sit parata, in titulo refert. Confer etiam R. D. P. Quentin, loco citato.

Ascensionis: *Romae Litaniae minores ad sanctum Petrum.*

2. Plura tum Sanctorum tum locorum nomina ad meliorem et accuratiorem formam fuerunt redacta; itemque nonnumquam emendatus est locus martyrii vel obitus aut pressius datus. Sic v. g. S. Patricius (non iam Patritius) dicitur obiisse *apud civitatem Dunum in Hibernia*, et non tantum, uti in praecentibus editionibus *in Hibernia*. Similiter S. Ludovicus, rex Francorum dicitur occubuisse *apud Carthaginem*, non vero *Lutetiae Parisiorum*, quo eius ossa postmodum fuerunt relata. S. Franciscus de Hieronymo perhibetur supremum diem obiisse *Neapoli in Campania*, non vero *in oppido Cryptalearum Tarentinae dioecesis* ub de facto erat ortus.

3. Sed praecipue multi emendati sunt dies natales. Numerus sanctorum quorum obitus alii diei quam in praecedenti editione ascribitur certe centesimum superat, ex quibus multi Romani Pontifices et usque triginta sancti qui in Breviario Romano vel officium integrum vel saltem commemorationem obtinent (1).

---

(1) Propter correctionem dierum natalium quaedam etiam in novissima Breviarii Romani editiones fuerunt emendata:

a) die 11 aprilis, in officio S. Leonis, *cuius dies natalis recolitur quarto idus novembris (10 nov.)* appositum est *m. t. v.* et in fine lectionis sextae, loco *tertio idus aprilis obdormivit in Domino*, legendum *quarto idus novembris.*

b) die 27 maii, in officio S. Bedae, *qui migravit in caelum octavo kalendas iunii (25 maii)* appositum est *m. t. v.*

c) die 10 iun. in officio S. Margaritae, *quae sexto decimo kalendas decembris (16 nov.) obdormivit in Domino,* in lectione sexta pro *animam... auctori suo quarto idus iunii reddidit* habetur *sexto decimo kalendas decembris.*

d) die 12 iunii, in officio S. Ioannis a S. Facundo, *qui migravit in caelum pridie huius diei*, apponitur *m. t. v. nisi tamen alicubi I vesperas habeat.*

e) die 3 iulii, in officio S. Leonis PP. II quod decreto 26 oct. 1921 huic diei affixum est, in lectione sexta, loco *Qui... adhortaretur, mense sui pontificatus decimo et diebus septem, obdormivit in Domino, sepultusque est in basilica sancti Petri, quarto kalendas iulii*, nunc legitur: *Qui... adhortaretur. obdormivit in Domino mense sui pontificatus undecimo, quinto nonas iulii, anno sexcentesimo octogesimo tertio, sepultusque est in basilica sancti Petri.*

f) die 14 iulii, in officio S. Bonaventurae, *qui sequenti die migravit ad Dominum*, additur *m. t. v.*

Sed et Rubricae Martyrologii Romani et Normae observandae in annuntiandis Festis et Officiis ac Sanctis et Beatis fuerunt et ipsae notabiliter mutatae et amplificatae. Quae cum, nisi aliter advertatur, retinendae sint etiam pro Festis sive Officiis ac Sanctis et Beatis Ecclesiarum particularium propriis, quamquam in Martyrologio Romano non insertis, (1) eas compendiose hic referre iuvat.

I. Dicitur semper lectio illa quae memorias Festorum sive Officiorum ac Sanctorum et Beatorum sequentis diei continet, praeponendo kalendas etc, et quantitatem lunae eiusdem sequentis diei. Ab hac regula tamen duo excipiuntur elogia quae in ipsa occurrentiae seu celebrationis die ponuntur et quidem antequam kalendae ac lunae quantitas sequentis diei legantur; scilicet: elogium Resurrectionis Domini nostri Iesu Christi, quod in ipsa Paschatis die legitur, et elogium Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum, quod, salva breviore illius enuntiatione pridie

---

g) die 31 iulii, in officio S. Ignatii, in fine lectionis sextae additur: *et Pius undecimus, sacrorum Antistitum votis obsecundans, omnium Exercitiorum spiritualium Patronum caelestem constituit ac declaravit.* (ex decr. 13 dec. 1922).

h) die 2 augusti, in officio S. Alfonsi de Ligorio, *qui requievit in Domino pridie huius diei*, apponitur *m. t. v. nisi tamen alicubi 1 vesperas habeat.*

i) die 12 augusti, in officio S. Clarae, *quae ad aeternas Agni nuptias evocata est pridie huius diei*, in fine lectionis sextae pro *pridie idus augusti animam Deo reddidit*, legitur *tertio idus augusti.*

k) die 23 augusti, in officio S. Philippi Benitii: *qui pridie huius diei migravit ad Dominum*, apponitur *m. t. v. nisi tamen alicubi 1 vesperas habeat.*

l) die 12 novembris, in officio S. Martini PP. et mart, *cuius natalis dies sextodecimo kalendas octobris (16 sept.) recensetur*, in lectione sexta, loco *ibi ob catholicam fidem aerumnis confectus decimo tertio kalendas cessit e vita*, legendum *sexto decimo kalendas octobris.*

m) die 19 novembris, pro commemoratione S. Pontiani, *cuius dies natalis tertio kalendas novembris (30 oct.) recensetur*, in nona lectione, pro *Ubi... afflictus, decimotertio kalendas decembris e vita migravit*, legitur *tertio kalendas novembris.*

n) Tandem die 22 novembris, in officio S. Caeciliae, *quae ad caelestem Sponsum proprio sanguine purpurata, transivit sextodecimo kalendas octobris (16 sept.)*, loco *illa triduo post, decimo kalendas decembris... evolavit in caelum*, legendum *sextodecimo kalendas octobris.*

(1) Haec elogia in iis tantum Ecclesiis et locis legi possunt, in quibus praecipue memoria eorum celebris habetur.

facienda, in die 2 vel 3 novembris ponitur, in qua nimirum eo anno fiat haec Commemoratio.

II. Ordo in Festis et Officiis ac Sanctis et Beatis annuntiandis servandus est sequens:

A. Primo semper loco ponuntur, etiam si festis occurrentibus integrum aliquando officium quaedam ex iis cedant ac solam aut etiam nullam commemorationem servent, servato ordine infra descripto, quotiens ex eis plures simul occurrerint:

a) Dominicae quae annuntiari debent, scilicet 1 Adventus, Septuagesimae, Passionis, Palmarum, in Albis.

b) Feria IV Cinerum.

c) Vigilia, dummodo non occurrat infra tempus prohibitum.

d) Litaniae sive maiores (1), sive minores.

e) Dies octava cuiuscumque sit ritus, dummodo pariter non occurrat infra tempus vetitum.

Minime vero in lectione Martyrologii annuntiatur officium vel commemoratio vel occurrentia *a*) cuiuslibet Dominicae vel Feriae, exceptis iis de quibus supra; *b*) Vigiliae in sabbato anticipatae, quae proprio suo die annuntianda est, aut, Vigilia Ascensionis excepta, Tempore Paschali occurrentis; *c*) cuiuslibet diei infra octavam sive communem sive privilegiatam; *d*) diei octavae eo tempore occurrentis quo, iuxta Rubricas Breviarii Romani, prohibentur octavae, scilicet a die 17 decembris ad Festum Nativitatis Domini, a Feria IV Cinerum ad Dominicam in Albis et a Vigilia Pentecostes usque ad Festum sanctissimae Trinitatis, semper inclusive; *e*) neque videtur annuntiandum officium beatae Mariae in sabbato, cum nullibi in

(1) Ideoque die 25 aprilis in novo Martyrologio mentio Litaniarum ponitur ante elogium S. Marci Evangelistae; et si Festum Paschatis occurrerit die 25 aprilis, Litaniae maiores annuntiandae sunt initio martyrologii memorias continentis sanctorum et Beatorum feriae III.

Martyrologio indicetur quomodo hoc officium sit annuntiandum.

B. Post officia sub A enuntiata, vel, si talia annuntianda non sint, primo loco, veniunt Festa quae hac ipsa die regulariter officium vel commemorationem habent hoc ordine: 1° festum quod hac ipsa die integrum habet officium; 2° festa quae hac ipsa die ad Laudes reapse commemorationem habent, et quidem, si plura talia sint, eodem ordine quo commemorantur, quae praeponuntur ipsi festo digniori de quo regulariter officium fieri deberet sed hoc anno in aliam diem transfertur; 3° Festum quod hac ipsa die solet integrum habere officium, sed hoc anno ob impedimentum accidentale omitti vel transferri debet; 4° festa tandem quae hac ipsa die singulis annis solent habere commemorationem in Laudibus, sed pariter ob accidentale impedimentum hoc anno omitti debent (1).

C. Post festa hac die integrum officium vel commemorationem sibi vindicantia, annuntiantur festa quae *alia die reposita* integrum pariter officium vel commemorationem per singulos annos fixe obtineri solent, etsi ob impedimentum accidentale illo anno in die quoque respositionis omitti debeant; quod si plura ex iis festis sint annuntianda, in ordine illa ponendi nullo modo attenditur diversitas ritus neque disparitas inter officium et commemorationem, sed

---

(1) Si plures Sancti aut Beati qui uno eodemque officio vel una eademque commemoratione celebrantur, in die natalicia seu propria, distincta habeant elogia, in iis ponendis semper servatur idem ordo quem ipsi Sancti aut Beati in oratione aliisque officii partibus obtinent. Iuxta hanc regulam, die 28 iulii elogiorum ordo mutatus est: 1. ss. Nazarii et Celsi Martyrum; 2. s. Victoris Papae et Martyris; 3. S. Innocentii Papae et Confessoris, cum in praecedentibus editionibus 1. loco veniebat elogium S. Victoris; 2. loco S. Innocentii; 3. loco SS. Nazarii et Celsi. Die tamen 8 novembris elogium SS. Martyrum Claudii, Nicostrati, Symphoriani, Castorii et Simplicii praeponitur elogio sanctorum Quattuor Coronatorum, etsi in titulo commemorationis de iis solis fit mentio et in nona lectione illis quinque praeponuntur.

unice attenditur ordo dignitatis seu nobilitatis et classis, sicut pro festis sub D. statuetur.

D. Tandem ponuntur cetera festa, de quibus nimirum neque ipsa die, neque alia die ullum recitari officium vel ulla fieri solet commemoratio.

Porro festa de quibus sub C. et D. iuxta sequentes numeros, collocari debent ita ut sequens numerus minime attendatur, nisi eadem festa in praecedenti sint omnino paria, et ut, si plures sancti unum idemque elogium habeant, unice attendatur numerus prior ad quem unus e sociis pertinet, neglectis numeris sequentibus ad quos forsan reliqui socii spectant: 1° festa primaria praeferuntur secundariis; 2° festa Sanctorum canonizatorum, etsi aliquando ipsi titulo beati vel venerabilis nuncupentur, festis Beatorum nondum canonizatorum (1); 3° festa personarum insigni dignitate iuxta Rubricas Breviarii Romani fruentium prae festis personarum tali dignitate non fruentium, servato quidem pro personis dignitate personali fruentibus hoc ordine: *a*) festa Domini; *b*) festa Deiparae; *c*) festa Angelorum; *d*) festa Dominici Praecursoris; *e*) festa Sponsi beatae Mariae Virginis; *f*) festa Apostolorum; *g*) festa Evangelistarum; et, pro personis dignitate personali non fruentibus: *a*) festa Sanctorum veteris Testamenti; *b*) festa Discipulorum Christi, qui in novo Testamento celebrantur, sicut et aliorum omnium Sanctorum, qui in sacro Evangelio recensentur; *c*) festa Discipulorum alicuius Apostoli, sicuti et aliorum omnium Sanctorum qui in novo Testamento celebrantur; *d*) festa Discipulorum Christi quorum in Sacris Litteris mentio non habetur, *e*) festa Discipulorum alicuius Apostoli, vel,

(1) Etsi in Martyrologio Romano vix alii ac Sancti canonizati inscribuntur, non nulli tamen (circa viginti ex quibus septem Romani Pontifices) beati non canonizati ibi commemorantur, qui, ad distinctionem Sanctorum tituli beati nuncupatorum, inscribuntur cum littera maiuscula B (Beati), cum Sancti canonizati, si dicuntur beati, inscribantur cum littera minuscula b (beati).

post eos, alicuius Evangelistae, quorum item mentio in Sacris Litteris non habetur ; *f*) festa Martyrum (etiam mulierum); *g*) festa Confessorum stricto nomine ita nuncupatorum, qui nempe antiquis potissimum temporibus propter Deum plurima sunt perpessi etsi violenta morte non occubuerint ; *h*) festa aliorum Confessorum latiore nomine sic vocatorum ; *i*) festa Sanctarum Mulierum non martyrum.

In eodem autem numero praeferuntur: *a*) viri feminis; *b*) inter viros, Ecclesiastici saecularibus; *c*) inter Ecclesiasticos, personae maiorem in hierarchia pro Ordine suscepto gradum consecuti, aliis minorem gradum adeptis, nullo tamen inter Episcopos ob potiorem Sedem sive titulum admisso discrimine; *d*) inter feminas, Virgines aliis non Virginibus; *e*) inter non Virgines, Viduae Matribusfamilias et hae Paenitentibus; *f*) inter viros et feminas, sancti qui Romae obierunt vel quorum ibidem Corpora aut insignes Reliquiae custodiuntur aliis Sanctis. Et si omnia sunt aequalia, attenditur tandem ad prioritatem temporis quo Sancti vel beati decesserint et quo Mysteria contigerint. Sed festa in Martyrologio Romano exstantia praeferri debent in numero suo festis Ecclesiarum particuliarium propriis, in huius Ecclesiae vel loci Appendice insertis, atque ideo sancti Ecclesiae particularis seu loci semper collocentur post Sanctos in Martyrologio Romano descriptos, servato ordine suo videlicet Martyres post Martyres, Confessores post Confessores, Virgines post Virgines, et non Virgines post non Virgines. Inter festa tamen quae in martyrologio Romano non recensentur, festa propria alicuius Ecclesiae praeferuntur, iuxta indicatam Sanctorum classem sive seriem, festis toti Dioecesi, aut Ordini vel Instituto communibus.

Ex iis quae superius diximus, patet festa quae extra diem nataliciam vel propriam celebrari contige-

rint, pluries esse annuntianda, scilicet in ipsa die natalitia seu propria, loco superius indicato, et in die reposita vel translata, primo loco, nisi festum repositum hoc anno officio praevalenti fuerit impeditum aut occurrat unum ex officiis quae semper primo loco annuntiari debent.

Ab hac regula multiplicis annuntationis excipiuntur tamen *a*) festum sanctissimi Nominis Iesu; *b*) festum sanctae Familiae; *c*) Litaniae maiores; *d*) Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum, quae pro die tantummodo respectivae translationis annuntiantur.

Ad normam editionis typicae 1914, elogium proprie dictum semper in casu refertur in die natalicia vel propria, in cuius fine exprimitur dies in qua festum reponitur: *Ipsius tamen Festum tali die celebratur.* Simili modo addenda est dies repositionis, si quod festum universale in Dioecesi vel Instituto, aut festum Dioecesis vel Instituti in particulari tantum Ecclesia est reponendum. Si autem pro particulari Ecclesia dies repositionis festi universalis diversa est ab illa in qua pro universa Ecclesia reponitur, utraque dies erit indicanda: *Ipsius tamen festum in Ecclesia universali tali die, in Dioecesi* (aut *Ordine* vel *Instituto*) *N. tali die, et in hac Eeclesia tali die celebratur.* Similiter, in casu translationis, addendum in quam diem officium transferatur: *Ipsius autem officium hoc anno fiet tali die.* Mentio autem translationis semel tantum est agenda, nempe in die natalicia seu propria, si in hac die officium transferundum in hac ecclesia quotannis fieri consuevit, vel in die reposta pro hac ecclesia. In die autem repositionis iterum annuntiatur festum, sed paucioribus verbis, reticito semper loco obitus et omisso verbo *natalis* aut vocibus *dies natalis* in aptiores congrue mutatis, addita, contra, die natalicia seu propria, v. g. in hunc modum: *Sancti* (vel *Beati*) *N. N., cuius dies natalis*

tali die recensetur. Notari tamen iuvat in hac nova editione illas mentiones non iam esse tam ieiunas quam in praecedenti et in specie ordinarie addi titulos Sancti cuius festum reponitur. Exemplo sit elogium S. Francisci Xaverii; in praecedenti editione dicebatur tantum: *Sancti Francisci Xaverii Confessoris e Societate Iesu, qui pridie huius diei in pace quievit;* in hac autem: *Sancti Francisci Xaverii, sacerdotis e Societate Iesu et Confessoris, Indiarum Apostoli, Sodalitatis et operis Propagandae Fidei Patroni caelestis; qui pridie huius diei quievit in pace.* Similiter verbis valde diversis enuntiatur obitus: *qui evolavit in caelum, qui inter beatorum agmina translatus fuit, qui martyrii coronam consecutus est, quae ad caelestem sponsum transivit, etc.;* quae certe exemplo esse possunt in ordinanda appendice pro Dioecesi, Ordine vel Instituto. Si in die reposita agitur festum vel commemoratio plurium Sanctorum aut Beatorum, unico recolentur elogio, in quo, retenta nominum dispositione quam in oratione alisque offici partibus vel in commemoratione obtinent, respectiva dies natalicia seu propria pro Festo reposito exprimatur, nisi plus quam duo vel tres dies essent. indicandi, quia tunc sufficit generice dicere eorundem Sanctorum aut Beatorum natalem suis respective diebus celebrari.

Si dies repositionis, in Martyrologio Romano pro universali Ecclesia statuta, in aliqua particulari Ecclesia debuerit permutari, ibi festa huiusmodi pro utraque repositionis die annuntiari debent; in die repositionis pro universali Ecclesia *Sancti* (vel *Beati*) *N. N., cuius dies natalis tali die recensetur; sed festum eius, quod hodie in universali Ecclesia colitur, in Dioecesi* (aut *in Ordine* vel *Instituto N.*, aut *in hac Ecclesia*) *tali die celebratur.* Et in die repositionis pro Ecclesia particulari: *Sancti* (vel *Beati*) *N. N., cuius dies natalis tali die recensetur; sed festum eius quod*

tali die in Ecclesia universali colitur, in Dioecesi (aut *in Ordine* vel *Instituto N.*, aut *in hac Ecclesia*) *hodie celebratur.* Et similiter agendum est, si quod festum Dioecesis vel Instituti in aliqua particulari Ecclesia in alia die reponi debet atque in reliqua Dioecesi vel reliquo Ordine aut Instituto.

Similiter pro die translationis item satis erit dicere: *Officium Sancti* (vel *Beati*) *N. N. cuius festum fuit tali die*, indicata die propria vel reposita, prout singulis annis in una alterave die Officium celebratur.

Ios. PAUWELS, S. I.

Supplementa de quibusdam argumentis tomi superioris.

I. De historica synopsi status religiosi, a P. Steiger, bonae memoriae, conscripta.

Ne cuipiam occasio praebeatur cuiuspiam deceptionis, recolendum arbitramur, non solum generalem argumenti expositionem, sed etiam statisticas rationes typis scriptas esse quales defunctus ex-professor eas ante duos vel tres annos colligere potuit. Itaque nullatenus a nobis prolatae sunt quasi hodiernum statum personarum et domorum singulorum Ordinum accurate describant.

II. De Duellis.

I. Quid hodiernis duellis rationis philosophicae subesse possit sic paucis complectimur. Dimicantes nulla spe moventur obtinendi ut pars innocens vel melior e pugna victrix recedat; sed qui alterum provocat simul se ut sollicitum de proprio honore pro-

bare intendit, et experiri utrum necne adversarius ipse suum honorem tanti faciat ut locum inter honoratos viros habere mereatur. Quare, nisi quis, atroci iniuria lacessitus, ad necem usque pugnare decreverit ad ulciscendam iniuriam quam vivens ferre nequeat nisi offensorem occiderit, saepe, finito duello, ambo decertantes, in signum mutuae aestimationis, dextras iungunt. Iam vero fortitudo animi et honoris aestimatio, contemptu mortis vel vulneris periculo demonstrantur.

In quo mundano ratiocinio consueti mundi errores latent. *a*) Intrinseca rei inhonestas, temeraria ista dispositio propriae vitae vel integritatis, non attenditur. Exercetur istud, tam reprobatum: fine media sanctificantur.

b) Damna tum personarum, tum familiarum, tum societatis quae duella secum ferunt praetereuntur. *c*) Alii bene multi modi probandi animum virilem et fortem vel rectam honoris aestimationem non curantur. Et id Deo Provido iniuriosum committitur, existimandi divini ordinis violationem interdum necessariam esse ad verum aliquod bonum sive privatum sive commune comparandum. Quocirca, per duella non verus honor colitur sed mundanae et vanae opinioni servitur. Ut omnia in pauca contrahamus, duellantes faciunt rem *scelestem*, *damnosam*, *inutilem* intento fini.

2. Quid sit iste parvus culter quem ferunt in « mensuris » adhiberi, iuvat accuratius reddere. Hoc nomine vocatur ensis rectus, longus circa unum metrum, quia sola eius extrema summitas est acuta, in reliqua autem longitudine est hebes vel obtusus. Observes etiam interdum aliorum instrumentorum, ut gladii proprie dicti, usum fieri.

Suntne mensurae vacuae periculo gravis vulneris, sive per se, sive in quibusdam casibus: id definire nostrum non est. Sed consideratis armis, si absit huiusmodi periculum, id potius ex tegumentis et aliis

cautionibus repetendum est. Cum ita res se habeant, causa sic dictarum mensurarum satis similis fit duellorum istorum quae etiam cum multis cautionibus v. g. in quibusdam scholis militaribus tentantur.

Sed omne duellorum genus, etiam minus proprie dictum, hoc grave incommodum habet confirmandi mundanạ et exitiosa praeiudicia, et disponendi animos iuvenum ad singularia certamina, strictissime dicta, postea admittenda.

Quocirca merito III. Episcopi Germaniae efficaces sanctiones, etiam ecclesiasticas, contra « mensurarum » abusionem votis exoptant et consectantur.

Nec quidquam obstat, nostra sententia, quin improprie dicta duella, quatenus poenas effugiant contra duella in Codice latas, peculiari censura latae sententiae ab ipsis episcopis muniantur.

III. **De Iubilaeo.**

Referenda nobis sunt varia monumenta, in primis amplissima gratia modo facta a S. Pontifice ut indulgentia iubilaei ubique facile possit in suffragium animarum pluries obtineri, postquam quis semel opera secus ipsi praescripta ad lucrandum iubilaeum, perfecerit; dein variae declarationes sive S. Paenitentiae. Haec omnia in altera parte, sub n. 10 reperientur.

Hoc loco, brevissime, studio veri, satisfaciendum videtur quibusdam notis censoriis quae de opere nostro *Tractatus de Iubilaeo* leguntur in *Monitore Ecclesiastico*, huius anni, p. 63.

Itaque tria nobis obiciuntur.

1. Diximus decem visitationes quibus tenentur peregrini, intra quinque dies civiles utiliter peragi posse. Quomodo hoc fieri potest? Sicut ipsi, ultro, in fasciculo 1 februarii declaravimus, nihil facilius est

dummodo dies ne sumantur *continui* sed *interpolati*. Fatemur tamen voce *intra*, locum confusioni dari potuisse, ac melius dictum fuisse: « spatio quinque dierum non continuorum ».

2. Diximus personas quae inter stabiliter impeditas numerantur, iubilaei indulgentia « bis sibi frui posse ». - Nunc quidem, post S. Paenitentiariae declarationem 9 martii huius anni ad 3, nostrum commentarium ad istud responsum aptabimus. Quocirca, in nostro Tractatu, p. 47, praevidentes facile fieri posse ut huiusmodi discrepantiae inter privatam interpretationem et authenticas declarationes nascerentur, haec explicite observabamus: « Lectores autem Nostri ad positivas S. Sedis declarationes attendere non omittent, si quae strictius accipienda aut benignius concessa forte declarentur ».

Ac bene intellegimus cur S. Paenitentiaria voluerit, hac privilegii coartatione, maiorem concordiam inter varia documenta inducere. Namque interpretationem istam existimamus restrictivam, quam S. Sedes quidem dare potest, qua danda autem abstinere debet privatus interpres, qui communia interpretationis principia observare debet. Iam vero communia ista principia non sinebant nos aliter, ac fecimus, intellegere beneficium a S. Pontifice stabiliter impeditis concessum. Etenim *a*) Peculiaris Bulla *Apostolico Muneri*, pro istis lata, et cui proinde potius attendendum est quam ad Bullam quae generales condiciones statuit, sine addito, simpliciter potestatem faciebat *semel et iterum* lucrandi iubilaeum. *b*) Iterata ista acquisitio, similibus verbis concessa legebatur tum in Bulla Benedicti XIV, *Paterna charitas*, 17 dec. 1749; tum in Bulla Leonis XIII, *Aeterni Pastoris*, 24 oct. 1899, et intellecta est de facultate bissibi lucrandi iubilaeum. Quare etiam c. 6, 2° nos monebat ut eodem modo similia veteris iuris verba intellegeremus. — Ipse modus quo Monitum S. Pae-

nitentiariae referebat facultatem factam privilegiatis, eandem interpretationem insinuabat : « concessum est ut extra Urbem (privilegiati) possint operibus iteratis... *semel et bis* tantum iubilaei *indulgentia frui,* iis omnibus haud licere *praeterea,* quod contra iis licet qui in Urbe aut suburbio, item impedimento detenti, commorantur, — toties in defunctorum suffragium eandem indulgentiam acquirere, quoties opera suffecta repetant » (*Monitum* XVII).

Paucissimi Commentarii In Urbe prodierunt. Ii satis confuse de re dixerunt. Unus auctor tamen nobis confessus est nos recte de re scripsisse, se tamen hac enuntiatione abstinuisse, ne forte restrictiva quadam iuris declaratione aliter postea dicendum esset.

Verum extra Urbem, idem quod nos intellexerunt et dixerunt doctus professor Brugensis A. LEGRAND, in Ephemeride *Collationes Brugenses,* t. 25, 1925, p. 81 ; doctus professor Gandavensis O. LEJOUR, in *Collationes Gandavenses,* t. 12, 1925, p. 47 ; doctus professor Leodiensis, SIMENON, in ephemeride *Revue ecclesiastique de Liège,* 1925, p. 207 ; doctus CIMETIER, in gallica ephemeride *Revue pratique d' apologétique,* 1924, p. 357-358 ; doctus P. FERRERES in opuscolo, *El Jubileo del ano santo 1925, n. 103.*

3. *De numero precum quae ad intentionem S. Pontificis fundendae sunt.* Cl. redactor *Monitore,* in suis censoriis animadversionibus (namque in suis Commentariis nihil explicite de re dixerat) existimat quater in die repetendas esse preces quae a visitationibus separentur. In commentario nostro, observavimus, cum nunc preces a visitationibus seiungi possint, novam de numero requisito exsurgere quaestionem ; de quaestione ista authenticam declarationem exspectandam esse ; interea hoc saltem statui posse, necesse esse ut, in diebus quibus basilicae visitantur, *saltem* semel

fundantur (1). Cautius de re ista scribere non potuimus; neque nunc quidpiam in ista sententia mutandum nobis occurrit. Id tantum quaeremus. Recens S. Pontifex concessit ut visitando vicies ecclesias stationum, additis tunc vel postea duabus visitationibus singulis quattuor basilicis maioribus Urbis, condicioni visitationum satisfieret, intactis aliis requisitis, ac proin etiam requisitis precibus ad intentionem S. Pontificis (2). Iam vero, eritne aliquis qui, diebus quibus visitantur ecclesiae stationales, fundendas putet quater in die preces ad mentem S. Pontificis?

Ceterum de merito nostri parvi tractatus *De Iubilaeo* quidquam pronuntiare nostrum non est. Conferri potest quod de eo dictum est p. 203 in *Bollettino Ufficiale del Comitato Centrale*. Lector viderit quousque, propter memoratas censorias notas, *Monitore* iure haec addiderit: « Queste osservazioni... mostrano come pur troppo non è interamente da fidarsi della guida offerta in questo trattato ».

---

(1) R. P. Besson in *Nouv. Rev. théol.* 1925, p. 16, existimat satis esse ut semel fundantur.

(2) « Di potere soddisfare con queste alle visite prescritte per il S. Giubileo, rimanendo tuttavia immutate le altre condizioni ». Notificatio Em. Card. Vicarii Urbis.

PARS PRIOR

DISSERTATIONES

ET QUAESITA VARIA

Varia quaesita de religiosis

I. De spatio postulatus

Cur, in Constitutionibus quae, in sua ad Codicem accommodatione, ita habent: « Postulatus ad sex *saltem* menses peragendus est », Commissio de novis Institutis textum corrigit, iubendo ut vox *saltem* tollatur, dum ipse Codex, c. 539 dicit « postulatum ad sex saltem menses peragant ? » Nonne sic ipsi Codici derogari videtur ?

Resp. Nulla per suppressam vocem *saltem* fit Codicis correctio. Verum Codex hanc vocem adhibet ut facultatem faciat Constitutionibus statuendi pro postulatu maius tempus. Tempus tamen istud definiri debet. Sin aliter, quomodo c. 539, § 2 Superiori maiori facultatem faceret prorogandi, non tamen ultra aliud semestre, praescriptum postulatus tempus ? Postulatus qui faciendus dicèretur *saltem* ad sex menses, posset sine ulla prorogatione per plures annos protrahi et facultas Superioris maioris numquam ad sex menses circumscriberetur.

II. **De regimine bonorum quo novicius utitur.**

Temporalis ordinatio quae ad novicios spectat haec explicite complectitur: *a*) Canon 568 illicitam et invalidam pronuntiat omnem modum renuntiandi beneficiis et bonis suis, omnemque modum obligandi bona quo novicius in noviciatus decursu usus fuerit. - *b*) Pro impensis postulatus vel noviciatus c. 570, § 1 vetat ne quidquam exigatur, nisi pro alimentis et habitu religioso in Constitutionibus vel expressa conventione aliquid in postulatu vel noviciatu ineundo solvendum caveatur. - *c*) Quae aspirans attulerit et usu consumpta non fuerint, si e religione, non emissa professione, egrediatur, iubet § 2 eiusdem canonis ut discedenti restituantur.

Hinc varia quaeruntur.

1. Estne integrum novicio renuntiare hereditati quae ispi in noviciatus decursu obvenerit?

Resp. In primis, inter legatum et hereditatem distinguendum est.

Ut de *hereditate* proprie dicta dicamus (1), videndum est quanam relatione iuridica, hereditas ad heredes referatur. Estne pleno iure ad heredes delata, an contra, titulus quo hereditas devolvitur componi turne vocatione legali et heredis consensu seu acceptatione?

Priore casu, repudiatio hereditatis vera foret acquisiti boni abdicatio, qua novicius prohibetur; altero casu, repudiatio per se mixti generis dicenda foret: qui hereditatem repudiaret, simul actum facere recusaret quo titulus acquisitionis perficeretur, et simul facultatem eam adeundi amitteret. Quia autem prohibitiones et inhabilitates per se stricte interpretandae sunt, existimamus hereditatem a novicio tunc valide et licite repudiari posse.

(1) Ipsa notio hereditatis non eadem ratione in omni iure civili definitur.

De repudiatione *legati* longe minor est difficultas. Constat enim titulum acquisitionis positiva legatarii voluntate complendum esse.

Perinde dicendum foret de repudiatione *donationis*. Qui donationem a se repellit mere negat se velle acquirere.

2. Potestne novicius ultro ex bonis suis sumere unde det communitati quod vi c, 570, § 1, ab ipso exigi nequit? I. e. nulla pactio facta est de compensandis impendiis noviciatus. Nulla tunc compensatio exigi potest. Estne tamen integrum novicio istam compensationem offerre ?

Ut nobis videtur, aequa ista retributio verae renuntiationi bonorum aequiperari nequit. Quare eam novicio licitam esse arbitramur.

3. Industria et oeconomice utilis operositas novicii per noviciatum, spectatne ad ipsum an ad communitatem religiosam ?

Nulla in Codice legitur sanctio qua id definiatur. De solo professo votorum etiam simplicium valet c. 580, § 2 : « Quidquid autem industria sua vel intuitu religionis acquirit, religioni acquirit ».

Cum igitur Codex rem silentio praetereat, et novicius nulla incapacitate contrahendi afficiatur, possit mutua pactione res definiri. Sed per se, seu exclusa expressa pactione, industriam novicii ad ipsam religionem pertinere arbitramur. Novicius enim, dum vitam religiosam probat, agere religiosum intendit sine votorum obligatione. I. e. de facto, quam diu in noviciatu manet, suam personam regendam tradit a Superioribus, sicut postea per professionem religioni tradetur. Itaque de facto censetur, ut quidpiam secundarium, operas suas religioni offerre, eique acquirere sicut ei acquirere cogetur post vota.

Quare, stipendia missarum quas sacerdos novicius celebrabit, ipso iure ad religionem pertinebunt,

nec possit novicius salva iustitia, eadem alii donare; — si forte egregius pictor fuerit, confectae a se imagines piae in dominio erunt religionis.

III. De irritatione votorum permissa Superiori.

Potestne iam erga professum votorum temporariorum Superior religiosus uti potestate irritandi vota quae ipsi competit relate ad professos votorum perpetuorum ?

Resp. Codex potestatem istam nullatenus professis votorum perpetuorum circumscribit. Ac per ipsa vota temporalia professus sub potestate dominativa Superiorum religiosorum ponitur. Cum igitur ipse titulus cur potestas ista concedatur insit in Superiore religioso respectu professorum votorum temporalium, eam incunctanter asserere non dubitamus. Per se liquet condiciones irritationis implendas esse. I. e. oportet ut agatur de votis quae quis, dum est professus, emittat, sive tempus professionis sive etiam tempus subsequens respiciant.

IV. De vi quarundam formularum votorum.

In non paucis formulis, professio dicitur fieri coram Deo, Beata Maria Virgine et Sanctis; vel in fine, manus sanctis evangeliis admovetur; vel etiam adduntur verba: Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei evangelia.

Iam vero **quaeritur** utrum necne, in istis formulis, iuramentum ad ipsa vota accedere censeatur. Si iuramentum admiseris, praeterea quaeritur utrum iuramentum istud pro assertorio an pro promissorio habendum sit.

Iuramentum ad ipsa vota accedere posse, non ambigitur: quod ultro affirmavimus in *Theologiae moralis Principia, responsa et consilia*, II, n. 194.

Praeterea, praefatae formulae vel actiones per se sufficiunt ad reddendum exterius iuramentum promissorium. Verum, ut iures, praeter apta signa, intentio iurandi necessaria est; atque usus efficere potest ut formula, per se apta, iurandi animum minime prodere existimetur. Quocirca, in singulis religionibus, consulendus est modus quo voventes formulam intellegere soleant. Sic, in formula votorum scholasticorum Societatis Iesu, verba « in conspectu divinae Maiestatis, etc. » intentionem iurandi numquam significarunt. Neque hodie, in Ordine Servorum Beatae Mariae Virginis, ubi, lecta professione, tanguntur evangelia et pronuntiantur verba « Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei evangelia », professi cuiuspiam iuramenti conscii sunt.

Si demum ad vim nativam huiusmodi verborum attendere velis, facile dixeris per verba ista potius assertorium quam promissorium iuramentum significari. I. e. Deus videtur ut testis invocari sinceritatis qua sacrae votorum obligationes assumuntur.

V. De attributione bonorum religiosi transeuntis ad aliud Institutum.

1. Canon 551, § 2, haec habet: « Si vero religiosa professa ad aliam religionem ex apostolico indulto transeat, durante noviciatu, fructus, salvo praescripto can. 570, § 1; emissa vero nova professione dos ipsa huic religioni debetur ». Quod de dote et aliis bonis personalibus, si quae habeat religiosus, confirmatur canone 635, 2°, ubi haec adduntur: « demum nova religio ius habet pro noviciatus tempore ad iustam retributionem, si eidem locus sit ad normam can. 570, § 1 ». Norma c. 570, § 1, hic supra memorata est sub n. I.

Quaeritur *quo spectet istud « Salvo praescripto c. 570, § 1 ».*

R. P. BLAT, *Comment.* L. II. *De Personis*, n. 619, clausulam istam ut restrictivam prioris asserti intellegit, his verbis: « cedunt religioni ad quam transit, quando verificetur aliqua exceptionum illius canonis, nam est norma praescripti: nihil pro impensis postulatus vel noviciatus exigi potest ». (Alii omni interpretatione abstinent.)

Interpretatio ista videtur nobis frustraneam facere attributionem fructuum quae hac § 2 simpliciter sanciri videtur. Si enim omnia generali condicioni c. 570, § 1 obnoxia sunt, cur non simpliciter diceretur: « Durante noviciatu, pro compensatione expensarum, standum est c. 570, § 1 »? — Praeterea, non agitur hic de persona quae mere novicia est, sed de professa, quae, durante ipso noviciatu, in altera religione vota sua servat. Quid autem magis aequum quam ut reditus quibus in priore religione alebatur, cum ipsa ad aliam religionem, a primo instante, transeant?

Quare, nostra sententia, c. 551, § 2, *a*) etiam, durante noviciatu, fructus dotis religioni *ad quam* simpliciter addicit; *b*) Salvum iubet esse praescriptum c. 570, § 1, quatenus, si religiosa sine dote vel cum dote insufficiente recepta fuerit, nova religio possit, ad normam c. 570, § 1, v. g. expressa conventione, sibi compensationem expensarum cavere. Confirmamur c. 635, 2° de transeuntibus, quo memoratur ius novae religionis ad iustam retributionem pro noviciatus tempore, ad normam c. 570, § 1.

2. *Cuinam cedunt bona quae vel testamento vel renuntiatione bonorum, professa suo Instituto destinaverat?*

Varii casus distinguendi sunt.

a) Bona quae iam in plenum dominium Instituti transierant, huic omnino acquisita manent. Id non semper recte intellegitur. Sunt, praesertim religiosae mulieres, quae dotem a donis antea a se factis non

distinguentes, velint omnia secum ferre et Institutum suum vere spoliare rebus possessis. Ita religiosa quaedam Instituto suo dederat calicem quod Institutom lapidibus pretiosis ornaverat. Transiens ad aliam religionem volebat, detractis lapillis pretiosis, calicem novo Instituto tradere: quod omnino negavimus fieri posse.

b) Quod ad bona nondum acquisita, rationabilis intentionis interpretatio tentanda est. *α*) Si quidpiam fini peculiari, erigendae scholae, etc. legatum vel destinatum sit, id per se firmum manebit, cum aliam causam habere censeatur atque ascriptio definito Instituto. - *β*) Quae legata vel destinata sint Instituto qua tali, durante noviciatu, per se ad religionem a qua pertinere censentur; post professionem novae religioni tribuenda videntur.

Verum haec saepe dubia erunt ; vel etiam locum dabunt exceptionibus. Quare, plerumque res componenda erit cum S. C. *de Religiosis*.

Casus singularis is fuerit, si monialis sollemniter professa transeat ad Congregationem religiosam. In Congregatione religiosa, professae bona sua abdicare vetantur, dum professae sollemniter, ante professionem, huiusmodi abdicationem facere debebunt. Quid igitur iuris, si post novam professionem hereditas professae obveniat?

Recuperata, per novam professionem capacitate acquirendi et possidendi bona, religiosa ista erit circa bona ista in eadem iuridica condicione in qua fuisset si numquam professionem sollemnem emisisset. Ita respondemus, quia ipsa rerum natura id postulare videtur, et quia 628 de religioso promoto ad dignitatem ecclesiasticam simili modo habilitatem et possessionem reddit, quantum cum propriis religiosi votis id componi queat.

VI. **De remotione parochi religiosi**

C. 454, § 5, ita statuit: " Parochi autem, ad religiosam familiam pertinentes, sunt semper, ratione personae, amovibiles ad nutum tam loci Ordinarii, monito Superiore, quam Superioris, monito Ordinario, aequo iure, non requisito alterius consensu ».

Quaeritur, utrum necne etiam ad nutum Episcopi sit amovibilis, parochus religiosus qui a proprio Superiore, tamquam *patrono* beneficii parochialis saecularis, praesentatus sit. Supponitur religiosus ad huiusmodi paroeciam praesentari posse, sive ex indulto sive ex privilegio Ordinis.

Resp. Nostra sententia, cum remotio parochi instituta sine causa canonica ius patroni laedat, religiosus iste ad nutum Ordinarii loci removeri nequit. Quid enim statuit c. 454 § 5?: Religiosum parochum removeri posse ratione personae; i. e. nihil, ex parte personae, quae incapax est acquirendi firmum ius, remotioni obstare. Verum canon iste impedimentum remotionis aliunde exortum minime tollit. Neque obici potest necessitas disciplinae religiosae. Huic necessitati satis cavetur, si religiosus Superiori suo obnoxius manet.

Si beneficium ageretur religiosum, aliter dicendum videretur, quia patronus talis beneficii consectaria iuridica nominationis religiosi acceptasse censeretur.

VII. **De Ordinatione religiosorum, quod ad Episcopum proprium.**

Die 7 iunii 1899, S. C. *Episcoporum et Regularium* sententiam de Episcopo proprio religiosorum qui vacant studiis protulit quam Sanctissimus Dominus LEO XIII non tantum probaverat sed iusserat ut legem ab omnibus ad quos spectat servari.

Haec enim species facti ab Archiepiscopo Parisiensi proposita erat. Non raro evenit ut sodales

Congregationum religiosarum ad seminarium Parisiense a suis Superioribus, studiorum causa, mittantur, neque ulli certae domui propriae Congregationis ascripti sint. Postquam sic per unum aut plures annos ibi vitam communem cum ceteris eiusdem seminarii alumnis duxerint, ad quemnam Episcopum debent aut possunt Superiores religiosi litteras dimissorias pro ordinationibus dirigere? Nullus enim locus esse videtur iuri communi, quod vult ut dirigantur ad Episcopum religiosae domus cui sint ascripti.

S. autem Congregatio, decernendum censuit litteras dimissorias in casibus de quibus supra dirigendas esse ad Episcopum dioeceseos in cuius seminario praefati alumni studiis dant operam, dummodo tamen seu postquam ipsi saltem per integrum annum ibidem commorati fuerint. Cf. *Periodica*, Tom. I. p. 78 ss.

Quaeritur iam utrum necne praefata declaratio etiam num valere queat.

Respondemus eam adhuc valere. Agitur enim de interpretatione iuris quod cum veteri iuri congruit. Quare, vi c. 6, 2°, ex veteris iuris auctoritate atque ideo ex receptis apud probatos auctores interpretationibus huiusmodi canones sunt aestimandi. Quod maiore ratione dicendum videtur de interpretatione quae Pontificia auctoritate promulgata est.

VIII. De potestate Episcopi in religiones dioecesanas

In instituto dioecesano quod anno 1864 conditum est, nec proinde legibus a Pio X latis de novi Instituti creatione obnoxium est, Episcopus, Religionis conditor, nominationem Superioris Instituti sibi reservavit. **Quaeritur** iam utrum necne huiusmodi dispositio valida fuerit ante Codicem, et utrum necne adhuc, post Codicem servari possit.

Resp. Etiam ante Codicem usus generalis habebat ut Superiores eligerentur. Ita C. *Conditae*, 8 dec.

1900 n. IX cap. I. habet: « Antistitae, ex constitutionum iure a Sororibus eligantur ». Attamen vis huius sanctionis haec esse videtur: in electione Antistitae observentur Constitutiones. Si autem Constitutiones ipsam electionem proprie dictam excludant, id nullo articulo C. *Conditae* frustra esse sancitum decernitur. Contra, in praefatione C. *Conditae* universali ratione statuitur: « Diocesanae consociationes una inductae sunt atque vigent Antistitum sacrorum auctoritate ». Quod statutum in casu praevalere videtur. In novo Codice autem nullus canon formaliter praecipit ut Superiores omnes, saltem supremi, electione designentur; etsi iste modus vigere praesumatur.

Quare, cum nulla occurrat alia, contraria iuris dispositio, isti Episcopi facultati ne nunc quidem derogatum esse arbitramur.

Occlusio vaginae estne casus impotentiae an sterilitatis?

I. **Status Quaestionis.** — 1. Arduam et controversam quaestionem de impotentia matrimoniali hic plene versare minime cogitamus. Sed speciale quoddam punctum attingere velimus, quia praeteriri consuevit et frequentem tamen usum hodie habere potest.

Occasio autem istud examinandi nobis suppeditata est decisione S. Rotae, 3 februarii 1916 (1), de qua *Civiltà Cattolica*, 1925, t. 2, p. 63, haec habet: È una decisione isolata e si appoggia in una teoria giuridica che, come sappiamo, fu riprovata dalla stessa

(1) Tom VIII Decis. n. 1.

Rota in sede di appello, con decisione del 14 luglio 1917 » (1).

Si tamen fides sit *Acta Apostolicae Sedis*, 1918 (t. X), p. 120, repudiatio non ipsam conclusionem, quae confirmata est, sed sola motiva respiciebat, quatenus secundum placita R. D. ANTONELLI allegata erant.

2. Omissa autem generali quaestione, haec de casu speciali, n. 27 leguntur:

« Ceterum, etiam in sententia *affirmante*, scilicet horum auctorum qui dicunt, ad hoc ut copula sit apta ad generationem sufficere ut vir solus seminet in vase mulieris, et proinde feminam, etiam ovariis et utero omnino carentem, impotentia non laborare, etiam, inquam, in hac opinione, non desunt in specie, facta anatomica quae demonstrant Elishuam vera impotentia laborare. Hi enim auctores, dum dicunt, uti supra, sufficere ut vir solus seminet in vase mulieris, volunt tamen ut semen, sic immissum in vas mulieris, libere possit, natura duce, se diffundere in alia organa, et ideo tenent mulierem, cuius vagina, licet exterius aperta, sit interius occlusa, impotentia laborare... vagina, vere occlusa est: quod, in opinione omnium, impedimentum impotentiae dirimens constituit ».

3. De hac dicendi ratione, studio veritatis, observare cogimur, affirmari non posse, *in opinione omnium*, dirimens impotentiae impedimentum vagina quae tantum in imo fundo occludatur, constitui. Namque ut infra apparebit, nec Card. TARQUINI, neque P. ESBACH, nec Cardinalis GASPPRRI eius sententiae sunt. Praeterea, qui in sola coeundi impotentia impedimentum reponunt, et simul existimant vaginam intus occlusam esse causam impotentiae, minime hac ratione moventur quod necesse sit ut immissum in vas mulieris semen libere possit, natura duce, se in alia organa diffundere.

Quare, si ad solum n. 27 attendendum foret,

(1) Est decisio singularis, quae innititur in theoria iuridica quam novimus ab ipsa S. Rota in gradu appellationis repudiatam esse decisione 14 iulii 1917.

dubietate cito expediremur. Verum rem ipsam penitius examinare non pigebit.

4. In primis investigandum videtur quid efficiant quattuor S. Congregationis Concilii sententiae, quae in hac re saepe allegantur. Sunt resolutiones 21 martii 1863 in Salernitana; 22 iunii 1872, in Verulana; 7 septembris 1875, in Albinganensi; 16 decembris 1899, in Monasteriensi. In quattuor istis causis, matrimonium declaratum est nullum propter impotentiam mulieris. Ac praeterea vagina erat intus occlusa ita ut cum utero communicare non posset. Verum laborabatne mulier hoc solo organorum vitio?

a) In *Salernitana*, quattuor artis medicae professores testati sunt, se, produplici orificio vaginae et urethrae, reperisse locum incisum quo non ad vaginam, sed ad vesicam urinariam perveniebatur, ita ut ipsam vaginam desiderari testarentur. (Cf. *Thesaurus Resolutionum S. C. Concilii*, t. 121 (1862), p. 319. Decisio lata 3 dec. 1863 reperitur in tomo 122, p. 428). Nec vota Consultorum ex occlusione ad nullitatem matrimonii argumentabantur. Immo, unus ex iis, C. TARQUINI, defectum huiusmodi ad nullitatem sufficere negabat.

b) In causa *Verulana*, 24 ian. - 22 iun. 1872, teste perito medico, vagina non se porrigebat in longum ultra duos pollices, et intus occlusa erat (1). Maritus, fatente etiam uxore, negavit se umquam potuisse penetrare vaginam. Nullus praeterea aderat uterus. Teste alio perito medico, sola tertia vaginae pars habebatur. (Cf. *Thesaurus Resolutionum* 1871, p. 196. 211. 213).

c) In causa *Albinganensi*, 7 sept. 1895, habebatur vagina cuius canalis ad 4 centimetra erat longa, et per usum scalpelli ad 6 centimetra producta. Ex-

(1) « La vagina non era più profonda di due pollici, terminando la medesima come un cul di sacco ».

stabat igitur dimidiata vagina quae in modum sacci desinebat. In causa ista Dr. peritus LAPPONI impotentiam affirmavit, simul occlusione vaginae et absentia uteri nixus. Voto autem plurium peritorum requisito, hi in hanc conclusionem devenerunt, mulierem esse antecedenter et perpetuo impotentem, tum ad regularem copiam, tum ad possibilem generationis consecutionem. (Cf. *Thesaur. resolutionum*, t. 154 (1895) p. 915 ss. et *Analecta Ecclesiastica*, 1900, p. 242 col. sinistra in fine).

d) In causa *Monasteriensi*, 1899, testis (extraiudicialis) referebat vaginam simul occlusam et ita brevem ut immissio penis qualis ad copulam requiritur fieri omnino non posset. Ac duo medici periti inde declararunt « apud actricem existere impotentiam coeundi modo perfecto, prout oportet, h. e. cum completa per integram suam longitudinem mentulae immissionem ». (*Analecta Ecclesiastica*, 1900, p. 244).

Quae cum ita sint, vagina, in nulla ex his causis, solo vitio occlusionis in ima parte interiore afficiebatur; sed vel ipsa vagina aberat, ut in Salernitana, vel, praeter occlusionem, nimis brevem canalem habebat. Quando autem insertio fere ex toto deficit, observat Consultor SILI, in erudito voto (*Analecta Ecclesiastica*, 1900, p. 257) ipsa concupiscentiae sedatio non obtinetur.

II. **Quid auctores de re senserint**, iam paucis memorandum est. Plerique casum non contemplantur. In causa tamen Salernitana, doctissimus TARQUINI (postea Cardinalis), qui, 9 aug. 1862, canonistae partes agebat, sic mentem suam declarabat:

« Aliud quidpiam obstructum in ea (in muliere) dicitur. Quid vero illud est? Nempe ostium uteri, seu internum idemque extremum vaginae foramen quod in uterum ducit. Atqui eiusmodi causa verum adduci impotentiae impedimentum, numquam ausim affirmare; quia licet *generandi* facultas per eam

impediatur, *coeundi* tamen nullo modo. Facultas enim *coeundi*, qualis in iure canonico concipitur et ad matrimonium consummandum sufficiens habetur, eo actu perficitur quo semina in vase naturalis commiscentur (1) ».

Ita in n. 17 sui voti. N. 18 autem solutionem suam confirmatam existimabat responsione data cum uxor semen in vagina retinere nequeat: hanc impotentem esse negatum est. Iam vero doctus consultor casum vaginae occlusae et vaginae semen non retinentis esse duos casus similes arbitrabatur.

Immo medicus ZACCHIA *(Medicina legalis*, L. 9, t. 3, q. 5, n. 4), cuius summam fuisse auctoritatem apud theologos et canonistas, nemo ignorat, non diversimode opinari videtur. Si enim occlusio penetratione membri virilis non sanatur, non ideo, sic ipse « impeditur aliquando sponsus matrimonium consummare, quia membrum intromittendo in vas et semen eiaculando, licet membrana (qua claudatur vagina) non discrumpatur, consummatur matrimonium ».

R. P. ESCHBACH, in voto quod ut theologus in Monasteriensi, 12 mart. 1898, scripsit, admittit quoque consummari matrimonium non obstante occlusione quae prope extremam vaginae partem habeatur. (Cf. *Analecta Ecclesiastica*, 1900, p. 245).

LEHMKUHL, *Theologia moralis*, II. 975, severiorem sententiam sic modeste tuetur: « Apud mulieres impotentia absoluta est, si vagina plene occlusa exsistit, ita ut copula a viro nullatenus exerceri possit. Et *ex mea opinione*, pro absoluta impotentia habuerim, non solam modo dictam totalem vaginae occlusionem quae impediat quo minus semen possit *recipi*, sed a) eam etiam quae illud *permeare* non sinat ».

Casum tamen clarissimus theologus conexum existimat cum casu b) carentia utriusque ovarii, et c)

(1) Qui semen feminae negant, *sanguinem* pro semine dicunt.

carentia uteri. « Quod si illi casus, b) et c) impedimentum dirimens non constituunt, pronum est concludere, sic ipse, neque casum a) eiusmodi constituere impedimentum ».

Demum Em. C. SILI, cum esset in minoribus, rem ex professo et egregie tractavit in voto quod 29 sept. 1899, in festo S. Michaelis, ut canonista confecit in Monasteriensi. In eo voto, quamvis ipse neget impotentiam mulieris ovariis et utero destitutae, ac proin allegatam a LEHMKUHL conexionem minime admittat, perspicuis verbis hanc thesim ponit: « Constituit impedimentum sola etiam interna vaginae occlusio quae sit antecedens et perpetua » (Cf. *Analecta Eccl.* 1900, p. 258).

Quam thesim efficere hoc modo arbitratur:

« Sunt opera quae ab ipsa natura ordinantur ad aliquem finem; quae proinde, si deficiant ab hac ordinatione seu relatione, fiunt naturae inconvenientia atque adeo illicita. Si autem aliquod opus duplicem habeat finem sibi a natura inditum, alium primarium alium secundarium, dicta ordinatio respicit potissimum finem primarium; adeo ut si quid in opere hanc intrinsecam et essentialem relationem intercipiat, opus evadat naturae inconveniens seu contra legem naturae...

« Relatio autem operis ad finem duplex est, alia essentialis, alia effectiva. Essentialis habetur cum opus nullo careat ex suis elementis essentialibus et alia ex parte nihil in se contineat quod finem primarium absolute impediat. Relatio effectiva est ipsa relatio essentialis, adiecta circumstantia, quod etiam extra ambitum operis de se apti ad finem, nihil desit eorum quae ad finis assecutionem concurrere debent. Neque dicatur relationem essentialem quae simul non sit effectiva, quid esse vanum et illusorium: si enim ad aliquod opus perficiendum plura requirantur instrumenta, et unum ex his, quantum in se est, ad opus illud perfecte sit comparatum, numquid talis aptitudo cessabit, quia forte deficientibus aut inidoneis effectis aliis instrumentis, opus perfici non possit?

« Iamvero, si finis primarius non sit necessario consequendus, non est necessaria in opere relatio ad finem effectiva, sed requiritur et sufficit relatio essentialis; requiritur, ut salva

maneat operis essentia, ne scilicet opus fiat rectae rationi inconveniens; sufficit, quia finis primarii assecutio non urget.

« Iam haec applicemus copulae coniugali. Copula coniugalis a natura et naturae auctore ordinatur primario ad prolis generationem, secundario ad sedationem concupiscentiae; oportet igitur ut in finem primarium aliquo modo dirigatur; secus esset et diceretur luxuria contra naturam, ut coitus sodomiticus vel onanisticus et copula cum mortua. Quia vero finis primarius non est necessario consequendus, requiritur et sufficit ut copula coniugalis in eum tendat per relationem essentialem.

« Porro sunt vitia corporalia quae excludunt in copula dumtaxat relationem effectivam, quae nempe generat onem absolute impediunt, quin tamen coitum laedant in suis essentialibus elementis; et vitia huius generis pertinent exclusive ad impotentiam generandi, ut, v. g. absentia uteri vel ovariorum; et sunt vitia quae excludunt in copula ipsam relationem essentialem, quatenus generationem absolute impediunt, afficiendo ipsa organa copulationis; et vitia huius generis inducunt impotentiam coeundi, quia nempe coitum vitiant in sua essentia, eumque reddunt naturae ordinationi contrarium. Sed evidenter huiusmodi est occlusio vaginae, de qua loquimur; si quidem absolute generationem impedit in ipso femineo copulationis organo. Ergo dicta occlusio vaginae inducit impotentiam coeundi: quae praeterea cum, in casu nostro, matrimonio praexistat et perpetua sit, consequens est matrimonium dirimere ».

III. **Conclusio nostra** - 1. In primis iuvabit accuratius describere quid sit haec interna vaginae occlusio.

ZACCHIAS, *Quaestiones medico-legales*, de re agit tum in L. III. tit. I. q. 7, n. 24-32; tum L. IX, tit. 3, q. 5, n. 4. Priore loco, monet mulieres istas ab aliis *atretas* et imperforatas, ab aliis velatas vocari. In utroque loco observat plures esse occlusiones. « Membrana aut erit tenuis, aut crassa et carnosa; aut erit perforata aut non; aut erit posita interius versus internum uteri osculum, aut in medio colli uterini (1),

(1) Observes a Zacchia vocem *vaginae* non usurpari, sed communi uteri nomine tum vaginam tum uterum proprie dictum appellari. Collum uteri hic est vagina.

aut prope os externum: nam hae omnes differentiae multum faciunt ad determinandum quaenam occlusio curabilis sit quae vero incurabilis; item quae facile quae difficulter et non sine aliquo vitae discrimine possit curari ». Sic ipse, L. IX, t. 3, q. 5, n. 4. In L. III, t. 1, q. 7, n. 29, haec refert: « Ubi crassa et densa et valida est (membrana) necesse omnino est in eius incisione, et praecipue quando interius posita est, plurimum mulierem angi, maximam fieri sanguinis effusionem, dolorem intervenire acerbum, et in summa vix evitabile est, quin partes maximo sensu praeditae in incisione laedantur, unde spasmus sive convulsio, inflammatio, sphacelatio, itaque operatio haec maximo et evidenti cum periculo fit ».

Periculum istud, ut liquet, iam ex perfectiore arte chirurgica aestimandum est. Iam vero, in voto praefato anni 1899, ESCHBACH referebat ex Dr. ROUBAUD: « Si la cloison est constituée par une membrane dure, épaisse, calleuse, il faut faire l'extirpation entière opération qui, grâce au speculum, n'offre aucune difficulté »· (*Analecta Eccl.* 1900, p. 245).

2. Aliud est quaerere utrum necne mulier laboret *impedimento* impotentiae, aliud quaerere utrum necne sit actu impotens dicenda. Namque, secundum normam generalem, sola impotentia quae sit antecedens et perpetua impedimentum impotentiae constituitur.

3. His praepositis, ad ambo haec tenenda inclinamus.

a) Transversa vaginae occlusione quae sit perfecta, i. e. quae nullum meatum habeat per quem semen transire possit, vera *impotentia* efficitur. Sententiae igitur C. SILI astipulamur. Quod hac brevi ratione confirmamus. Secundum communissime hodie receptam sententiam, ne impotentia habeatur, necesse est ut uterque coniux actu capax sit copulae quae qua talis, seu, secundum se, ad generationem sit

apta. Essentialis autem defectus vaginae copulam in ratione copulae secundum se aptae ad generationem corrumpit. Vagina enim, omnibus fatentibus, est organum copulationis. Quid porro est vagina secundum se, nisi canalis per quam semen in uterum transeat? Eo autem quod in modum sacci perfecte clausi desinat, nullatenus canalis dici potest, ac proin substantiali vitio affecta esse demonstratur.

Neque, cum C. TARQUINI, loco supra relato, paritatem urgeas casus quo vagina semen retinere nequeat. Seminis enim conservatio copulam iam perfectam consequitur; ac praeterea, si vagina bene penetrata fuerit, iam in ipso coitu plura nema spermata ostium uteri transire potuerunt.

Neque existimes cum supra allegato LEHMKUHL, occlusionem vaginae cum carentia uteri comparari posse. Uterus enim et ovaria, organa sunt quorum usus perfecta copula est posterior. Quare carentia uteri copulam in ratione copulae minime vitiat.

Lemma. Contra atque in decisione Rotae, 3 febr. 1916, n. 27 insinuatur, formalis ratio cur ad mulieris potentiam necesse sit ut vagina permeabilis sit, non inde petitur quod, nisi aperta sit, semen in alia organa diffundi nequeat, verum hanc causam habet, quod vagina debet esse vagina, ac proin rationem canalis amittere non potest.

Quid, si nulla quidem membrana vagina occludatur, sed nihilominus clausa sit quia ipsum uteri ostium desideretur? Rationem quandam dubitandi hic haberi non negamus. Defectus enim non ipsam vaginam sed uterum proprie afficit. Quia tamen non minus quam per membranam ipsa vagina sic clauditur, arbitramur etiam tunc casum haberi impotentiae. Itaque non ipsum vitium uteri, qua tale, sed inde consequens vitium vaginae a nobis consideratur.

b) Cum non agitur de plena vaginae obstructione sed mere de interposita in transversum membrana, vel ipso actu coniugali vel facili scalpelli usu defectus sanari poterit, ita ut *impedimentum* impotentiae ex eo non oriatur (1).

Corollaria. Non pauca, eaque gravissima ex ista positione nostra, - quam utique modeste proponimus, - consequuntur.

I. Quacumque ratione ipsa vagina claudatur, mulier, dum clausam vaginam gerit, actu impotens dicenda est. Quocirca, si usus scalpelli, quo uterus aufertur, ipsam vaginam insanabili modo occluserit, re ipsa perpetuam impotentiam ex parte mulieris induxerit.

Contra, suppressio ovariorum vel ligatio tubarum, secundum communiorem sententiam, solam sterilitatem gignere potest.

II. Impotentia quae facultatem tollat matrimonii (si sit antecedens et perpetua), tollit etiam, quam diu permaneat, facultatem copulae vere coniugalis. Est, ut ait C. GASPARRI (2) « principii loco statuendum, unam licere copulam coniugalem, qua partes fiunt una caro, producitur affinitas et consummatur matrimonium, quia alia quaelibet copula non est nisi mera pollutio. Hoc posito, si impotentia (qua copula perfecta seu coniugalis redditur impossibilis) sive perpetua sive temporanea est certa, coniuges nequeunt rei maritali operam dare ». Namque, ut idem auctor habet, I, n. 584, « perpetuitas requiritur pro impedimento dirimenti impotentiae; at quando agitur de affinitate, consummatione matrimonii, liceitate usus matrimonii, inspicitur *actus* ». Quare, ex sua sententia qua ad potentiam requirebat ut semen virile ovulum mulie-

(1) De membrana quae vaginam per longitudinem dividat, ita ut duas vaginas esse dixeris, nihil observandum est, cum nihil per se impediat.

(2) *Tract. can. de matrimonio*, II, n. 1294.

bre obvium habere posset, PALMIERI (*Op. theol. morale,* t. VI, n. 865, nota) logice haec affirmabat: « Si certum est tempore praegnationis praesertim ad finem vergentis, uterum esse prorsus clausum, copula, iuxta superius explicata non est dicenda licita, cum nequeant concurrere elementa necessaria generationi ». Neque opponas id solum per accidens impediri. In hac re, verus abusus fit distinctionis per se et per accidens, ut etiam ostendit R. P. OIETTI (*Synopsis* n. 2419). Ut scribebamus in opere *De Castitate,* n. 69 primae et alterius editionis, « quando omnia requisita concurrunt, tunc utique effectus *per accidens* tantum impedietur. Sic fit ut bonum per ordinem naturae intentum - puta rectam prolis institutionem - servato isto ordine, ut puta in copula coniugali, per accidens frustretur. Sed si elementum ad valorem vel liceitatem requisitum defuerit, actus illo elemento privatus *per se* nullus vel prohibitus est, quamvis *per accidens* fiat ut elementum desideretur. Nec valet istud: licet actus, quia requisitum elementum per accidens mihi desit ».

De usu tamen matrimonii a coniugibus qui cuiuspiam copulae manserint capaces duas esse sententias non diffitemur. Atque ipse SANCHEZ, *Matr.* VII, d. 102, n. 6. 7. sententiae calculum adicit quae viro qui eunuchus post matrimonium factus sit copulam permittit, « quod vir ille iure suo utatur, vacans actui coniugali quem matrimonium permittit ». Pro qua sententia allegari non potest LAYMANN, *Theol. mor.* L. V, tr. 10, part. 4, c. 11, n. 3, namque oppositum tenet. Nos quoque omnino, cum REIFFENSTUEL, Decr. L. IV t. 15 n. 65 dicimus: « Tenentur coniuges perpetuo impotentes effecti, abstinere ab omni attentatione copulae, non item a tactibus, osculis, amplexibus », practice tamen cum PALMIERI, l. c. id addemus: « Non ego profecto auderem in praesenti controversiae statu,reprehendere con-

fessarium qui, ut consulat paenitenti, veteres sequatur ».

III. Mulier quae ipsam vaginam artificiose clauserit, se actu impotentem efficit. Quare, secundum praedicta, copula cum ipsa uxore tunc peracta dicenda est *intrinsece* illicita. Uxor comparanda tunc est cum viro qui, adhibito *condom,* matrimonio perfecte uti voluerit. Fatemur intrinsecum istud copulae vitium nos fugisse in prioribus editionibus nostri operis *De Castitate.* Idest solam consideravimus seminationem in vase debito, quae recte fieri poterat, ipsius autem vasis vitium neglegentes.

Liceat nobis aspectum istum modeste deliberandum proponere prudentissimis sane viris, quales Germaniae episcopi, qui in Instructione pro confessariis, § 5 haec scribebant: « Weiss der Ehemann dass die Frau selbst usu instrumentorum vel mediorum in vas muliebre insertorum die Konzeption vereiteln will, so hat er sie ganz entschieden davon abzuhalten, und, wenn möglich, etwaige Instrumente zu entfernen und zu vernichten. Gelingt ihm dies nicht, bezw. hat er die Bewendung chemischer Präparate trotz besten Willens nicht hindern können, so wird man von ihm nicht verlangen können, dass er immer Enthaltzamkeit übt. Vielmehr wird ihm der eheliche Akt zu gestatten sein ex gravi causa quoties sibi grave est carere actu coniugali vel si ipse esset in periculo continentiae. Voraussetzung ist aber, dass er seinerseits den Actus coniugalis mit Mass und in geordneter Weise verlangt und richtig zu vollziehen beabsichtigt, der Frau nicht zustimmt und diese von ihrem verbrecherischen Tun micht bloss abmahnt, sondern so gut als möglich abzuhalten sucht (1). »

(1) Si vir noverit uxorem usu instrumentorum vel mediorum in vas muliebre insertorum conceptionem impedire velle, ipse debet eam incunctanter ab istis actibus removere, et, si fieri possit, instrumenta auferre et destruere. Si id ipsi non successerit, vel casu quo, non obstante optima voluntate, adhibitionem

Sicut iam non semel monuimus, nihil decretorium statuere intendimus. Verum causam parum exploratam explicare voluimus, simul addendo quibusnam partibus faveamus. Si recte dixerimus, ad potentiam ex parte *viri*, substantialiter integri testes et organum penetrationis, ex parte *mulieris* vera canalis vaginalis requiritur.

Quae hactenus disputata sunt demonstrare nobis videntur esse cur authenticas definitiones, si Superioribus istas dare visum sit, grato animo excipiamus.

De Divisione Vicariatus vel Praefecturae Apostolicae in quasi-paroecias.

Canon 216, § 2 iubet ut Vicariatus Apostolicus et Praefectura Apostolica, ubi commode fieri possit, non secus ac dioeceses in distinctas partes territoriales dividantur.

Quaeritur iam utrum territoria ista geographice accurate circumscribenda sint, an sufficiat praeficere sacerdotem curae spirituali cuiuspiam communitatis constantis christianis et catechumenis, cuius fines seu limites non adeo certi sint, et possint, crescente vel minuente communitate, aliquatenus variare.

Resp. Limites seu fines per se geographice definiendi sunt. Sin aliter, divisio non fit proprie in distinctas partes territoriales; constituitur potius quasi paroecia personalis seu familiaris, quod fieri nequit

---

mediorum chemicorum prohibere non potuerit, non potest quis ab ipso cupere ut continentiam perpetuo exerceat. Immo ipsi concedendus erit actus coniugalis ex gravi causa, quoties sibi grave est carere actu coniugali vel si ipse esset in periculo incontinentiae. Supponitur autem ipse actum coniugalem cupere moderate et modo ordinato ex sua parte, rectamque eius perfectionem intendere, uxori minime consentire; eique non tantum eius culpandam rationem agendi dissuadere, sed eam pro viribus retinere conari.

sine speciali indulto Apostolico. Etenim § 4, quae directe agit de paroeciis valet etiam de quasi paroeciis, cum § 2 iubeat ut divisio in quasi paroecias, fiat pari modo ac divisio in paroecias proprie tales (1).

2. Debentne fines isti esse continui? I. e. num Vicarius Apostolicus prohibetur quasi paroeciae assignare duo vel plura territoria geographice quidem definita, sed non contigua?

Resp. Ratio ista constituendi paroeciam seu quasi-paroeciam non est usualis sed prorsus singularis. Iuridica tamen prohibitio e nullo loco erui possit. Aliunde, in missionibus, graves rationes huiusmodi erectionem suadere possunt. Quare nolimus eam improbare; eamque valide futuram censemus.

3. Debetne completa fieri Vicariatus divisio, an possit esse partialis, ita ut in eodem Vicariatu vel in eadem Praefectura sint non nullae quasi, paroeciae et praeterea portiones non divisae?

Resp. Nihil exigit completam Vicariatus vel Praefecturae divisionem. Ac bene concipitur erectionem quasi paroeciae in parte Vicariatus seu Praefecturae esse opportunam, dum in ceteris partibus praematura omnino foret. Ceterum id expresse statutum est Instructione S. C. *de Propaganda Fide*, 25 iul. 1920 (*Periodica*, X, p. 201, ss.): « Neque tamen necesse est aut suadendum ut tempus exspectetur quo totum Vicariatus vel Praefecturae territorium in quasi-paroecias dispertiri possit; pedetentim enim et per partes utiliter etiam proceditur, ita ut una pars in quasi-paroecias dividatur, alterius partis divisione in opportunius tempus dilata ». In partibus autem nondum divisis Missionarii censendi sunt cooperatores Vicarii

(1) Attamen accurata ista finium descriptio non est ad valorem requisita. Namque Instructio S. C. de Propaganda Fide, 25 iul. 1920, id explicite habet « Erectio quasi-paroeciae fiat per decretum Ordinarii quo clare describantur territorii limites. Ubi vero practice hoc obtineri non possit, sufficit declarasse quae christianitates ad singulas quasi-paroecias pertineant ».

vel Praefecti Apostolici, ita ut cum licentia generali Ordinarii valide et licite matrimoniis assistere possint.

N. B. Decreto erectionis quasi paroeciae designanda etiam est quaenam ecclesia principalis quasi paroeciae futura sit, et quaenam sit residentia quasi-parochi.

Casus de dissolutione matrimonii paganorum

Missionarius quidam scribit se saepe ancipitem esse circa genuinum sensum, condiciones et applicationes privilegii Paulini, sibi non raro dubium videri utrum aliquod connubium dissolvi possit, novae vero nuptiae contrahi. Nostrum non est de hac difficili materia complete disserere, cum praesertim plura quae pertinent ad privilegium paulinum tam luculenter in his ipsis Periodicis exposita sint (1). Nobis sufficiet casuum ab hoc missionario scriptorum pro modulo nostro solutionem proponere, hac occasione aliqua principia in memoriam revocando.

1. Paganus et Germana matrimonium in infidelitate contraxerunt. Cum Germana baptismum recipere vellet, Paganus, qui erga eam semper molestissimum se praebuerat, eam reliquit. Si Germana nunc baptizata, cum viro catholico nuberet, an liceret Pagano ad novas nuptias transire ?

R. Supponimus habitas esse interpellationes quibus Paganus negative (formaliter vel aequivalenter) respondit, vel ab eis interpellationibus legitime dispensatum esse. Potuit tunc Germana uti privilegio paulino, nubendo cum viro catholico.

(1) Cf. *Periodica* passim, v. g. X, (p. 26-28), XI, (p. 140), XIII, (p. 212).

His novis nuptiis solutum est vinculum prioris coniugii, in infidelitate contracti (c. 1126). « Principium autem iuris communis est: soluta a vinculo coniugali muliere, solutum remanere et virum... » Etiam si sua culpa res eo modo processerunt, nihil impedit ne vir novas nuptias contrahat, nisi forsitan, quod est parum verosimile, lex civilis tale impedimentum dirimens constituisset. Ecclesia, quae nulla potestate in infideles directe fruitur, non posset, etiam si vellet, infideli nunc soluto matrimonium cum muliere infideli interdicere. Lex vero naturalis non prohibet ne vir, si uxorem interfecisset, aliam postea ducat; a fortiori ne aliam ducat postquam priorem ad utendum privilegio paulino adduxerit. Etsi olim nonnulli theologi et canonistae dubitaverunt infidelem posse uti privilegio concesso in favorem coniugis conversi, omnes hodie admittunt vinculum dissolvi, simul et perfecte pro utraque parte. Concludimus ergo cum GASPARRI: " Igitur vinculum non amplius adest: quo sublato, curnam matrimonium coniugis infidelis erit nullum, aut etiam illicitum tantum? Vinculum enim poenale, de quo connulli loquuntur, commentitium prorsus est „ (1).

2. Ex duobus infidelibus legitime coniunctis vir recipit baptismum. Paulo post, uxorem dimittit quia recusat christiana fieri. Mox vero, a missionario de errore admonitus, uxorem revocat. Quae redire omnino recusat. An licet viro cum muliere catholica nubere? **R.** Facta est aequivalenter prior interpellatio: « An vis converti? » cui responsum est negative. Sed a viro omissa est altera interpellatio: « An vis saltem pacifice mecum cohabitare? » cui verosimiliter uxor affirmative respondisset. Uxor discessit, nec vult redire, sed quia vir, eam dimittendo, ei dedit post baptisma iustam discedendi causam. Quo in casu prima

(1) GASPARRI, *De Matrimonio*, (1892), II, n. 1087.

fronte videretur privilegium paulinum locum non habere. Dicunt enim c. 1123: « nisi ipsa (pars fidelis) post baptismum, dederit parti non baptizatae iustam discedendi causam » et c. 1124: « si coniux infidelis, mutata voluntate postea discedat sine iusta causa... » Quae tamen intelligenda sunt ope decisionum anteriorum Sanctae Sedis. In casu autem analogo, habito anno 1899, responsum est missionarium debere totis viribus curare ut coniuges reconciliaret, sed addebatur: « Si vero vir conversus nullum ei (uxori) dederit iustum ac rationabile motivum discedendi, *aut parti laesae iam satisfecerit*, ac in periculo versetur damnationis aeternae, tunc hic post formalem interpellationem, poterit ad alia vota transire; et ad mentem. Mens est ut in dubiis iudicium sit in favorem fidei » (1). In nostro casu dicemus: Vir qui bona fide eiecerat uxorem quia putabat sibi cum pagana muliere vivere non licere, et qui postea, errore detecto, eam quantum potuit revocavit, « satisfecit parti laesae ». Iuxta citatam decisionem, fiat formalis interpellatio et post responsum negativum liceat viro mulierem catholicam ducere.

3. Per duos annos post baptismum, Marcellus pacifice cohabitavit cum Raonizanaka, quacum in infidelitate nupserat et quae infidelis remansit. Quo tempore elapso, post iurgium coniuges ab alterutro se separant. Causa iurgii culpabilis fuerat ex utraque parte; putat tamen missionarius uxorem maiores culpas erga maritum admisisse. Post discessum, Raonizanaka cum viro pagano vixit nec missionarium audire voluit qui res componere conatus erat. Marcellus autem, qui per octo annos caelebs remanserat, nunc vivit in concubinatu, sed quaerit utrum privilegium paulinum sibi applicari possit.

(1) *Collectanea de Propaganda Fide* (1907), t. II, p. 388, n. 2044.

R. Si quis contendat mutuas coniugum culpas compensari, ita ut neuter alteri iustam discedendi causam praebuerit, non putamus hoc admitti posse, cum potius uterque dicendus sit alteri talem causam dedisse. Nonne gravia iurgia, quae ostenderent profundum animorum dissensum, etsi non habita sine utriusque coniugis culpa, essent, etiam pro christianis, sufficiens causa separationis mensae, tori et habitationis? Verum est adulterium unius adulterio alterius quodam modo compensari (c. 1129, § 1), sed videtur res aliter se habere si agitur de iurgiis quae manifestarent indoles plane diversas, sine ulla sympathia, imo ad odium mutuum valde pronas, unde timendum esset « grave seu animae seu corporis periculum », vel « saevitiae... aliaque id genus », de quibus loquitur c. 1131, § 1. Adhibendo expressionem « coniux innocens », c. 1131, § 2 et 1132 non necessario exigunt alterutrum coniugum semper innocentem esse ut separatio fieri possit, sed praevident solum accessoria quaedam quae hanc innocentiam alterutrius requirunt. Etiam si uterque graviter in alterum peccavit, possunt eis esse iustissimae causae discedendi ex mutuo consensu.

Aliud esset si missionarius sciret fere totam culpam fuisse ex parte uxoris, id quod defuit ex parte viri futurum fuisse valde insufficiens ut separationem rationabititer provocasset. In tali casu vir posset uti privilegio paulino.

Cum vir videatur ipse graviter culpabilis fuisse, prudentius aget missionarius ut in casu supra exposito. Vir pro suo posse alteri « parti laesae satisfaciet ».

Quod per missionarium aut aliam personam fidam fieri poterit. V. g. missionarius, nomine viri, dicet aut scribet uxori virum iurgii praeteriti et omnium iniuriarum erga uxorem valde paenitere et pudere,

virum etiam petere num nunc uxor consentiat vel christiana fieri vel saltem secum pacifice vivere.

Si renuit, satisfactio data fuit uxori in quantum laesa fuerat (si satisfactionem non admittit, hoc ei vitio vertendum est, non marito, qui obiective satisfecit) et interpellationibus responsum est negative. Quid tunc impediat privilegii paulini usum?

4. Titius et Dorothea in infidelitate nupserunt. Dorothea vero, postea baptizata, omnino culpabiliter, sine culpa Titii, hunc dereliquit. Titius autem mox baptismum recipiet. An tenebitur per totam Dorotheae vitam ab alio matrimonio contrahendo abstinere?

R. Hic certo de privilegio paulino non agitur. Sed, postquam Titius baptizatus erit, eius matrimonium cum Dorothea ratum fiet. Non erit consummatum qua ratum, quia, ob separationem coniugum, actus coniugalis post utriusque baptismum habitus non erit. Potest ergo fortasse impetrari a Sancta Sede dispensatio super matrimonio rato non consummato. C. casum supra relatum, *Periodica*, hoc tomo, p. 19.

5. Postquam Caius et Marcellina in infidelitate matrimonium contraxerant, Marcellina baptizata est. Aliquibus mensibus postea, violenta ira excandescens, virum dereliquit, filios secum educendo. Per tres annos Caius eam visitavit, conatus eam ad se reducere; cum omnia frustra tentasset, coepit cum alia muliere vivere. Duobus annis postea, Marcellina supplex missionarium adit ut is eam cum viro reconciliet. Quod Caius nunc omnino recusat. An posset Marcellina cum viro catholico nubere?

R. Marcellina dedit Caio iustam causam discedendi, discedendo ipsa. Non videtur sufficienter satisfecisse parti laesae cum per plures annos omnes amicabiles propositiones huius partis laesae repulerit, et solum cum reconciliatio moraliter impossibilis evasisset, aliquam bonam voluntatem per missionarium

viro ostenderit. Prudentius aget missionarius non applicando privilegium paulinum sed recurrendo ad Sanctam, Sedem. Nemo ignorat hodie fere omnes theologos et canonistas admittere, ultra casus in quibus verificaretur privilegium paulinum, Romanum Pontificem a Christo accepisse potestatem dissolvendi quoad vinculum omnia christianorum matrimonia quae non fuerunt rata et postea consummata; multo probabilius ratum non est matrimonium nisi ubi ambo coniuges baptizati sunt. Legatur etiam a missionariis hoc principium generale, scriptum occasione decisionis particularis Sanctae Sedis: « Si vero agatur de particulari casu, et gravia subsequantur mala, certior faciendus est Romanus Pontifex, ad quem recurrendum semper est in casibus extraordinariis, cum adnotatione omnium circumstantiarum » (1).

6. Caecilia catholica, obtenta dispensatione disparitatis cultus, cum Titio infideli nupsit. Postea ipsa e domo mariti fugit eamque per duos annos Titius frustra quaesivit. Quid faciendum?

R. Privilegium paulinum « non obtinet in matrimonio... inito cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus » (c. 1120, § 2). Insuper, in nostro casu, non discessit pars infidelis sed sine causa pars fidelis. Potest tamen missionarius ad Sanctam Sedem recurrere ut Caeciliae permissionem concedat novas nuptias contrahendi, post quas ipse Titius alterum matrimonium contrahere poterit. Fortasse est parva spes talem favorem in his adiunctis obtinendi; attamen, cum Sancta Sedes nostro tempore in hac materia magnam indulgentiam saepe praebuerit, ne timeat missionarius rem proponere.

In omnibus huiuscemodi casibus, videant missionarii utrum locus sit privilegio paulino iuxta can. 1120-

(1) *Collectanea de Propaganda Fide* (1907, I, 594. n. 1114).

1127, vel usui facultatum specialium quas a Sancta Sede saepe acceperunt, memores etiam principii: « In re dubia privilegium fidei gaudet favore iuris » (c. 1127). Si manifeste privilegium paulinum non obtinet, vel in eius favorem esset dubium mere negativum, ubi salus animarum agitur, ne timeant ad Sanctam Sedem recurrere.

E. JOMBART, S. J.

Quaedam Liturgica

I. De condicionate iterata consecratione hostiarum minorum.

R. P. SCHMITT, S. I. in *Zeitschrift für Kath. Theologie*, 1925, p. 275, ss. de morali nostro opere benevolum iudicium protulit de quo ipsi gratissimum animum hoc loco testificare volumus.

In eo autem quaestionem attingit quam in his *Periodicis*, t. XIII, p. (61) ss. tractandam suscepimus, i. e utrum necne liceat in eadem Missa, post peractam valide consecrationem materiae quam non nulli (valde improprie) appellare principalem solent, verba consecrationis cum intentione condicionata repetere supra pyxidem quae dubie consecrata existimatur, v. g. quia inter consecrationem extra corporale vel aram remanserit. Quod ita negandum duximus ut diversae sed singulari P. NOLDIN, s. m. opinioni nullam probabilitatem intrinsecam concedi posse putaremus.

R. P. SCHMITT autem se allatis rationibus minime moveri fatetur ut in nova sui decessoris editione, opinionem istam corrigeret.

Quia agitur de re quae frequentem usum habere potest, et rectum cultum SS. Eucharistiae afficit, fas sit nobis, post collatam rem cum theologis primi subsellii, in re insistere, si pacifica causae propositione ad optandam sententiarum concordiam perveniri possit.

Nec leve iam praeiudicium isti sententiae ipsa eius singularitate irrogatur. Casui enim molesto et non adeo raro facillimam solutionem offert, quae per saecula summos doctores et simul in casibus versandis peritissimos fugisset. En species facti. Indicta communione generali, sacerdos qui sacris operatur, distractus animo pyxidem extra corporale reliquit. Rem advertit quando fideles se ad communicandum accingunt. Propter sententiam S. ALPHONSI, ipse minores hostias pyxide contentas, pro dubie consecratis habet. Quid tunc auctores? Iubent ut dubie consecratae hostiae in tabernaculo seponantur, ut in altero sacrificio per condicionatam extensionem intentionis consecrantis ad istas hostias certa earum consecratio reddatur. Sic, v. g. LACROIX, L. VI, P. 2, n. 243. Interea omnino vetant ne distribuantur, sed volunt ut cum magna saepe difficultate hostiae ex vicina Ecclesia quaerantur, vel consecratio in alio sacro exspectetur.

Quid iam P. NOLDIN? Consecrationem sub condicione iteres, et sine negotio te omni difficultate liberaveris.

Quomodo tam plana, tam simplex solutio hactenus a nemine indicata fuit, nisi quia omnes istam condicionatam iterationem pro omnino illicita habebant?

Non longe autem quaesita ratio illiceitatem istam manifestat.

Gravissimum praeceptum divinum is violat qui separata unius materiae consecratione, novum sacrificium inchoare et non simul perficere voluerit. Immo de valore huiusmodi separatae consecrationis ambigi

serio potest, cum sic condicionate consecrans alteram materiam nullatenus consecrare intendat.

Quid iam, in l. c. huic argumento opponitur? Istud unicum: « Sacerdos hostias istas consecrare volebat ita ut intentio vel etiam oblatio affuerit; sed alia circumstantia consecrationem dubiam fecit, et dubium inter consecrationem et communionem exortum est. Ita fit ut iterata consecratio non sit nisi complementum sacrificii ex hac parte non perfecti ».

Haec iam singula resumamus.

1. Volebatne sacerdos hostias istas consecrare? - Respondemus distinguendo tempora. Propositum istud ante consecrationem habuit: id concedimus vel transmittimus. Ipso consecrationis momento eam servavit? Id certum esse, negamus; id dubium esse concedimus vel transmittimus. Namque, ut casus saltem plerique, ne dicam omnes accidunt, id praecise ambigitur, utrum necne vel propter propriam inadvertentiam animi, vel propter locum ubi pyxis momento consecrationis posita erat, intentio eam consecrandi affuerit vel non revocata fuerit. Ut ait LACROIX, l. c. dubitat sacerdos num intentionem istam ad appositas hostias minores sufficienter extenderit.

Quo iure ergo intentio seu voluntas consecrandi affuisse affirmatur? Immo, si voluntas affuisset, de valore consecrationis non dubitaretur.

« Affuit quoque oblatio ». - Quaenam oblatio? Essentialis oblatio sacrificii? Cum haec reali identitate cum consecratione confundatur, qui talem oblationem affirmarit, simul validam consecrationem affirmarit.

Caerimonialis oblatio quae ad offertorium peragitur? Hac R. P. GARDETTE, *Nouvelle Revue Théologique*, 1924, p. 381, contentus esse videtur. Verum haec est essentiali sacrificio extranea, et nihil in valorem vel extensionem consecrationis operari potest.

Prorsus gratuita proinde est allegata R. P. GARDET-

TE affirmatio, quod pyxis *fortasse* consecrata sit *simpliciter* pars praesentis sacrificii. Verum is alius dicendi modus rectus foret: pyxis *fortasse* consecrata *fortasse* pars est praesentis sacrificii. I. e. partem sacrificii constituit, si *obiective* est consecrata. Sed ut consecrata neque absolute neque condicionate iterum consecranda est. Iterum condicionate consecratur, quatenus *non sit consecrata,* ac proinde quatenus ad praesens sacrificium non pertineat.

Optimo igitur iure diximus l. c. intentione celebrantis fieri non posse ut peracta consecratio postea complementum accipere queat.

An intentio *explicite* momento consecrationis habita hanc virtutem habere posset? Quid dixeris de huiusmodi explicita intentione: « Volo hic et nunc hanc hostiam consecrare, sed si fortasse communicaturi se praesentaverint, ad istam hostiam adiungam hostias minores quas momento communionis, repetita forma, consecrabo. Dicesne, propter talem intentionem, huiusmodi repetita consecratione unum compleri sacrificium? Quisnam tale quid affirmaverit, cum sacerdos, ut consecrans non sit nisi instrumentalis causa Dei principaliter operantis? Iam vero ad quod formalis et explicita intentio non valet, ad id sufficiet intentio implicita et dubia?

Quomodo praeterea dici potest « consecrationem nondum perfectam esse, quia pars eius non erat certo consecrata? » (1).

Pars consecrationis dicitur hic « pars materiae consecrandae ». Quo pacto consecranda: id quaerimus. Aliquo praecepto divino? Nequaquam. Ut praecepto divino satisfiat, sufficit ut aliqua materia idonea apponatur: haec, in casu, est hostia quam vocant

(1) « Sie war nicht vollendet, weil ein Teil (allerdings nicht ein wesentlicher, aber doch ein vom Celebranten intendierter und determinierter Teil) nicht sicher konsekriert wurde » (p. 279, l. c.)

principalem. Sed pars materiae dicitur consecranda ex intentione celebrantis. Iterum quaerendum est: qua intentione?

Intentione habita cum forma pronuntiabatur supra hostiam principalem? Tunc etiam ista pars est certo consecrata. Restat igitur intentio quae extra istam consecrationem versatur ac proin nihil circa illam efficere potest.

Ut aliis verbis utamur, post pronuntiatam consecrationis formulam, completa est consecratio hostiae « principalis »; consecratio alterius materiae vel non fuit inchoata vel fuit etiam completa. Si enim priore formae pronuntiatione affecta fuit, perfecte consecrata est; si forma illa non affecta fuit: nihil circa eam peractum est: quare de nulla parte dici potest, consecrationem fuisse imperfectam.

Id alio exemplo confirmare liceat. Titius, dubie baptizatus, iterum sub condicione baptizatur. Quisnam dicet altero baptismo priorem compleri? Nemo sane. Sed aut solo priore baptismo aut solo altero baptismo Titius baptizatus est.

A quadam deceptione quam vox *probabilitatis* gignere potest cavendum est. Probabilitas dicit dubium mentis, sed nihil ponit in rebus quae vel sunt vel non sunt. Obligationem quidem tollere potest, quia scientiam legis impedit et nemo nisi cognita lege obligatur. Verum obiectivum rerum statum minime afficit. In casu praesenti, probabilis hostiarum consecratio hostias vel nullo modo vel perfecte consecratas a parte rei significat, nullatenus autem hostias inchoative consecratas, quarum consecratio complenda foret.

Laudamus quidem honorem qui eximio viro, quali P. NOLDIN per docilitatem exhibetur; gratam memoriam ipsi servatam probamus et participamus. Suspi-

camur autem ipso tanti auctoris cultu mentem aliquatenus impediri a visione erroris quem certum esse existimamus.

APPENDIX

Ad hanc doctrinalem expositionem recentem facti speciem addere non pigebit.

Post missam, in qua pyxis minoribus hostiis referta consecrata erat, sacerdos, a celebrante diversus, minorem hostiam repperit supra altare, prope corporale. Hanc ciborio excidisse ac proin consecratam esse existimans, reverenter in pyxide posuit. Quod cum celebranti narrasset, is ipsum certiorem fecit particulam ista consecratam non fuisse.

Quid tunc facere oportuit ? namque hostiam istam non consecratam a ceteris consecratis nemo iam discernere peterat.

Prius ad hoc consilium deventum est, ut singulis communicaturis binae hostiae traderentur. Sic enim singulos per modum unius alterutram saltem hostiam consecratam recepturos esse. Necessitatem vero vitandi erroris satis excusare a levi vetito ne binae laicis hostiae tradantur.

Mox autem istud consilium incommodis suis non vacare perspectum est. Laici enim communicantes insolita ista communicandi ratione facile turbatum iri, scrupulis fortasse agitatum iri. Immo fieri posse ut quispiam prae animi anxietate alterutram hostiam ex ore suo extraheret redderetque sacerdoti, qui tunc magis perplexus fieret, si forte hostia ista non fuisset consecrata.

Itaque duplex hostia secure non traderetur sine praevia monitione. De re huiusmodi religiosi quidem facile, non ita facile autem laici certiores fieri possent.

His perspectis, id unum superfuit faciendum, ut in subsequenti missa pyxis poneretur statim ante vel post praefationem supra corporale, mentalis oblatio fieret hostiae non consecratae inter consecratas latentis, eamque sacerdos sua intentione consecrandi complecteretur.

Atque hac ratione res bene compositae sunt.

Hic etiam nullus locus fuit sententiae P. NOLDIN.

II. De voluntaria utensilium sacrorum exsecratione.

Quaestio. Quandonam et quibusnam modis sacra suppellex suam consecrationem amittat satis perspicue, hodierno iure, docemur. Etiam de usu profano ad quem eandem adhibere liceat, postquam suam consecrationem amiserit, quaestio non semel tractata est, ita ut satis expeditam solutionem obtinere queat. Verum haec alia quaestio suboritur: estne fas sacra utensilia consulto exsecrare?

Cum autem duplex genere modus sit eadem exsecrandi: alter per venditionem, alter per deformationem, de hoc altero modo sola quaestio fieri posse videtur. Nullo enim speciali vetito canonico prohirentur ministri sacri, sive ut privati sive ut administratores ecclesiarum, ne, observatis iuris sollemnitatibus, calices vel vestes sacras quae non sint pretiosa, vel quae tantum ratione materiae talia sint, vendant, v. g. oratorio quod his careat.

Quid igitur de ipsa *deformatione* dicendum est?

Resp. 1. In primis excludenda est quaevis ratio exsecrandi res sacras quae quendam rei sacrae contemptum sapiat.

Huc referendus est abusus de quo in vol. IV p. 223, Decretorum authenticorum S. Rituum Congregationis, suffragium seu lucubratio super decr. n. 2620 legitur.

Singularis opinio invaluerat, vasa sacra non posse tradi expolienda vel deauranda artifici, quin prius exsecrerentur gestu quodam episcopi vel sacerdotis significantis contemptum seu despectum. Gestus seu actio ista erat rei sacrae percussio manu vel instrumento, quae ex despectu facta videbatur. Verum S. Congregatio Rituum, propositis dubiis, responderat « huiusmodi exsecrationem non rite sed ex errore fieri ». Quocirca, ut merito in laudata lucubratione observatur, exsecratio huiusmodi simul inefficax et reprobanda demonstratur.

Inefficax est. Undenam colligeres, vasa sacra propter actionem contumeliosam consecratione sua spoliari? Indigna tractatione polluitur potius quam exsecratur. « Cum benedictio et consecratio constitutiva sit ac materiae inhaereat, haud potest auferri nisi destruatur materia, formamque amittat » (Ita in laudato suffragio).

Verba tamen haec non nimis absolute sumenda sunt. Namque, contra ac plures Doctores, post S. THOMAM, 2, 2, q. 88 art. 10 ad 1, existimabant, cum rei consecratio a deputatione Ecclesiae pendeat, in potestate est S. Pontificis simplici voluntatis signo consecrationem auferre, sicut simplici voluntatis signo eandem conferre potest. (Cf. DE ALBERTIS, *De sacris utensilibus*, c. XI, n. 4).

Reprobanda est. Quo pacto enim contumeliosam rei sacra tractationem a peccato excusares?

2. Praeterea, nulla necessitas est reddendi inepta ad usum sacrum vasa sacra quae artifici accuratius expolienda vel deauranda tradenda sint.

Iamdiu enim exploratum est, tactum vacuae rei consecratae (vacuae, i. e quae corpus Christi non continet) etiam laico propter iustam causam licere. Quaenam autem iustior causa quam praestatio operae

utilis vel necessariae, qua vasa sacra cultui divino decentius servire possint ?

3. His igitur omissis, negare nequit res sacras ipsa consecratione divino cultui in perpetuum deputari. Quare, per se, quam diu istius servitii physice capaces maneant, mens Ecclesiae est ut sacris usibus addictae maneant.

Nihilominus rursus negari nequit conversionem in usus profanos iustis causis imperari posse. Puta calices, vestes multo elegantiores substitui praecedentibus, quae proinde pro valore suo ad sacros alius ecclesiae usus difficile emerentur. Cur cogeres sacerdotem vel rectorem ecclesiae ut steriles apud se vel in arca ecclesiae servet superfluas res sacras, quarum valor sub alia forma fructuose pro piis et salutaribus finibus adhiberi possit ? Licebitne, in his adiunctis, vestes sacras in partes secare ; calicem consecratum liquefieri vel alia ratione destrui ?

Id licere existimamus ; et statim confirmare possumus canone 1187, quo Ordinarius loci permittitur in usum profanum non sordidum redigere ecclesiam quae nullo modo ad cultum divinum adhiberi possit, nec refici queat.

4. Itaque haec summa est. *a*) Nulla destructio seu profanatio admitti potest quae, sive propter intentionem sive propter modum, significet contemptum seu despectum : idque per se grave pronuntiandum est.

b) Sine iusta causa, res consecratae vel constitutiva benedictione benedictae, sacris usibus subtrahi non possunt. Attamen, factam sine causa sed simul sine contumelia exsecrationem, culpam venialem excedere non arbitramur.

c) Propter iustam causam facta rei sacrae deformatio, omni culpa vacare dicenda est.

De licita conversione ad usus profanos, post amissam formam, iam antea egit CASTROPALAO,

Opus morale, T. II, tr. 8 punctum 6, n. 25; DIANA, *Resolutiones*, Tom. II, tr. 1. Res. 183, qui consulto factam deformationem iam insinuare videtur per verba: « non ausim damnare qui, mutata forma dicta rum rerum, convertat in usum profanum ». GAVANTUS, *Praxis compendiaria visitationis episcopalis,* § 10, inter decernenda in visitatione locali et materiali, ponit n. 8: « Profanationem calicum et patenarum, item Ecclesiarum ».

III. De anticipata recitatione Matutini cum socio privilegiato

Titius sacerdos, Matutinum et Laudes, ex priviregio, iam ab hora meridiana anticipare permittitur. Socius, qui cum ipso officium recitare voluerit, potestne reipsa istud privilegium participare?

Resp. Haec privilegii communicatio demonstranda foret sive generali iuris dispositione, sive indulto peculiari. Generalis iuris dispositio omnino deficit. Itaque, nisi privilegiatus id etiam obtinuerit, ut socius a meridie matutinum anticipare queat, is expers privilegii dicendus est, ita ut officio horarum canonicarum minime satisfaciat, iam a meridie recitando Horas matutinas sequentis diei.

IV. De Missis Gregorianis ad duos defunctos simul applicatis.

Titius sacerdos, accepto tricenario Gregoriano pro patre et matre pii cuiuspiam viri, postea dubitare coepit qua ratione obligationi isti satisfaceret, et quaenam foret istius applicationis utilitas: utrum binis animis an uni tantum profutura foret.

Resp. Si Titius promisisset se per triginta continuos dies ad altare privilegiatum celebraturum esse,

res cito expedita foret. Etenim, e declarationibus S. Sedis, novimus missas ad altare privilegiatum pluribus quidem applicari posse, indulgentiam tamen altaris privilegiati uni tantum animae, a sacerdote vel a Deo designatae, prodesse posse.

Verum, quamvis exstet in Urbe altare privilegiatum Gregorianum, et, extra Urbem, altaria privilegiata ad instar Gregoriani, missae Gregorianae ubique celebrari possunt, ita ut tricenarium acceptans, hanc unam obligationem habeat seriem triginta missarum non interrumpendi.

Quid autem e missis Gregorianis, qua talibus, speratur? Peculiaris intercessio S. Gregorii. Cum igitur nulla accedat inde ratio indulgentiae proprie talis, et Ecclesia nihil praeterea de re definierit, pie pro utraque anima auxilium seu intercessionis subsidium sperari posse videtur e benignitate S. Doctoris.

Titius igitur in casu missas simpliciter simul ad utramque intentionem, per triginta continuos dies celebret.

PARS PRIOR

DISSERTATIONES

ET QUAESITA VARIA

De nova editione typica ritualis romani

Acta Apostoticae Sedis diei 1 iulii 1925 decretum promulgant S. R. C. quo nova Ritualis Romani vaticana editio approbatur et typica declaratur, cui futurae editiones eiusdem Ritualis Romani conformandae erunt.

Titulus novae huius editionis est: *Rituale Romanum Pauli V Pontificis Maximi iussu editum aliorumque Pontificum cura recognitum atque auctoritate Ss.mi D. N. Pii XI ad normam Codicis Iuris Canonici accommodatum.* Suppressa sunt ergo in hoc titulo nomina Benedicti XIV et Pii X, quae in praecedenti editione addebantur.

Non inutile visum est compendiose referre principales mutationes et variationes in hac nova editione occurrentes, quae ad quattuor fere capita reduci possunt.

I. *Mutationes et Variationes ex accommodatione ad normam Codicis Iuris Canonici.* — Codici praecipue adaptari debuerunt regulae generales de diversis sacramentis rite administrandis, quae in initio singu-

lorum Titulorum leguntur; sic quae in Rituali dicuntur de ministro baptismi, de baptizandis parvulis, de ritibus et caeremoniis baptismi, de patrinis, de tempore et loco baptismi conferendi, item quae de aliis sacramentis, de exsequiis et in specie de iis quibus deneganda est ecclesiastica sepultura, de regulis generalibus circa benedictiones, fere ad litteram referunt canones qui de iis argumentis tractant. Minus utile videtur haec omnia singillatim indicare.

II. *Mutationes et variationes in ordine novi Ritualis.* — Parum differt novus ordo ab antiquo; quaedam tamen, quae in praecedentibus editionibus in appendice habebantur, nunc in ipsum corpus Ritualis sunt inserta:

In tit. IV, de sanctissimo Eucharistiae Sacramento, additae sunt ad normam Codicis regulae de sacra communione promiscuo ritu suscipienda, de modo sacram communionem occulte deferendi, de sacra communione pro infirmis non ieiunis, de specie olei pro nutrienda lampade sanctissimi Sacramenti: quae antea in appendice habebantur.

In Titulo VIII, de benedictionibus, additur caput 33, in quo traditur Ritus Absolutionis generalis et Benedictionis papalis ex Apostolicae Sedis indulto pro regularibus Ordinibus et Tertiariis ad eos pertinentibus, quae item hucusque in appendice prostabat.

Post titulum de processionibus, novus insertus est titulus, in quo inveniuntur Litaniae sanctissimi Nominis Iesu, de sacro Corde Iesu, Lauretanae beatae Mariae Virginis et de sancto Ioseph.

Antiquus titulus X, in quo simul agebatur de exorcizandis obsessis a daemonio et de formulis scribendis, in duos est divisus, quorum prior (nunc tit. XI) agit de exorcizandis, addito Exorcismo in satanam et angelos apostaticos, alter vero (nunc. tit. XII), de libris habendis apud parochos.

Sicut in prioribus editionibus, additur appendix, sed haec unica est et titulum habet Appendix ad Rituale Romanum sive Collectio aliarum Benedictionum et Instructionum Sanctae Sedis auctoritate approbatarum seu permissarum in usum et commoditatem omnium sacerdotum digesta. In praecedentibus editionibus deerat verbum « *aliarum* », et appendix dicebatur digesta in usum et commoditatem Missionariorum apostolicorum aliorumque sacerdotum. Ex novo modo proferendi titulum, iam patet usum huius appendicis esse ampliatum, et omnia quae in appendicem inseruntur, nisi explicite restrictio addatur, ab omnibus sacerdotibus posse adhiberi.

In hac appendice nunc primo leguntur : Instructio S. R. C. pro sacerdote caecutiente circa missarum celebrationem eidem ex Apostolico indulto concessam ; Benedictio nuptialis extra missam danda ex Apostolico indulto, quando missa non dicitur ; Preces recitandae extra missam super coniuges ex Apostolicae Sedis indulto, quando benedictio nuptialis non permittitur ; Ritus seu formula brevior consecrationis Altaris immobilis quod amisit consecrationem ob separationem, etsi momentaneam, tabulae seu mensae a stipite, uti in casu de quo agit Codex Iuris Canonici in can. 1200, § 1 ; Ritus seu formula breviorconsecrationis Altaris quod amisit consecrationem uti in casu de quo agit Codex Iuris Canonici in can. 1200 § 2, n. 1 et 2. Sequitur series benedictionum quae dispertiuntur in benedictiones non reservatas, quae sunt numero 70, et reservatas. In iis autem praeterea distinguuntur : 1° Benedictiones faciendae ab Ordinario (non iam ab Episcopo) vel ab eius delegato (numero 13) ; 2. Benedictiones faciendae a sacerdotibus Apostolicum indultum habentibus (numero 5) ; 3. Benedictiones propriae nonnullorum Ordinum regularium seu Congregationum religiosarum a sacerdotibus Apostolicum

indultum habentibus adhibendae (numero 52); tandem 4. Benedictiones approbatae pro aliquibus locis, a sacerdotibus Apostolicum indultum habentibus adhibendae (numero 9). Benedictiones, quae in praecedenti editione addebantur sub titulo *Benedictiones novissimae*, necnon Benedictiones alterius appendicis et Benedictiones omnes post hanc editionem approbatae, in unicam hanc appendicem sub suo titulo fuerunt insertae, et plures benedictiones quae antea uti reservatae exhibebantur, iam ponuntur inter benedictiones non reservatas (1).

III. *De mutationibus et variationibus in ipso textu orationum.* — Paucae sunt hae mutationes et generatim parvi momenti. Nonnumquam unum alterumve verbum additum est, ut oratio ad meliorem correctioremque formam adducatur; v. g. in nonnullis conclusionibus additum est verbum *eundem, eiusdem*, etc. Supervacuum videtur haec singillatim referre.

Quaedam additiones factae sunt, antea iam S. R. C. decreto sancitae (uti insertio nominis sancti Ioseph in nonnullis precibus) adhibendae in administratione sacramenti Extremae Unctionis, in commendatione animae, in invocationibus morienti suggerendis, uti etiam invocatio « Ut omnes errantes » etc. in litaniis Omnium Sanctorum, et invocatio « Regina Pacis » in litaniis lauretanis.

In administratione baptismatis pro adultis feminis, post alteram manuum impositionem et orationem, *Deus Abraham*, additus est exorcismus *Ergo, male-*

(1) Inter benedictiones faciendas a sacerdotibus Apostolicum Indultum habentibus invenitur FORMULA BENEDICTIONIS PAPALIS cum indulgentia plenaria in fine contionum approbata a S. R. C. die 11 maii 1911 cum rubrica: « Si in Brevi edicitur, ut Benedictio cum indulgentia plenaria in fine contionum a sacerdote populo impertiatur cum Crucifixo, iuxta ritum formulamque praescriptam, fiat unicum signum crucis cum Crucifixo, adhibita formula: *Benedictio Dei omnipotentis, Patris et Filii,* † *et Spiritus sancti, descendat super vos et maneat semper. R. Amen.* » Iam non videtur in casu adhiberi posse formula longior quae prostat in ipso Rituali Tit. VII cap. 32.

dicte diabole, quem hoc loco omnes veteres ordines distincte referunt, et qui quodam errore videtur in editione Ritualis Pauli V et in subsequentibus editionibus fuisse omissus, ut scite demonstravit R. P. I. M. HANSSENS, S. I. Professor Liturgiae in Universitate Gregoriana et in Instituto Orientali (1).

Tandem ad normam litaniarum sanctissimi Nominis Iesu, beatae Mariae Virginis et sancti Ioseph, oratio litaniarum de sacro Corde terminatur conclusione brevi: Qui tecum vivit et regnat in saecula saeculorum. Sat singularis tamen videri potest haec conclusio, in qua mentio fit Patris et Filii et solus tacetur sanctus Spiritus, cum tamen in conclusione brevi solus Christus Dominus consueverit nominari. In oratione *Deus qui salutis aeternae,* quae et ipsa ad Patrem dirigitur cum mentione Filii in fine orationis, conclusio, quotiens brevis adhibenda foret, simpliciter omittitur.

IV. — *De mutationibus et variationibus in rubricis.* - Nonnullae rubricae, praesertim in officio defunctorum et in ordine exsequiarum, fuerunt correctae, ut maior inde uniformitas haberetur in variis libris liturgicis. Haec tamen nondum est perfecta; sic v. g. ex rubrica Ritualis, dum celebrans recitat orationem *Non intres,* diaconus librum tenere debet, cum ex rubrica missalis hoc fieri debeat a clerico vel acolytho. Item ex rubrica rituális, incensum debet imponi dum repetitur Responsorium *Libera,* ex rubrica missalis hoc fieri debet circa finem responsorii. Ex rubrica missalis, post orationem, versus *Requiescat in pace* cantari debet a cantoribus, et celebrans debet iterum facere signum crucis dum dicit recto tono *Anima eius:* rubricae ritualis de his tacent. Contra, rubrica ritualis

(1) *De quadam omissione in Ordine Baptismi adultorum,* apud Ephemerides liturgicas, t. 37 (1923), p. 260.

dicit orationibus in *Deus cui proprium est* et *Absolve* exprimendam esse dignitatem si defunctus fuerit episcopus vel sacerdos, et in absolutione semper adhibendam esse brevem orationum conclusionem, quae omnia, etiam in novissima editione missalis, desiderantur.

Ad normam novarum rubricarum missalis, etiam redactae sunt rubricae omnes quae ad missam exsequialem vel ad missas votivas pertinent.

Aliae rubricae ideo sunt mutatae ut ritus clarius et expressius describatur, immo, nonnullae, etsi paucissimae, quosdam ritus, aliquid addendo, mutarunt.

In Tractatu de *baptismo* pluries occurrit haec rubrica: « Deinde imponit manum super caput infantis (electi) ac postea dicit », in novo Rituali magis explicite dicitur: et postea *manum extensam tenens* dicit. Ad introducendum infantem in ecclesiam sacerdos imponere debet super infantem extremam partem stolae pendentem a suo humero sinistro, et ultimum exorcismum, antequam accedat ad Baptisterium, dicere debet versis renibus ad ostium cancellorum baptisterii. Saliva ad tangendas aures et nares infantis accipi debet pollice, et ungendo infantem oleo catechumenorum, in pectore et inter scapulas formula dici debet semel. Peracta hac unctione, clarius indicatur quonam ordine sit procedendum: Subinde pollicem et inuncta loca abstergit bombacio vel re simili. Stans ibidem extra cancellos deponit stolam violaceam, et sumit stolam albi coloris. Tunc ingreditur baptisterium, in quod intrat etiam patrinus cum infante. Sacerdos ad fontem interrogat....

In Tractatu de *poenitentia*, ubi dicebatur « In confessionibus autem frequentioribus et brevioribus omitti potest *Misereatur* etc, et sufficit dicere... » nunc dicitur « Iusta de causa omitti potest Misereatur... ».

In Tractatu de *Eucharistia*, color stolae adhibendae

in administratione sacrae Communionis erit semper albus vel officio illius diei conveniens (mutato tamen colore nigro in violaceum die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum). Porro, sacerdos ad altare procedere debet manibus iunctis vel bursam cum corporali ante pectus deferens, et, accensis cereis, facta prius genuflexione in plano, tabernaculum aperit, genuflectit, extrahit pyxidem... Non solum sacerdotes, sed et diaconi communicantes utantur stola coloris albi vel eiusdem coloris ac sacerdos qui ministrat. Ubi vero omnes communicaverint, sacerdos reversus ad altare pyxiden super corporale deponit, genuflectit, ac deinde dicit... « O sacrum convivium », interim, antequam reponat Sacramentum. Postea reponit pyxidem in tabernaculo, genuflectit et ipsius tabernaculi ostiolum clavi obserat. Deposito Sacramento in fine benedicit iis qui communicarunt. Non iam praescribitur ut aqua ablutionis iis qui communicarunt sumendam tradatur, sed suo tempore mittatur in sacrarium, vel, si hoc desit, in ignem. Idem ritus servandus est a diacono sacram communionem ministrante (1).

Quod si contingat, proxime ante aut statim post missam privatam (non enim licet sacram Communionem administrare immediate ante vel post missam conventualem vel cantatam) aliquos interdum communicare, tunc sacerdos, planeta indutus, sacram communionem ministrabit eo modo quo fit extra missam, ut supra dictum est; omissis tamen semper alleluia et benedictione in fine, si paramenta nigri coloris adhibeantur.

Quoad communionem infirmorum, sacerdos, depositum Sacramentum super mensa supposito corporali genuflexus adorat... et velum humerale dimittit...

---

(1) Dum Rituale servandum dicit a diacono eucharistiam ministrante eundem ritum quem pro sacerdote descripserat et cuius pars est benedictio manu data sub hac formula: « Benedictio Dei omnipotentis », simul tacite diacono veniam concedit benedictionem istam impertiendi. Id antea non pauci negabant.

Additur quod si pluribus infirmis in eodem cubiculo vel loco Sacramentum administretur, sacerdos dicere debet in plurali: « Misereatur vestri », item in oratione « Domine sancte: ut accipientibus fratribus (sororibus) nostris... » aqua ablutionis iterum suo tempore mittatur in sacrarium, vel, si hoc desit, in ignem. Dicta oratione « Domine sancte » si altera particula Sacramenti superfuerit... velum humerale reassumit, genuflectit, surgit, et cum Sacramento in pyxide velo humerali cooperta facit signum crucis super infirmum, nihil dicens. In ecclesia cum Sacramento in pyxide velo humerali cooperta facit signum crucis super populum, nihil dicens... Quod si sumpta fuerit tantum una particula, sacerdos infirmum manu benedicit, dicens de more: « Benedictio Dei omnipotentis... »

Quando, ex iusta et rationabili causa, privatim sacra communio ad infirmos defertur, sacerdos saltem stolam semper habeat propriis coopertam vestibus; in sacculo seu bursa pyxidem recondat, quam per funiculos collo appensam in sinu reponat; et numquam solus procedat, sed uno saltem fideli, in defectu clerici, associetur. Cum autem ad infirmi cubiculum pervenerit, sacerdos superpelliceum quoque induat cum stola, si illud antea non induerit.

In tractatu de Sacramento *extremae Unctionis Misereatur* et *Indulgentiam* praescribitur dicendus in singulari, nisi tamen sacramentum simul pluribus aegrotantibus in eodem cubiculo vel loco decumbentibus ministretur, et infra orationem « In nomine Patris et Filii » quae immediate unctiones praecedit, sacerdos extensam manum dexteram super caput infirmi tenere debet.

Ex praescripto Can. 947, § 2, omnia quae ad unctionem renum pertinent fuerunt omissa, et post unctionem pedum additur rubrica: « Haec autem unctio

ad pedes, ut dictum est, ex qualibet rationabili causa omitti potest. »

Unctionibus peractis, sacerdos pollicem fricat cum medulla panis, manus lavat linteoque abstergit; aqua vero lotionis cum pane, suo tempore mittatur in sacrarium, vel, si hoc desit, in ignem.

Post Litanias omnium Sanctorum addita est rubrica *Vacante Apostolica Sede*, loco invocationis « Ut Domnum Apostolicum et omnes ecclesiasticos ordines...» dicatur: « Ut omnes ecclesiasticos ordines... » Versus autem « Oremus pro Pontifice nostro N. » cum suo Responsorio et oratio pro eodem Pontifice omittuntur.

In tractatu *de exsequiarum ordine*, corpore praesente, semper iam est cantanda antiphona *In paradisum*, etiam si corpus tunc ad sepulcrum non deferatur.

In *benedictionibus*, nisi aliud praescribatur, adhibenda est stola coloris tempori convenientis, et benedictio crucis vel imaginis Ordinario reservatur tantum si fit sollemniter, secus ab unoquoque sacerdote fieri potest.

IOS. PAUWELS S. J.

De prohibitione imaginum

Introductio. — Diu inter generalia decreta de censura et prohibitione librorum nullus locus datus fuit imaginibus. Ac ratio silentii non est longe quaerenda: imagines non sunt libri. Quia tamen ad imagines ars typographica magis ac magis extensa est, ita ut, non minus quam scripta, imagines imprimerentur et diffunderentur, haec communis nota et tractatio legislatorem merito movit ut, similes ac de libris, generales normas de imaginibus impressis statueret. De imaginibus inquam *impressis*. Hae solae enim sicut libri eduntur et propagantur. Iam vero cum generalibus

Indicis decretis sola edita opera respiciantur, mirum sane fuisset si latius quam librorum intellexisset continentiam imaginum, quae recentem tantum mentionem obtinuerunt.

Primus autem LEO XIII, in C. *Officiorum ac Munerum*, decreto generali quasdam imagines proscripsit art. 15, his verbis: « Imagines quomodocumque impressae D. N. I. C., B. Mariae, Angelorum atque Sanctorum vel aliorum Servorum Dei ab Ecc.ae sensu et decretis difformes, omnino vetantur ».

Praeterea eadem constitutione praecepit ut novae imagines, sacrae, ante quam vulgarentur, auctoritate ecclesiastica approbarentur.

Codex canonicus Constitutionem Leonis XIII imitatus est. Etenim c.e 1399, 12° ut ipso iure prohibitae habendae sunt: « Imagines quoquomodo impressae D. N. I. C., B. M. Virginis, Angelorum atque Sanctorum vel aliorum Servorum Dei ab Ecclesiae sensu ac decretis alienae ».

Ac paulo ante, c. 1385, vetuit § 1 « nisi censura ecclesiastica praecesserit, ne edantur, etiam a laicis.... 3° Imagines sacrae quovis modo imprimendae, sive preces adiunctas habeant, sive sine illis edantur ». Quatenus necessitatem censurae praeviae non solis novis sed omnibus sacris imaginibus imprimendis imposuit, Codex rigorem C.is Leon XIII adauxit.

De statuis et pictis tabulis agit solus c. 1279.

« § 1. Nemini liceat in ecclesiis, etiam exemptis aliisve locis sacris ullam insolitam ponere vel ponendam curare imaginem, nisi ab Ordinario loci sit approbata.

« § 2. Ordinarius autem sacras imagines publice ad fidelium venerationem exponendas ne approbet, quae cum probato Ecclesiae usu non congruant.

« § 3. Numquam sinat Ordinarius in ecclesiis aliisve locis sacris exhiberi falsi dogmatis imagines vel quae debitam decentiam et honestatem non praeseferant, aut rudibus periculosi erroris occasionem praebeant ».

Habentur praeterea quaedam decreta particularia, quae v. g. vetant ne Spiritus Sanctus iuvene, ne SS. Trinitas homine tres facies ferente, etc. repraesententur. Quamvis decreta ista nec implicite nec explicite Codice contineantur, ea adhuc vigere opinamur, quia ad cultum referuntur et vi c. 2. « omnes liturgicae leges vim suam retinent, nisi earum aliqua in Codice expresse corrigatur ».

Status Quaestionis. — His praepositis, de canonibus qui imagines vel praeviae censurae subiciunt vel prohibent non nulla dubia enodare velimus. Sunt autem haec tria.

1. *Quaenam imagines sub legem cadunt?*
2. *Quaenam est vis et ratio censurae?*
3. *Quaenam est vis prohibitionis?*

De primo quaesito. Quaenam imagines sub Codicis legem cadunt.

Resp. *a)* Imagines *impressae* vel *imprimendae.* Quae Codicis verba, sicut de libris, intellegenda sunt de imaginibus quae editae sunt vel edentur. De his solis agi ubi sermo fit de censura est ex ipso textu manifestum. C. enim 1385 § 1, vetat ne sine approbatione ecclesiasticae auctoritatis *edantur.* De prohibitione idem dicendum arbitramur propter servandum parallelismum in eadem lege, et quia divulgatio operum occasionem huiusmodi sanctionibus dedit.

Sane in potestate Ecclesiae est etiam unicum operis exemplar suo vetito attingere, contendimus autem id generali decreto non esse factum. Quod praefatis rationibus demonstratum esse arbitramur.

b) Quovis modo *impressae* vel imprimendae comprehenduntur: ac proin quavis mechanica arte multiplicandae vel multiplicatae: sive sit photographica, sive lithographica, sive autographica, sive proprie typographica, sive alia qualibet.

c) Cum agitur de censura ecclesiastica, omnes imagines *sacrae* intelleguntur (c. 1385, § 1, 3°). *Sacrae* porro sunt imagines quae usui sacro, seu cultui tam publico quam privato destinantur.

Verum, quod notabile est, c. 1399, qui de prohibitione agit, solas memorat « imagines D. N. I. C., B. M. V., Angelorum atque Sanctorum vel aliorum Servorum Dei ».

Quid ergo de repraesentata SS. Trinitate, aut prima vel tertia Persona SS. Trinitatis?

Quia prohibitiones istae stricte sumendae sunt, sanctionem c. 1399, § 12 ad ista non extendemus. Ceterum, imago proprie dicta non habetur nisi de homine vel de re visibili. Atque hodie multo rarius de SS. Trinitate vel S. Spiritu imprimuntur imagines, ita ut prohibitiones speciales sufficere possint.

De altero Quaesito. Quaenam est vis et ratio censurae?

1. Expressa stipulatione § 2, c. 1385, de imaginibus valet quod de libris statuitur: i. e. tum loci Ordinarius proprius auctoris, tum Ordinarius loci in quo publici iuris fiunt, tum Ordinarius loci in quo imprimuntur licentiam edendi dare possunt. Communis quoque libris et imaginibus est § 3, qua cavetur ut religiosi licentiam *quoque* sui Superioris maioris antea consequantur.

2. Can. 1394 § 1 vult etiam ut licentia ista Ordinarii in scriptis concedatur, atque in principio aut in fine imaginis imprimatur, expresso nomine concedentis, loci et tempore concessionis. - Debetne imprimi nomen *Ordinarii loci*, si auctor est religiosus? Id nullo textu praescriptum legimus.

Auctor imaginis minus ille est qui pinxit tabulam vel telam unde desumpta est, quam qui cum imprimente pactionem de impressione init, praesertim si modum quo imprimenda est aliquatenus definierit.

In *Epitome Iuris canonici*, II, 727, negavimus nomen censoris qui « nihil obstare » existimat, in libris imprimendum esse, quod fortiore ratione valet de imaginibus. Igitur brevis formula: *Imprimatur*. X. ep. vel. vic. gen., satis est; et quod in libris toleratur hic etiam permitti potest, ut simpliciter scribatur: « cum approbatione ecclesiastica ».

De tertio Quaesito. Minus facilis est responsio ad 3^{um} Quaesitum, de vi factae prohibitionis. Codex enim, dum explicat, c. 1398 § 1, quid secum ferat *libri* prohibitio, nihil dicit de *imagine*.

« Prohibitio librorum, sic c. 1398, id efficit ut liber sine debita licentia nec edi, nec legi, nec retineri, nec vendi, nec in aliam linguam verti, nec ullo modo cum aliis communicari possit ».

Restat igitur ut secundum c. 18 ad hunc locum ut parallelum recurramus eo fidentius quod iam ante Codicem vis prohibitionis operum intellegebatur sicut nunc expresse sancitum est. Qui intellectus e sola voce prohibitionis colligebatur.

Ac re vera prohibitio sine addito eam vim habet ut rem vetitam nec habere neque ad usum tibi vel aliis utilem adhibere tibi liceat. Quibus verbis omnes actus c. 1398, § 1 comprehenduntur.

In casu praesenti tamen duo observanda sunt, quae prohibitionem aliquatenus circumscribunt.

1. Canon 1399, 12° agit de imaginibus *sacris*, sicut iam, commentando C. *Officiorum ac Munerum*, monuimus cum pluribus aliis. Vi autem c. 4, 2° quando canon ius vetus ex integro refert... ex receptis apud probatos auctores interpretationibus aestimandus est. Praeterea, si canon 1399 imagines qua tales proscriberet, *obscenae* profecto sub prohibitionem positivam fortiori ratione caderent, dum c. 1399, 9° solos *libros* qui res lascivas seu obscenas ex professo tractant etc. explicite reprobat.

Itaque solus usus *imaginis ut sacrae* vetatur. Verum, quia absoluta prohibitio facta est, omnis huiusmodi usus vetatur: *privatus* igitur aeque ac *publicus*. Nefas ergo erit prohibitam imaginem cultu privato honorare, eam v. g. ponendo in oratorio vel supra genuflexorium (*prie-Dieu*) in quo oratur.

Quid autem si experientia noveris pios et bonos affectus in te ex considerata ista imagine oriri? Licebitne eam tali intentione aspicere?

Dummodo imago nullatenus ut pia exponatur, neque exterior actus cultus fiat, id non putamus vetitum. Imago enim non est prohibita ut profana. E re autem profana sed honesta pios affectus depromere quid prohibet?

2. Solae imagines *impressae* positiva c. 1399,12 sanctione attinguntur. Quod ceterum quadrat ad universam legum de prohibitione librorum aeconomiam. De libris agitur qui eduntur in lucem.

Itaque imagines manu depictae hoc canone non attinguntur, sed de his sermo est c. 1279. Quare, cum de pictis imaginibus ageretur, sapienter S. Officium, in sua decl. 30 mart. 1921 (1), mere iussit ut removerentur e locis sacris. I. e. ut plene textum eius exponamus: imagines de quibus sermo est, imprimi prorsus prohibentur; inde, fortiore ratione constat tabulas, huiusmodi imaginum veluti typicas, inter eas esse quae in locis sacris exponi vetantur.

(1) *Periodica*, 10, 287.

VARIA QUAESITA DE SACRAMENTIS

I. De Sacramento baptismi

1. *Estne dicendus privatus baptismus quem subiecto periclitanti confert minister, sacerdos vel diaconus, servatis caerimoniis quae baptismum sequuntur?*

Privatum eum vocat R. D. DE SMET [*Tract. De Sacramentis in genere, de baptismo et confirmatione*, ed. 2, n. 336ter nota (1)]. Namque, sic ipse, ex c. 737 § 2 « Cum ministratur servatis omnibus ritibus et caeremoniis quae in ritualibus libris praecipiuntur appellatur *sollemnis*; secus, *non sollemnis* seu *privatus*. » Idem videtur opinari *Monitore Ecclesiastico*, 1925, p. 238, cum existimet ideo, ne fiat sollemnis, baptismum in periculo mortis sine caerimoniis quae baptismum praecedunt administrandum esse.

Rectius, nostra sententia, R. P. PRUEMMER, O. P. *Manuale iuris ecclesiastici* ante q. 278: « Baptismus... est vel *sollemnis*, quando ministratur servatis omnibus ritibus et caerimoniis, quae in ritualibus libris praecipiuntur, vel *non sollemnis* seu *privatus*, quando (omissis caerimoniis) solumnodo forma essentialis adhibetur ».

Sic etiam, ante Codicem, WERNZ, *Ius Decret.* III, 727, sollemnem vocabat baptismum qui datur « a proprio ministro *consecrato* cum omnibus ritibus *etiam* accidentalibus ab Ecclesia praescriptis »; nihilominus non vocabat privatum nisi eum qui administrabatur « servatis tantum ritibus *substantialibus* ». Ac nonne per se liquet baptismum ex servatis sollemnitatibus dici sollemnem, ex omissis dici privatum? Quare, iam

privatus dici nequit baptismus in quo plures sollemnitates observatae sunt. Quamquam nec plene sollemnis dici queat.

Vox *secus* igitur in canone 737 § 2 non potest sic explicari: « nisi moraliter omnes caerimoniae servatae sint » sed hoc modo: « si fere nullae caerimoniae servatae sint ». Audiatur R. P. BLAT O Pr. *Commentarium textus* ad h. c. « *secus*, nempe supradictis non servatis vel fere omnibus omissis dicitur baptismus *non sollemnis seu privatus* velut carens sigillo publicae actionis ecclesiasticae ». Iam vero, potestne dici fere omnes caerimonias omitti, quando omnes quae baptismum sequuntur servantur? Et quando S. C. *de Prop. Fide*, 21 ian. 1789 (*Collect.* I. n. 598 ed. 2) iussit ut in necessitate sacerdos suspensus vel interdictus baptismum administraret *private*, nûm ei sollemnitates quae baptismum sequuntur indulsit? Itaque baptismus cum solis sollemnitatibus quae baptismum sequuntur dicendus per se est ex parte sollemnis et ex parte privatus.

Quid, quod baptismus periclitanti collatus cum solis caerimoniis quae baptismum sequuntur potius sollemnis habendus est. Cum enim praecedentes caerimoniae prohibeantur, re vera « ministratur servatis omnibus ritibus et caeremoniis quae in ritualibus libris praecipiuntur », nec potest nisi a ministro sollemnitatis hoc modo administrari.

2. *Ubinam ministrandus est baptismus privatus haeretici qui in adulta aetate sub condicione baptizetur?*

Haec Codex explicite habet: c. 771. « Baptismus privatus, urgente necessitate, quovis tempore et loco administrandus est »; c. 773: « Proprius baptismi sollemnis administrandi locus est baptisterium in ecclesia vel oratorio publico ».

Si in ecclesia quae iure fontis gaudeat baptismus

conferri nequeat, « baptismus solemnis a parocho conferri potest et debet in proxima ecclesia aut oratorio publico intra paroeciae fines, licet haec baptismali fonte careant. » (c. 775).

Demum c. 776 negat in domibus privatis baptismum sollemnem administrandum esse, nisi supremi principes id petierint, vel id in aliquo extraordinario casu Episcopus concedendum esse censuerit.

Itaque casus noster explicite non solvitur. Attamen, cum c. 771 condicionem urgentis necessitatis ponat ut, pro baptismo privato, quemlibet locum admittat, et locus sacris operandis sit ecclesia (1), dicendum est baptismum istum per se esse in ecclesia conferendum (2), ita tamen ut Ordinarius administrationem in domo privata facilius concedere possit.

3. *Cur, etiam si casus caerimonias quae baptismum praecedunt adhiberi sinat, caerimoniae tamen istae omittendae praecipiuntur quotiescumque subiectum in mortis periculo versetur?*

.Rituale Romanum loquitur explicite de adeo graviter aegrotante ut periculum immineat ne pereat antequam Baptismus perficiatur. In casu autem supposito ratio haec desideratur. Verum haec altera habetur. Ritus sacer qui ante essentialem baptismum peragitur summatim compositus est pluribus caerimoniis quae saec. VII pluribus distinctis diebus circa candidatos baptismi usurpabantur. Cf. *Theol. mor.* nostrae t. III Append. ad n. 214, p. 749. In periculo mortis autem stadia ista probationis praetermittebantur. Pronum igitur fuit, in simili casu, caerimonias omittere quae stadiorum istorum locum tenent.

---

(1) « Proprius Baptismi administrandi locus est Ecclesia in qua sit Fons Baptismalis, vel certe Baptisterium prope Ecclesiam. »

(2) Sic etiam DE SMET, *Tract. de Sacramentis in genere, de baptismo et confirmatione,* ed. 2, n. 340, 2.

II. **Administratio Viatici infirmo non ieiuno**

Status Quaestionis — Occasionem huius lucubrationis nobis praebuit dubium quo sacerdos doctus et pius sed recens ordinatus laboravit. Cum enim ad graviter aegrotum vocatus esset, ipse incunctanter Extremam Unctionem ministravit. Verum, cum mortem non proxime instare comperisset, viaticum in posteram diem differre voluit, ut ab infirmo ieiuno reciperetur. Legerat enim in *Rituali Romano:* « 4. Potest quidem Viaticum brevi morituris dari non ieiunis ». Quam animi haesitationem minime comprobavit parochus, magis usibus quam rubricis confisus, iussitque ut ipsum viaticum tempore pomeridiano ad aegrotum deferretur. Inde quaestio suborta est quo pacto usus iste cum Rituali componeretur.

Textus iuris. — Antiquior c. 54 P. II. De Cons. ius Ecclesiae vindicat praecipiendi ut sacram communionem solus ieiunus recipiat.

In Concilio autem Constantiensi, sess. 13, Martinus V, 22 feb. 1418 Constitutione « In eminentis » statuit : « Quod huiusmodi venerabile sacramentum non debet confici post coenam, neque a fidelibus recipi non ieiunis, nisi in casu infirmitatis aut alterius necessitatis a iure vel Ecclesia concesso vel admisso ».

Itaque Concilium istud omnem infirmitatis casum lege ieiunii eximere videtur.

Strictior sonat Codex c. 858, § 1 « Qui a media nocte ieiunium naturale non servaverit nequit ad Ss.am Eucharistiam admitti, *nisi mortis urgeat periculum*, aut necessitas impediendi irreverentiam in sacramentum ».

Textum hunc si conferas cum c. 940, de *Extrema Unctione*, existimabis severius sonare. Canone enim

940, § 1, dicitur: « Extrema Unctio praeberi non potest nisi fideli qui, post ademptum usum rationis, ob infirmitatem vel senium *in periculo mortis* versetur ».

In variis editionibus Ritualis: PAULI IV, 17 iun. 1614; BENEDICTI XIV, 25 mart. 1752; PII X, 11 iun. 1913, et nunc PII XI, 10 iun. 1925, semper recurrunt verba: « Potest quidem Viaticum brevi morituris dari non ieiunis ».

Dixeris igitur sacerdotem iuvenem recte egisse dum, deficiente urgente periculo, soli ieiuno infirmo viaticum dare voluit.

Namque distinctio Viatici conferendi periclitanti ieiuno et Viatici dati post alios cibos sumptos, ipsis Ritualis et Codicis textibus saltem insinuari videtur. Ut enim Viaticum simpliciter ministretur, nec Codex urgens mortis periculum nec Rituale proximam mortem postulant. Rituale c. IV haec habet: « In periculo mortis, quavis ex causa procedat, fideles sacrae communionis recipiendae praecepto tenentur » - « Perdurante mortis periculo, Viaticum, secundum prudens confessarii consilium, pluries, distinctis diebus, administrari et licet et decet ». - « Sanctum Viaticum infirmis ne nimis differatur, et qui animarum curam gerunt sedulo advigilent ut eo infirmi plene sui compotes reficiantur ».

Similia Codex continere videtur. Canon enim 864, § 1 haec concedit « *In periculo mortis*, quavis ex causa procedat, fideles S. Communionis recipiendae praecepto tenentur » § 2: « Etiamsi eadem die sacra communione fuerint refecti, valde tamen suadendum est ut in vitae discrimen adducti, denuo communicent » - § 3 « Perdurante mortis periculo, sanctum viaticum secundum prudens confessarii consilium, pluries, distinctis diebus administrari et licet et decet ».

Hactenus textus iuris. Quid iam auctores senserint vel sentiant breviter perpendendum est.

Auctores. G. VAZQUEZ S. I. se mire severum

in hac re demonstravit. Etenim in disp. 211, c. 4. n. 34, a lege ieiunii solam excipit communionem quam in articulo mortis infirmus praecepto divino et ecclesiastico recipere debet. Quare n. 38 ss. negat infirmum pluries dein non ieiunum communicare posse, quia satis plausibilis doctrina recentiorum non sit antiquiorum doctrinae consentanea.

LUDOVICUS quidam de S. IOANNE narravit, teste Diana, Vazquezium tandem ad mitiora placita descendisse. Verum DI CASTILLO, *De Sacramentis* Tr. IV De *SS. Eucharistia* disp. 9, dub. 17, postquam haec rettulit, subiungit: « quod tamen ego qui praesens fui Compluti in nostro collegio Societatis, et ipsi Vasquio morienti et funeri; atque adeo antequam postumus liber ederetur, numquam tale quid audivi; immo et ante et post mortem constanter pro contraria sententia referebatur et in praxi servabatur a Nostris, qui frequenter quidem sed ieiunis aegrotis periclitantibus subministrabant Eucharistiam, in quem finem ego ipse, ut sic aegrotanti subministrarem, exspectavi ad mediam usque noctem non semel ».

SUAREZ, *De Sacramentis*, p. 68, §. 5 ipse satis severe loquitur, exigens, ut quis non ieiunus communicet, tum viatici necessitatem, tum grave detrimentum in servando ieiunio. « Dicendum est, ait, in mortis articulo et in solo illo licere homini non ieiuno hoc sacramentum accipere propter necessitatem, quando scilicet oportet viaticum accipere et aegrotus non potest sine gravi detrimento vel periculo ieiunus exspectare ». Facultatem istam probat sive ex divino praecepto tunc communicandi, sive ex indigentia hominis in isto periculo, cui Ecclesia censetur misericorditer consulere. Subiungit facultatem istam subsistere quamvis aegrotus possit per unam alteramve horam post mediam noctem ieiunus manere. Ipso teste, fere omnes doctores tunc semel tantum derogationem istam legi ieiunii permittebant. Piam tamen et probabilem aestimabat sententiam quae iteratam viatici sumptionem post aliquot dies concedebat. Praecepto quidem divi-

no esse satisfactum, subsistere tamen spiritualis necessitatis rationem. Sed sufficiens intervallum postulabat ut moralis novae communionis necessitas instaret.

Postea GOBAT *Oper. mor.* t. I. III Casus, multo benignius iam per mittit derogationem ieiunio, « si prudenter timeatur mors » (n. 311). « Probatur tum quia Concilium nostrum Constantiense *absolute* permittit in casu infirmitatis ; tum quia etiam in periculo mortis probabili posse quemvis per quemvis sacerdotem, etiam praesente proprio, a quibusvis criminibus absolvi, tradunt probabilissime longe plurimi... Sufficit ergo modo medicus aut, illo deficiente, unus alterve vir, femina prudens iudicent aegrum decessurum esse ex illo morbo ; seu esse valde timendum ne illa aegritudine exstinguatur et quidem sine pharmaco immortalitatis, si iam neglegat non ieiunus ». Quaestionem de iteratione benigne solvit. Etenim, recitatis sententiis, admittit in rigore viaticum a non ieiuno etiam cotidie sumi posse. « Ratio est, sic ipse, quia Concilium nostrum oecumenicum (Constantiense) l. c. hos aegros eximit a lege ieiunii naturalis ».

LUGO, *Eucharistia*, d. 15, n. 58-74, nixus consuetudine fidelium potius quam textibus iuris, concedit Viaticum a non ieiuno post septem vel octo dies iterum sumi posse, dummodo commode ieiunus manere nequeat. A nemine enim concedi ait n. 64, ut lex ieiunii cesset ei etiam qui ieiunium facile servare possit. Obligatio tamen servandi ieiunii si commode servari potest, « cum omni moderatione et suavitate accipi debet » (n. 74). Argumentum e Conc. Constantiensi ipse (n. 64) non admittit, quia nimium probaret. A Concilio enim ne periculosam quidem infirmitatem postulari, cum casum infirmitatis sine addito excipiat.

DI CASTILLO, *De Sacramentis* Tr. IV, *De Sacramento Eucharistiae*, resp. 9 dub. 17, huic difficultati

motae a Cardinali de LUGO respondet, ex more Ecclesiæ locum Conc. Constantiensis de solis infirmis periculose decumbentibus intellegi posse et debere. Ipse n. 334 affirmat a non ieiuno sed periculose aegroto viaticum toties sumi posse quoties a ieiuno sano communio licite recipitur. Quaestionem deinde de necessitate incommodi solvere non vult; sed, ait n. 337, si negas necessarium esse incommodum ut non ieiunus viaticum praeceptum recipias, perinde dicendum est de viatico ex devotione iterato. Demum n. 338 haec habet: pro infirmis periculosis non est lex ieiunii.

Secundum LACROIX, *Theol. moralis*, T. 6, parte 1, n. 601 : « Minus periculum requiritur ad Viaticum a non ieiuno sumendum, quam ad suscipiendam Extremam Unctionem ». « Conc. Constantiense et Ecclesiae consuetudo viderunt absolute a praecepto ieiunii eximere periculose infirmos si commode non possint manere ieiuni ». Quod incommodum non est scrupulose pensandum.

S. ALPHONSUS, *Homo Apostolicus* tr. 15, n. 46, ut recipias viaticum (non ieiunus) ait non esse necesse nec laudabile « exspectare tempus quando nulla amplius spes vitae subest », sed sufficere « ut adsit periculum probabile mortis ». In *Theologia morali* l. 6, n. 284, sententiae PAULI LAYMANN non repugnat, qui permittit ut post duos dies iterum a non ieiuno viaticum recipiatur, cum LUGO tamen attendendum esse putat ad consuetudinem. N. vero 285, non existimat improbabile ut infirmus, frequenti communioni assuetus, iam altera die, statim post praeceptum viaticum, eucharistiam non ieiunus iterum recipere possit. Notabile autem incommodum postulat servandi ieiunium.

Ut iam de aequalibus nostris pauca addamus:

PALMIERI, S. I. *Op. theol. mor.* ed. 3 n. 941, haec habet : « Viaticum dari posse non ieiunis, certum est. Sunt tamen qui monent, ut LUGO d. 15 n. 74, debere infirmum servare ieiunium quando commode potest. Id vero ad aliud non videtur inservire posse nisi ad turbandas conscientias. Nonne ad omnes removendas dubitationes potuit Ecclesia generali lege statuere : viaticum posse sumi ab infirmis non ieiunis, seu legem ieiunii non obligare infirmos ad mortem ? Atque ita se gessisse Ecclesia dicenda est. Nam Constantiense Conc. sess. 13 dicit simpliciter praeceptum ieiunii non obligare infirmos, nulla facta distinctione, et Rituale Romanum pariter de communione Infirmorum n. 4 dicit : *Potest Viaticum brevi morituris dari non ieiunis.* Ubi ergo lex non distinguit, non est cur nos velimus distinguere ». De iterata viatici susceptione, allegat quae S. Alphonsus habet.

LEHMKUHL, S. I. II, 220 : « Ius ecclesiasticum concedit ut infirmi qui *periculose* decumbant possint etiam non ieiuni S. Eucharistiam sumere, ut commemorat Conc. Const. sess. 13. » Secundum communem theologorum sententiam, oportet tamen ut infirmus ieiunus manere commode non possit. « Verum quodlibet incommodum rationabile sive ipsius aegroti, sive eorum qui inserviunt, sive sacerdotis, ratio est, cur observatio ieiunii negligi possit.... Durante periculo, toties quoties devotio et dispositio paenitentis hoc suadet, S. Communio ab aegroto repeti potest, ieiunio neglecto ».

Card. D'ANNIBALE, *Summula*, III, 411. « Laicis graviter aegrotantibus licet non ieiunis communicare ad *viaticum* suscipiendum » addit in nota (39) : « Nec semel tantum sed pluries, immo et cotidie, ex multorum sententia, quam non improbat S. Alphonsus, ... nec ullus negat alicuius nominis theologus... Immo

potest non ieiuno dari hodie viaticum, quamvis possit postridie ieiunus illud sumere, si vel ipse aegrotet periculose, vel parochus postridie sacris vacare debeat (CROIX, VI. I, 12). »

NOLDIN S. I. ed. 12, n. 154, ut simpliciter lege ieiunii exemptos habet infirmos gravi morbo qui cum probabili mortis periculo coniunctus est. Immo id admittit etiam in *dubio* de probabili mortis periculo « tum quia de obligatione ieiunii non constat tum quia recte praesumitur Ecclesiam velle in hoc casu favere aegroto, ne exponatur periculo decedendi sine viatico ». « Haec exemptio autem non valet de iis qui non ex morbo sed propter causam externam in mortis periculum adducuntur : nam tum concilium tum rituale de solis infirmis loquuntur. Qui ergo infirmi non sunt, ut milites ante praelium, capite damnati, etc. ante viaticum per se ieiunium servare debent. Quodsi illud absque magno incommodo servare non possunt, etiam non ieiunis viaticum dari potest. » (S. C. *de Prop. Fide*, 21 int. 1841).

PRUEMMER, O. Pr. ed. 2 et 3, II, n. 102: « Viaticum est communio sumpta in gravi periculo mortis. In mortis periculo quod provenit quacumque ex causa (ex vulnere, veneno, infirmitate, sententia iudicis) eucharistia licite sumi potest a non ieiunio. Ita ex consuetudine universali, ex Conc. Constantiensi supra citato, ex Cod. iur. can. c. 858 § 1. Hoc indultum tamen non ita intelligendum est ac si quis in periculo mortis *ex mero lubitu* possit non ieiunus communicare. Quod quidem videtur certum, si quis non graviter infirmus sumit viaticum, e. gr. milites ante pugnam, homo ante operationem chirurgicam valde periculosam, condemnatus ad mortem ante supplicium. Sed ne infirmi quidem possunt viaticum sumere non ieiuni prorsus *pro lubitu*, sine ulla ratione excusante. Etenim Concilium Constantiense aliquam necessitatem requi-

rit. » De ratione sufficiente deinde habet eadem quae Lehmkuhl.

BULOT S. I. *Compendium Theol. mor.* ed. 2, n. 355 : « Causae excusantes a ieiunio hae fere sunt.... *Periculum mortis* dico, seu quodlibet dubium prudens et grave mortis brevi futurae, nec si semel viaticum traditur, sed quoties rationabiliter conceditur ».

AERTNIJS-DAMEN, C. SS. R. *Theol. mor.* ed. 10 : « Casus excepti ab obligatione ieiunii... I. A parte hominis : 1. *In mortis periculo*, quando oportet viaticum accipere. Haec causa locum habet in periculo mortis non solum naturalis sed etiam violentae, v. g. ex sententia iudicis, quando nec anticipari potest Communio, nec differri supplicium ».

FERRERES S. I. *Comp. Theol. mor.* ed. 11. II, 438 : « Non ieiunus licite communicat : 1. in periculo mortis, ex quacumque causa proveniat... sufficit *dubium* prudens seu *probabilitas* periculi, praesertim quando timendum est ne aeger repentina morte corripiatur ».

GENICOT-SALSMANS S. I. *Institutiones Theol. mor.* ed. 8, II, 202 : « Non ieiunum communicare licet... 1. In periculo mortis probabili, ex quacumque causa proveniat... Neque videtur admittendum quod quidam docent : ieiunium ab infirmis in periculo mortis servandum esse, *si commode fieri potest.* Nam casus iste canone 858 simpliciter a lege excipitur... Patet laudabiliter servare ieiunium ante Viaticum eos qui absque notabili incommodo id possint, praesertim si nullatenus infirmi sunt, ut capite damnati ».

R. P. TUMULO S. I. *Comp. Theol. mor.* II, 337, permittit viaticum non ieiuno datum in probabili periculo mortis. De iterando Viatico vult ut consulantur statuta, usus, consuetudo infirmi.

CAPPELLO S. I. *Tract. canonico moralis de Sacramentis*, I, n. 514 : « Alia causa excusans a ieiunio eucharistico est *periculum mortis*... Excusantur... ii etiam

qui in mortis periculo degunt ob causam extrinsecam, ex. gr. capite damnati, milites pugnam inituri, etc. modo commode exspectare nequeant ut sequenti die communicent ieiuni... Qui versantur in periculo mortis non tenentur servare ieiunium, licet possint sine gravi incommodo... Si prudenter dubitetur num Titius sit revera in periculo mortis necne, sacra communio, laeso etiam ieiunio, potest ac debet ministrari; Titius vero eam recipere tenetur ».

CORNELISSE, *Comp. Theol. mor.* III n. 151, tenet periculose infirmos ieiunio simpliciter eximi; a non infirmis vero in periculo mortis ieiunium si commode possunt servari debere. *Probabile* mortis periculum ipsi sufficit.

R. P. BLAT, O. Pr. *Commentarium textus*, pristinam severitatem redintegrare velle videtur. Etenim n. 176 ad c. 858 infirmis extra urgens mortis periculum concedit tantum usum c. 858 §. 2.

Conclusio. 1. Haec historice relata si perpenderimus, facile perspiciemus a rigorosa disciplina sensim sine sensu ad satis benignos usus deventum esse.

Primo propter solum praeceptum viaticum, eucharistici ieiunii relaxationem concedebant, et quidem iis solis quibus aliter timendum erat ne sine viatico morerentur.

Deinde concessum est ut viaticum etiam iterato, post quaedam intervalla, recipi posset a non ieiuno qui aliter sacra dape privaretur.

Intervalla usque breviora postulata sunt; incommodum servandi ieiunii mitius est intellectum, donec cotidiana repetitio viatici, etiam pro non ieiunis admissa sit, et plures omnem incommodi in servando ieiunio respectum posthabere coeperint.

Satis diu nullus usus factus est argumenti e Concilio Constantiensi deprompti, ita ut VAZQUEZ severam suam sententiam tamquam communem antiquiorum

etiam post hoc Concilium proponere potuerit, et LUGO, in citata d. 15, n. 64, ipsam vim argumenti negaverit, dum benigna recentiorum sententia declarationem istius Concilii constanter appellat.

2. Sed, ut iam monebat Lugo in allegata disputatione, quaenam liceant in hac re ipsi probatorum *usus* potissimum demonstrant.

Qui usus hodie haec tuto permittunt:

a) Viaticum ei qui propter infirmitatem in periculo mortis versatur dari potest non servato ieiunio; atque etiam cotidie, secundum prudens confessarii consilium, iterari.

Neque tunc sollicitudo de difficultate servandi ieiunii habenda est. Quia tamen adhuc satis communis sententia quodpiam incommodum postulat, suadendum est ut aegrotus qui commode potest ieiunium servet.

Quare, cum agitur de infirmis, verba Codicis c. 858 § 1, nisi *mortis urgeat periculum* intellegenda sunt de quovis probabili mortis periculo. *Brevi morituri*, de quibus *Rituale*, sunt quotquot, propter periculosam infirmitatem, probabilem mortis causam in se habent.

b) Iis qui propter aliam causam in speciali mortis periculo versantur etiam dari et repeti viaticum potest. Verum ut illud sumant non ieiuni, oportet ut viaticum sine incommodo differri nequeat. Incommodum autem non debet esse eorum qui in periculo versantur, sed potest etiam esse sacerdotis qui abfuturus sit, vel etiam difficultas habendi sacras species. Hac igitur ratione *mortis periculum ipsis urgere* debet; *brevi morituri* censentur quatenus periculum mortis adsit. Quod ipsum satis late intellegi posse confirmatur responso 29 maii 1915, S. Paenitentiariae ad istud dubium: « Utrum miles quicumque in statu bellicae convocationis, seu, ut aiunt, *mobilitationis*, constitutus,

ipso facto aequiperari possit iis qui versantur in periculo mortis, ita ut a quovis obvio sacerdote possit absolvi ». *Resp.* Detur responsum diei 18 martii 1912, ad episcopum V. nempe: *Affirmative*, iuxta regulas a probatis auctoribus traditas (*Acta Ap. Sedis* 1 iun. 1915, VII, 282; vel *Periodica* VIII, 298).

c) Quia hodie formalis ratio exemptionis a ieiunio non ex implendo praecepto qua tali sed ex periculo mortis petitur, nihil impedit quin periculose aegrotus, ex devotione, non ieiunus communionem a quolibet sacerdote recipiat, dummodo serio velit viaticum praeceptum e manu proprii parochi (vel alius ex parochi seu Ordinarii licentia) suo tempore recipere.

Observatio ista valde utilis esse potest iis qui viaticum quidem iam recipere possunt sed nondum debent, et quos sollemnis receptio viatici e manu parochi conturbaret.

His dictis, ut ad casum redeamus unde haec lucubratio initium sumpsit, Titius iuvenis sacerdos bene ratiocinatus esset si ex solis verbis, accurate perpensis, Ritualis vel Codicis norma agendi colligenda foret; bene autem a veterano sacerdote correctus est, qui, receptos usus considerans, iussit ut, neglecta ieiunii possibilis consideratione, periculose decumbenti Viaticum statim deferret.

Ceterum ipse Codex, dum c. 864 § 2 suadendum dicit ut qui eadem die sacra communione refectus fuerit nihilominus, in discrimen adductus, denuo communicet, canonem 858 § 1 benigne interpretatur. Is enim qui iam antea ad s. mensam accesserit, ut moraliter certum est, viaticum non ieiunus recipiet. Nullam tamen aliam condicionem, praeter discrimen seu periculum mortis, ponit Codex ut susceptionem viatici commendaret.

III. De Extrema Unctione.

1. — In quibusdam regionibus usus antiquus permansit ungendi in ecclesia infirmos qui ad ecclesiam tuto deferri possunt. Inde *quaesitum est utrum omnes orationes quae ipsi essentiali ritui praemittuntur recitandae sint, an quaedam omittendae et quaenam.*

Resp. Quaestionem istam recens in coetu virorum peritorum agitatam novimus, quorum haec fuit sententia ut, praetermissis duabus prioribus orationibus, quae minus ad locum iam sacrum, qualis est ecclesia, conveniunt, sola recitetur tertia oratio quae in dominicali Ecclesiæ aspersione etiam dicenda praecipitur.

Itaque is erit ritus: Omittitur ℣. Pax huic domui, cum ℟. Et omnibus habitantibus in ea. — Dicitur vero: ℣. Adiutorium nostrum, etc. ℟. Qui fecit caelum et terram; — ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.— Dein: « Oremus. Exaudi nos etc. » et, dum orationem dicit, aegrotum aqua lustrali aspergit.

Modus igitur iste tuto servabitur, donec authentica declaratio de re prodierit.

2. — *Quomodo supplendae sunt omissae unctiones?*

Quando propter urgentem necessitatem unica unctio forma breviori peracta est, ipse c. 947 praecipit ut, *cessante periculo* (i. e. impedimento quo unctiones singulae praepediebantur) unctiones supplerentur. Pari modo unctio quae ex distractione omissa vel invalide peracta fuerit, suppleri debebit, nisi nimium incommodum obstet, vel aegrotus convaluerit. Itaque de ritu tunc servando iam quaeritur.

Resp. Si unctiones palam suppleantur, sacerdos cubiculum infirmi denuo ingrediens, opportune iterabit loci aspersionem post verba: ℣. Pax huic domni

R̃. Et omnibus habitantibus in ea. — Subinde, omissis orationibus, mere unget, sub forma debita, sensus praetermissos. Unctiones enim istae unam sacramenti administrationem complent. Neque orationes subsequentes iterandae erunt. Liquet, si res occulto fiat, aspersionem loci omittendam esse.

IV. De Matrimonio.

Titius et Caius matrimonio coniungi cupiunt cui obstat impedimentum a partibus ignoratum. Sacerdos impedimenti conscius facultate utitur relaxandi impedimentum, neutra praemonita parte. Celebratum subinde matrimonium eritne validum ?

Resp. 1. — Ante Codicem communior sententia tenebat dispensationem pro alio quidem peti posse, sed a momento tantum acceptationis esse efficacem. Cf. WERNZ, *Ius Decr.* I, n. 23 qui mere allegat resp. S. C. *super discipl. reg.* 15 mart. 1892, qua negatum fuit cessasse vota religiosi qui dispensationem quidem petierat, sed ante intimatam exsecutionem animum mutaverat. Verum hic agebatur de dispensatione quae dispensato onerosa esse poterat.

Acceptationem autem per se esse requisitam, gravi subesse controversiae autumabat C. D'ANNIBALE I, n. 225 et nota 26. Cf. quoque SUAREZ, *De Legibus*, l. 8, c. 25, qui sex sententias recitat et n. 26, probabilius existimat non valere matrimonium ex vi dispensationis a partibus ignoratae.

2. Efficacem esse posse dispensationem a partibus ignoratam, satis constat ex usu sanandi in radice, etiam ignorantibus partibus, matrimonia invalide propter impedimentum contracta. Demonstratur quoque c. 1133 § 2 quo renovatio consensus, a parte impe-

dimenti conscia dicitur *iure ecclesiastico* ad valorem requisita ad convalidandum matrimonium.

Codex canonicus autem, c. 37, statuit rescriptum pro alio etiam praeter eius assensum impetrari posse, atque ante eius acceptationem valere.

Attamen idem canon facultatem reservat non utendi gratia concessa. Quomodo pars ignorans dispensationem gratia ista non uti poterit?

Praeterea dispensatio ista onerosa videtur, cum omnia onera matrimonialia firmet. Onerosam autem dispensationem acceptari debere quis negabit? cf. *Epitome iuris can.* ed. 2, I, n. 170.

Denique, cum expressum legis praescriptum desideretur, nonne, e c. 10, norma a legibus latis in similibus sumenda est? Jam vero, si ageretur de convalidando matrimonio, saltem una pars, quae dein consensum renovet, certior facienda est, de impedimento. Id igitur saltem procurandum est, ut alterutra pars conscia fiat impedimenti et dispensationis. Immo, si impedimentum non est alterutrius proprium, ut crimen coniugicidii, sed utrique commune, ut consanguinitas, utraque nobis videtur monenda esse, ut utraque pars facultate non utendi gratia concessa, ad tramitem c. 37 revera fruatur.

Quare notitiam dispensationis ad valorem, saltem ob iuris ecclesiastici analogiam, suppeditari debere arbitramur. Rem tamen ambigi posse simul non diffitemur.

De efficaci Missae applicatione

Tria successive breviter perpendenda ducimus

I. Quaenam voluntas efficaci applicationi sufficiat.

II. Cuiusnam voluntas attendenda sit, solius cele-

brantis, an etiam Superioris aut stipendium offerentis.

III. Quo pacto intentio determinata esse debeat.

I. Satis hodie constat validae applicationi missae intentionem *habitualem*, i. e. semel habitam et non retractatam sufficere.

Eam intentionem sufficere negavit quidem VAZQUEZ, in 3 P. d. 138, c. 6, a n. 74, hac ductus seu potius deceptus ratione, quod talis intentio non sufficiat ut sacrificium offeratur, nec proin ut offeratur pro tali vel tali persona. Sed, ut optime observat DI CASTILLO, *De Sacr.* in genere Disp. 3, n. 132 ss. non per eandem formaliter voluntatem sacrificium offertur et sacrificium offertur pro aliquo. Priore voluntate fit sacrificium, et quia haec quidpiam efficere debet, voluntas ista actualis vel virtualis esse debet; altera autem voluntate, fructus actionis tali vel tali destinatur aut datur, et quia haec est mere dans vel disponens, mere habitualis esse potest. Cf. DI CASTILLO in laudata disputatione, ubi haec fusius versat.

Attendenda tamen est haec distinctio SUAREZII, *De sacrificio Missae*, d. 13, s. 3. Voluntas offerendi cras pro altero potest esse quasi de *praesenti* absoluta, et tum sufficit non retractata, etiamsi actu non cogites cras de ista tua voluntate. Vel voluntas potest esse quasi *de futuro*, ita ut nunc tantum sit propositum applicandi postea sacrificium tali personae, et haec voluntas non sufficit nisi postea accesserit applicatio. Distinctio huc recidit ut donatio seu oblatio facta a proposito donandi seu offerendi distinguatur. Ac veram eam esse facile concedimus. Ne tamen multis scrupulis locum det, id subiungamus, intentiones missarum ab eo qui eas mente vel scripto determinat per se concipi ut praesentes non ut futuras, ita ut verba: « cras vel tali die celebrabo pro tali persona », hoc modo nisi

positiva ratio contraria demonstretur) interpretanda sint de intentione iam nunc habita, quae iterari seu confirmari non iam debet.

II. Auctores autem habitualem istam intentionem benigne intellegunt. « Addo tamen, ait SUAREZ *Euchar.* Disp. 79 sectio 9, rarissime accidere posse casum in quo sacerdos nulli applicet hunc fructum. Nam ad hoc sufficit intentio formalis vel virtualis... Haec autem virtualis intentio vix deesse potest; nam omnis sacerdos, quando alteri non applicat sacrificium, saltem habet virtualem intentionem fruendi fructu illius. Applicat ergo sibi ipsi vel, si aliquo titulo obligatus sit ad offerendum pro alio, etiam habet unusquisque intentionem virtualem implendi obligationem suam (1). »

Id tamen ne perperam intellegas, quasi voluntas *interpretativa* certo satis sit. Interpretativam inquam, i. e. illam ad quam velles applicare si cogitares de intentione facienda. Eam *probabiliter* sufficere ait LACROIX, *Theol. mor.* n. 206 § 3, benigne id praesumens de acceptatione Dei, qui novit nostri animi comparationem. Atque allegat LAYMANN et GOBAT. Verum Laymann L. 5. tr. 5, c. 2, n. 11; et Gobat, *De sacrificio Missae*, id solum expresse volunt, missam applicari ipsi sacerdoti celebranti, si alia intentio vel ex toto defuerit vel impossibilis exstiterit. Quare qui ex iustitia missam cuipiam applicare debuerit, interpretativa intentione contentus esse non poerit.

II. Cuiusnam voluntas attendenda est.

Nemo hodie diffitebitur applicationem Missae ita semper in potestate celebrantis versari, ut ipse semper efficaciter queat nolle ad intentionem alius, sive Superioris sive oblatoris stipendii, Missam offerre.

(1) Ibi etiam egregie quaestionem de applicatione pro primo offerente tractat.

Fuit quidem olim qui existimaret a sacerdote regulari, propter sollemnem professionem, applicationem menti Superioris contrariam valide concipi non posse. Quod DIANA, Tract. I, res. 54, probabile esse arbitrabatur. Verum, ex principiis S. THOMAE, interior religiosi voluntas in nullius Superioris humani dominio versatur. Quare religiosus contra Superioris voluntatem missam applicans illicite sed valide aget.

Verum istud utilius quaeritur utrum, post solutum stipendium, applicatio missae ab intentione celebrantis an ab intentione oblatoris stipendii proxime pendeat. En tres casus qui huc pertinent.

1. Titio sacerdoti offeruntur triginta Missae celebrandae pro Caio. Sacerdos negat se posse eas tunc celebrare. Verum postea eas nihilominus celebrat, id ignorante oblatore qui positive putat eas a Titio non dici. Suntne Caio applicatae? PELLIZARIUS *(Manuale Regularium,* tr. 5, c. 9 sect. 3, n. 59), qui casum proponit, respondet affirmative, quia applicatio facta a sacerdote sufficiat. Responsum probatur a GOBAT, *De Sacramentis* tr. 3, n. 167. Nec diversum fuerit nostrum responsum. Sed, ut nobis videtur, nec applicatio oblatoris desiderabatur. Etsi enim is existimaverit Missas istas a Titio nunc non celebrari, intentionem tamen quam habebat dum eleemosynas offerebat minime revocavit, neque ullos dies ista celebratione exclusit, ita ut re vera missae secundem mentem celebrantis et oblatoris dictae fuerint.

2. Titius, recepto stipendio, intentionem oblatoris male intellexit, ita ut missam quae pro gratiarum actione petita erat, pro defunctis applicaverit. Ad quamnam intentionem re vera applicata est?

3. Caius, soluto stipendio, petit ut feria IV missa in honorem S. Ioseph celebretur. Sed pridie istius feriae intentionem mutavit et iam vult ut missa pro animae cuiuspiam refrigerio applicetur. Celebrantem tamen de mutata sua mente non monuit. Ad quam-

nam intentionem estne missa celebrata? In praeclaro suo opere *Mysterium Fidei*, R. P. DE LA TAILLE existimat auctorem stipendii iam per suam intentionem applicationem determinare, ita ut sacerdos non possit simul pro dato stipendio celebrare et diversam ab offerente intentionem concipere. Rem, ni fallor, aliter iudicaverit GOBAT, Tract. III, n. 167, ex PELLIZARIO, existimans applicationem missae semper ex celebrantis intentione proxime pendere.

Practice tamen sententiae ad concordiam revocari posse videntur. Celebrans enim hanc praevalentem intentionem habere censetur ut mentem suam ad mentem oblatoris accommodet.

Istud etiam praetereundum non est, nec controversiae locum dare posse videtur, oblatorem stipendii cui missa promissa est, ius habere ut secundum omnes eius intentiones, etiam successivas, missa celebretur. Celebranti igitur non licet arbitrio suo ad alios fines applicare missam si intentio ab oblatore expressa invalida exstiterit. Censetur enim oblator velle ut sibi vel suis prosit missa quae pro intentione expressa frustra oblata fuerit. Itaque solummodo si omnis intentio oblatoris defecerit, seu quatenus oblatori nullatenus noceat, poterit celebrans ad suam intentionem fructum specialem missae destinare.

III. De determinatione intentionis

Intentio habitualis quae applicationi missae necessaria est voluntatem praeteritam non retractatam supponit quae quondam *actu* habita fuerit et obiective in se vel in alio sit satis determinata. Indeterminata enim intentio foret donatio sine donatario. *In se* autem determinatur si dixeris: missam applico Titio, vel ei cui missam scripto destinaverim; *in alio* autem determinabitur si intentionem sic effeceris: ei applico pro quo Superior vel Titius vult ut applicetur.

Quaeritur hic utrum qui viginti missas ad plures intentiones dicere debeat, viginti istas missas *sine praestituto ordine* vel ipse celebrare vel inter varios sacerdotes distribuere possit, an contra oporteat ut singulis ordinem definiat ac dein observet.

Melius et tutius esse ut dies et missas pro singulis determinet est per se manifestum. Sed laudabilis ista cura estne vere necessaria?

Posse, per se, viginti missas collective pro omnibus offerri ita ut singulae missae omnibus pro rata prosint, hodie non ambigitur.

Negat autem S. ALPHONSUS l. 6, n. 335, satisfieri, si singula sacrificia applicentur pro singulis indeterminate, « quia ad satisfactionem requiritur intentio applicandi fructum determinatae personae ut illi prosit. Unde, sicut non consecraret qui decies proferret formam consecrationis super decem hostias cum intentione consecrandi unaquaque forma unam hostiam ex eis in confuso, ita qui applicat decem missas indeterminate ».

Recte quidem S. Doctor principium enuntiat quod controverti nequit. Sed practice res non se habent sicut in severa ista conclusione supponitur. Etenim qui, de nullo speciali ordine cogitans, viginti missas dicendas pro variis intentionibus vel ipse celebrat vel inter varios sacerdotes distribuit, non intendit indeterminate aliquam ex debitis missis offerre, sed tacitam, implicitam intentionem fovet exsequendi suas obligationes, ac proin debitum ordinem servandi.

Tacitam autem seu implicitam voluntatem sufficere, probatissimi auctores hic supra allegati docent. Si quaeras quisnam sit ordo iste tacite admissus, est ordo prioritatis, prius iuris, dein temporis. Si omnia aequalia fuerint, missae simul ad omnes intentiones celebrantur. Tradita doctrina confirmatur ipso responso *S. Paenitentiariae* 7 dec. 1892. Usus exponebatur

sanctuarii ubi multae eleemosynae missarum offerebantur; cappellani mere ad intentionem Superioris celebrabant, exceptis duabus missis pro fundatoribus, quattuor missis liberis et quattuor ad applicationem cappellani. His exceptis missis nulla specialis dies affigebatur. In fine mensis e debito missarum numero tot detrahebantur, tamquam celebratae, quot missae ad intentionem Superioris dictae essent. Porro oratori qui dubitabat de sufficienti intentionum determinatione S. *Paenitentiaria* respondit. « Dummodo missis integre satisfiat intra tempus ab ecclesiastica praxi praefinitum, nec missae retardentur quae ad certam diem vel pro urgenti causa offeruntur, Orator acquiescat ». Cf. *Analecta Ecclesiastica,* II (1894), 33.

Cum haec ita se habeant, istud inde corollarium colligimus. Solent scriptores tamquam exemplum non satis definitae intentionis hoc afferre, si quis qui ad decem intentiones celebrare debeat, mere voluerit pro una ex decem litari. Exemplum tamen istud non est verum nisi virtualiter addiderit: pro una *indeterminate.* Secus enim intentio adimplendi unam e decem susceptis obligationibus intellegitur esse intentio adimplendi eam quae ius prioritatis habet.

Ad rem R. P. CAPPELLO, *De Sacramentis* I, n. 612, Quando stipendia a multis ignotis dantur « sufficit ut sacerdos tot Missas applicet ad intentionem dantis, quot sunt stipendia percepta; neque ad valorem applicationis requiritur, ut habeat intentionem applicandi singulis iuxta ordinem temporis quo stipendia dederunt ». Quibus verbis, ni fallimur, sola intentionis explicitae necessitas negatur, quia qui ordinem non excludit censetur debito prioritatis ordine suis obligationibus satisfacere velle.

Casus de Forma Matrimonii eiusque Dispensatione

Species facti. Parochus quidam, prae zelo suo, dolebat quod a non paucis annis Titius et Caia, ambo religione catholici, in concubinatu legali vivebant. Denique tandem, ut finem isti scandaloso statui imponeret, proposuit ut ipse se in domum Titii et Caiae conferret, et coram patre et matre alterius, tamquam testibus, amborum consensum matrimonialem in facie Ecclesiae exquireret et reciperet. Negotium istud cum istis concubinorum parentibus composuerat. Titius annuit; Caia occasionem recuperandae gratiae libenter admisit. Statuta die atque hora, parochus domum ingressus est. Aderant sponsi; aderat mater, sed proh! dolor, aberat pater, nuntio telegraphico, praeter exspectationem, alio vocatus. Parochus, animo recogitans quid consilii caperet, existimavit diu concupitam et quaesitam matrimonii religiosi occasionem a se neglegi non posse. Quare, solitis interrogationibus factis, effecit ut coram se parocho et unico teste matrimonium celebraretur.

Quaestio. Inde iam **quaeritur**, utrum matrimonium valide celebratum fuerit necne; utrum parochus in casu ab observanda forma dispensare potuerit necne; utrum necne parochus bene se gesserit.

Solutio. Liquet in matrimonio isto contrahendo formam substantialem Codice praescriptam, servatam non fuisse. Pro duobus testibus qui, praeter parochum, requiruntur, unus solus aderat.

Nec minus certum est non potuisse parochum sibi ex c. 1045 § 3, ullam dispensandi facultatem ascribere. Namque etiamsi, attento dispositionis fine, existimes (contra plerosque) in c. 1045 nomine *impedimenti* etiam defectum formae intellegi posse, omnis tamen potestas parochi casibus occultis circumscripta est. Iam vero absentia unius testis non erat occulta.

Nonne autem e doctrina quam, ante Codicem, probatissimi auctores profitebantur de casu perplexo remedium peti poterat? I. e. quando, urgenti cum periculo infamiae matrimonio obstabat impedimentum occultum, quod, propter temporis angustias, dispensari non poterat, existimabant legem impedimenti quae in casu particulari nimis damnosa fiebat, ideo cessare, ita ut propter istam epikeiam matrimonium valide sine impedimenti dispensatione contraheretur.

Hodie etiam, quamvis rarissime, propter expresse factas facultates c. 1045, regulas de huiusmodi epikeia usu venire posse, concedit R. D. DE SMET, *De Sponsalibus et Matrimonio*, ed. 3. II, n. 837-839.

Dicet quispiam nos extra condiciones casus perplexi versari: periculum enim infamiae non adesse, cum agatur de personis quae famam amiserant; neque impedimentum esse occultum.

Sed respondebimus alia etiam gravissima damna, quale, in casu, perseverans concubinatus fuisset, etiam, praeter infamiae periculum, locum regulae de casu perplexo dare posse (Cf. DE SMET, l. c.); impedimentum autem seu vitium formae, materialiter quidem publicum fuisse, sed formaliter esse ignoratum a sponsis qui supponebant omnia a parocho rite fieri. Itaque, propter istam bonam fidem, re vera omnia adiuncta habentur quae applicationem casus perplexi permittunt.

His praepositis, habemus unde quaesitis satisfaciamus.

1. Matrimonium probabiliter valide contractum est propter epikeiam, qua lex cessasse dicitur. Sed sanatio in radice ad omnia secura facienda, a *S. C. de Sacramentis* petenda est. Id, in casu perplexo faciendum statuebant auctores, saltem quando impedimentum facile publicum evadere posset.

2. Potestate dispensandi a forma matrimonii carebat parochus.

3. Bene egit parochus procurando matrimonii celebrationem. Sed debuisset antea adire episcopum et omnem rem cum ipso componere. Solus enim episcopus celebrationem in domo privata permittere potest.

II. **Species facti**. Titius sacerdos delegatur a parocho ut matrimonio pro ipso assistat. Facultates tamen pro dispensandis impedimentis nec petitae nec concessae sunt. Dum accedit ad interrogationes consuetas faciendas, detegitur impedimentum occultum. Nec Ordinarius nec parochus adiri possunt.

Solutio. Titius, qua delegatus, nulla potestate dispensandi fruitur, cum nulla ei data fuerit. Nec ausi simus ad sacerdotem qui mere pro assistentia delegatur facultatem transferre quam c. 1045 soli parocho concedit.

Possitne autem ut sacerdos assistens uti beneficio c. 1045 ?

Negative respondendum est, quia c. 1098 exigit ut impossibilitas adeundi parochum vel Ordinarium per mensem duratura praevideatur. Cf. DE SMET op. c. II, 839.

Faciendum igitur quid superest ?

Sicut in casu mox soluto, sacerdos delegatus aestimet per epikeiam, ob periculum infamiae vel aliud gravissimum detrimentum, impedimentum cessasse.

Vel etiam, si adiuncta id ferant, confessionem audiat, dispenset, vi c. 1045 § 3 collati cum c. 1044, in foro interno sacramentali, ac dein, si quondam timenda sit divulgatio impedimenti, recurrat, cum licentia paenitentis, sive ad parochum, sive ad Ordinarium. Horum dispensatio pro foro quoque externo valebit.

Corollarium. Parochus delegans prudenter aget si cum facultate assistendi matrimonio conferat quoque prudenti viro quem delegaverit facultatem dispensandi in casibus c. 1044 et 1045.

PARS PRIOR

DISSERTATIONES

ET QUAESITA VARIA

De Iubilaeo anni sancti, ad totum catholicum Orbem extenso.

Introductio.

1. Bulla **Servatoris,** quae per *Acta Apostolicae Sedis*, 28 dec. 1925, p. 611 ss. promulgata est, data autem est die 25 decembris anni proxime elapsi, seu in festo Nativitatis Domini Nostri Iesu Christi, benigne statuit ut ubique terrarum, extra Urbem et suburbium, per omnem annum 1926, lucrifieri possit iubilaeum quod anno 1925 sollummodo in Urbe et suburbio lucrandum offerebatur.

Iam ab ALEXANDRO VII (1500) coepta est fieri quaedam extensio iubilaei Romani ad alias regiones, per spatium minus uno anno. FERRARIS (1), v. *Iubilaeum* art. 1, n. 27, memorat ut consuetam, extensionem per duas hebdomadas. Verum saec. XVIII, BENEDICTUS XIV (1715), PIUS VI (1776); saec. XIX LEO XII (1826); saec. XX, LEO XIII per Bullam *Temporis quidem sacri*, 25 dec. 1901 (2) indulgentiam iubilaei universo Orbi lucrandam concesserunt per sex menses.

(1) *Prompta Bibliotheca.*

(2) Bulla ista legitur data anno 1900, quia tunc Bullae dabantur ab anno Incarnationis Domini, cuius initium erat 25 martii.

Ante Alexandrum VI, partialis huiusmodi concessio facta est ab URBANO VI post promulgatum iubilaeum Romanum; concessio autem facta erat non nullis urbibus Germaniae et Bohemiae; similis gratia facta est Poloniae et Lithuaniae sed anno 1450, post finem anni sancti. Praeterea tum anno 1450 tum anno 1500 gratia alligabatur condicioni contributionis pecuniariae ad bellum gerendum contra Turcas. Cf. BERINGER-STEINEN, *Die Ablässe*, I, n. 998.

Itaque merito S. Pontifex nos monet se a superiore consuetudine recedere, dum iubilaeum per totum annum praesentem prorogat.

Annus iste computatur *civilis*. Inceptus a primis vesperis Circumcisionis, ad plenum diem 31 mensis decembris producitur.

2. Quod tum in his Periodicis tum in separato libello scripsimus de origine, de natura et de bonis Iubilaei, non est cur hoc loco repetamus. Cf. *Periodica*, t. XIII (1924-25), p. (101)-(149). Satis nobis nunc erit vim praesentis gratiae canonice perpendere et pro viribus explicare.

I. Communes iubilaei condiciones.

1. — Quibusnam lucrandum offertur iubilaeum.

« Omnibus utriusque sexus christifidelibus ubique... extra Urbem huiusque suburbium exsistentibus, etiamsi anno proxime elapso iubilaei veniam lucrati iam sint ».

Itaque excluditur Urbs et suburbium (1), quia in illo territorio iubilaeum anno superiore celebrabatur.

Verum, extra Urbem et suburbium Urbis, iubilaeum *omnibus* prostat, etiam Romanis incolis vel

(1) Sicut observabamus p. 10 nostri tractatus de iubilaeo, suburbium ab agro Romano distinguitur. Officialis descriptio huius distinctionis habetur. Omnes diocesis Romanae paroeciae exstant in suburbio, licet quaedam, v. g. paroecia S. Pauli extra muros, limites ultra suburbium in agro romano extensos habeant.

advenis. Namque, si alii qui Romae iubilaeum lucrati sunt idem extra Urbem acquirere possunt, cur excluderemus solos Romanos cives? Ceterum, quando se in aliam regionem conferunt nonne ibi exsistunt? Iam vero, si verba Bullae memoremus, nonne omnibus *exsistentibus* extra Urbem et suburbium indulgentia offertur?

Confirmamur solutione quam de iubilaeo anni 1901 dedit THOMAS ARRIZOLI (1) dub. VII, p. 9. Quamvis enim bulla *Temporis quidem*, qua LEO XIII extensionem iubilaei concedebat, solos illos explicite nominabat « qui forsan anno elapso *Romam venerunt* », ipse nullam rationem adesse existimavit cur ceteri excluderentur: ne quidem Romani « saltem si alibi habeant domicilium vel quasi-domicilium ». In praesenti autem Bulla omnes qui sive Romae sive alibi (quia, v. g. inter impeditos censebantur) iubilaei indulgentiam consecuti sunt, iterum nunc iubilaeum acquirere possunt. Nulla igitur ratio superest maioris severitatis pro incolis Urbis.

2. — **Quaenam opera sunt iniuncta?** 1. Praecipitur **confessio** intra annum 1926 peragenda, quae *non* sit *sacrilega* aut invalida, et sit *distincta a* confessione annatim *praecepta*.

Etiam qui sola venialia accusanda habeat confessionem istam instituere debet. Hoc, iam antea inter *Monita* anno 1900 excerpta e Constitutionibus Benedicti XIV, n. XII declaratum, nunc etiam constat e Bulla *Si umquam*, 15 iul. 1924, n. XII, de iubilaeo anni sancti. Is tamen absolutione non indiget.

Confessio ista *ubique* peragi potest.

Ab ea non possunt dispensari nisi graviter ae-

(1) *Dubia et responsa super extensione ad universam Ecclesiam iubilaei in Urbe celebrati anno 1900*. Romae, 1901.

groti qui morbo (non alia causa) impediantur: ita praesens Bulla.

Cum autem aegrotis morbo oppressis summaria, immo uno verbo vel signo facta confessio permittatur, casus huiusmodi impedimenti erit rarissimus. Possit tamen accidere ut aegrotus scrupulis vel anxietate nimia laborans, mentione facta peragendae confessionis nimis perturbaretur idque cum damno valetudinis. Is dispensari possit.

2. Praecipitur **s. communio**, *non sacrilega*, recipienda intra annum 1926, *distincta a* communione *paschali*. Sufficere autem potest communio per modum viatici (1).

Communio *ubique* peragi potest.

Praesens Bulla facultatem dispensandi ab hac condicione non tribuit nisi erga eos qui gravi morbo impediantur. (Cf. n. IV in fine ubi de commutandis operibus iniunctis.)

De *pueris* nondum admissis ad primam communionem nullus fit sermo, quia ex quo sunt capaces doli, ad sacram mensam nunc invitati sunt. Si igitur in aliqua regione, S. Sede id permittente, aetas primae communionis servetur distincta ab aetate qua usus rationis possidetur, facultas dispensandi cum istis pueris deberet a S. Sede impetrari.

3. — **Praecipiuntur visitationes ecclesiarum**. *Semel in die*, per *quinque* continuos vel seiunctos dies, sive naturales sive ecclesiasticos, *pie visitandae* sunt ecclesia loci *principalis* et *tres aliae* ecclesiae vel oratoria publica legitime designanda.

Semel in die: visitatio pluries facta erit laudabilis; sed non necessaria ad lucrandum iubilaeum, neque utilis ad eximendum ab aliis visitationibus.

---

(1) Id declaratum est Constitutione *Si umquam*. ARIZZOLI, p. 21, hanc rationem addit, eam communionem non cadere sub praeceptum *ecclesiasticum*.

In die : in eadem die quattuor ecclesiae visitandae sunt, vel, in locis ubi una tantum ecclesia visitanda est, quattuor visitationes erunt in ea ecclesia instituendae. Ita iam hanc condicionem interpretabatur BENEDICTUS XIV, C. *Inter praeteritos*, § 2.

Dies esse potest tam *naturalis*, a media nocte ad mediam noctem, quam *ecclesiasticus*, qui, cum agitur de indulgentiis, a meridie ad mediam noctem diei proxime sequentis protrahitur.

Sicut in tractatu de iubilaeo dicebamus, tempus sumi potest aut *locale* sive verum sive medium (quod horologia indicare solent), aut *legale* sive regionale (seu per zonas pro pluribus Europae electum secundum meridianum Greenwich), sive aliud extraordinarium, puta aestivum. (Id etiam probatur BERINGER-STEINEN, *Die Ablässe*, I, 128.)

Per quinque continuos vel seiunctos dies. Id est per quinque dies qui, dummodo sint distincti, possunt alter alterum continuo excipere, vel intervallo separari.

Huc redit quaestio de qua, p. 15 *Tractatus de iubilaeo*, scribebamus, utrum necne visitationes factae partim ut in die naturali, partim ut in die ecclesiastica possent arbitrio fidelium considerari ut factae in una die vel in duabus diebus ? Id est, pars pomeridiana diei secundum supputationem ecclesiasticam pro indulgentiis est duobus diebus communis : pertinet ad diem cuius nomen civile retinet : v. g. est dies Martis : et pertinet etiam ad posterum diem civilem, seu, in casu, ad diem Mercurii. Quaeritur igitur utrum post meridiem unius diei civilis visitationes ecclesiarum utiliter pro duobus diebus fieri possint. Hoc saltem a *S. Paenitentiaria,* monito XV pro anno sancto (31 iul. 1924) expresse admissum est, ut completa quarta ecclesiarum visitatione, a meridie iteraretur visitatio ecclesiae postremo loco visitatae, ad inchoandam seriem visitationum insequentis diei. Neque quidquam

obstat ne inchoata bene series, eodem die civili compleatur. Id unum dubitari potest, num, post meridiem eiusdem diei civilis, visitationes statim in singulas ecclesias iteratae pro duobus diebus utiles esse queant. Id negat ARIZZOLI, op. c. p. 22 nota 18, quia visitationes fieri iubentur diebus *continuis* vel *seiunctis*. Factae autem iisdem horis quae diebus diversis assignarentur, regula ista violaretur: dies isti forent inter se *permixti*. Propter rationem istam, quae nobis non spernenda videtur, tutius saltem arbitramur ut nova series non inchoetur nisi post absolutam praecedentem.

Anno 1901, ex praescripto LEONIS XIII, quattuor visitationes debebant per *quindecim* distinctos dies fieri, ita ut summa sexaginta visitationum imperaretur, dum nunc viginti sufficiunt.

Pie visitandae sunt ecclesiae: ergo animo colendi Deum, quem quidem animum ipsa exterior reverentia aliquo modo patefaciat (cf. tract. nostr. p. 16. 17, et *Monitum* XV, *S. Paen.*)

Si portae ecclesiae sint clausae, vel si ob aliam causam, v. g. ob multitudinem hominum, ingressus prohibeatur, ipsa S. Paenitentiaria, anno superiore in monito XV declaravit satis esse « ad earum fores vel gradus Deum exorare ».

Observes autem visitationem non iterari nisi ab eo qui priorem visitationem vero egressu ex ecclesia concludat, et dein iterum ecclesiam ingrediatur. Ubi igitur ad fores ecclesiae peraguntur visitationes, opus erit ut a foribus istis recedas et iterum ad eas accedas, si volueris, v. g. peracta una visitationum serie, post meridiem alteram utiliter inchoare.

Ecclesiae visitandae sunt vel oratorium publicum. Publicum est oratorium quod tempore saltem divinorum officiorum omnibus fidelibus patet. Cf. C. 1188, § 2, 1°.

Quaenam ecclesiae visitandae sunt?

a) In civitate episcopali ecclesia *cathedralis;* ecclesia *principalis* in aliis locis. Talis erit profecto, in quasi-dioecesibus missionum, ecclesia quae quasi cathedralis dici potest pro Vicario Apostolico vel Praefecto Apostolico. Et quia ecclesia ista in ipsa Bulla designatur, huic, in isto loco, alia substitui non possit sine indulto Apostolico.

Ubi unica est paroecia, ecclesia parochialis habenda est ut principalis (*S. Paenitentiaria,* 31 aug. 1826, apud ARIZZOLI, p. 12). Ubi res est in incerto posita, sive quia plures sunt paroeciae sive quia nulla est in loco paroecia, res committitur Episcopo vel quasi episcopo prudenter definienda.

b) *Tres aliae ecclesiae*, quas episcopus per se ipse vel per alios ecclesiasticos viros designaverit. Designatio ista per se spectat ad Ordinarium loci, ac proin nullo pacto ad Praelatum regularem, qua talem, etiam pro suis subditis. Id ceterum respondit S. *Paenitentiaria* 15 dec. 1886 (apud ARIZZOLI, p. 12, dub. XIV). Sed Ordinarius loci designationem permittere potest variis viris ecclesiasticis in suo territorio, potissimum vicariis foraneis seu decanis et parochis. Atque hanc potestatem etiam, si libuerit, per integrum annum utendam facere potest. (Ita ipsa Bulla in priore parte.)

Itaque designatio ista per annum variare poterit, ut v.g. per tres menses hae ecclesiae, per tres alios, aliae ecclesiae designentur.

Possuntne autem, v. g. in magna civitate, praeter ecclesiam principalem quae ab omnibus loci incolis visitanda est, aliae tres ecclesiae in alia civitatis parte designari? Huic divisioni nihil obstare arbitramur. Confirmamur responso *affirmativo* quod anno 1826, die 29 iulii, *S. Paenitentiaria* dedit ad quaestionem: « An possit Ordinarius, praeter ecclesias

urbanas, assignare, sine licentia Pontificis, alias extra urbem in campis exsistentes, in commodum eorum qui longe ab urbe degunt? » (Apud ARIZZOLI, p. 13, nota 6).

c) In locis ubi non sint quattuor ecclesiae vel oratoria publica, Ordinarii per se vel per suos delegatos decernet quo pacto in minore aedium sacrarum numero, visitationes peragendae sint. V. g. ubi unica est ecclesia, quattuor visitationes singulis diebus in ea fiant; ubi duae sint, imperare poterit ut ambae bis in diebus singulis, vel una ter, altera semel visitetur.

Possint etiam in locis ubi desint quattuor ecclesiae, designari ecclesiae ad plura loca vicina pertinentes. Hoc colligimus ex resp. *S. Paenitentiariae*, quo, 27 iulii anno 1886, ratam habuit ordinationem Archiepiscopi Camerinensis qua vicarii foranei, de consensu parochorum, statuere possent ecclesias diversarum parochiarum, in locis ubi quattuor deessent ecclesiae.

Possitne Ordinarius loci praetermittere ecclesiam *regularem*, ubi altera nulla sit praeter ecclesiam parochialem, vel ubi sine ea non essent tres ecclesiae visitandae?

Id negandum arbitramur. Vi Bullae enim, ubi quattuor sint ecclesiae, quattuor visitari debent. Quare, ubi copia habeatur, nequit Ordinarius loci pauciores quam tres, praeter principalem designare.

Quid si in loco ubi duae tantum sint ecclesiae, altera sine magno incommodo propter distantiam visitari nequeat? Integrum tunc erit Ordinario loci vel eius delegatis unam tantum designare, viciniorem pro utraque parte loci.

Quid, si in loco *nulla* habeatur *ecclesia*, ut facile accidit in missionibus exteris?

Tunc, si grave fuerit incommodum visitandi eccle-

siam viciniorem, poterit Ordinarius loci agere cum incolis sicut cum impeditis de quibus infra. Poterit v. g. praecipere ut adeant locum ubi preces communes recitari consueverunt et missionarius interdum sacrum celebrat.

Quasnam ecclesias visitare debent peregrini?

Peregrini visitare debent ecclesias locorum ubi exsistunt. Possuntne visitationes praescriptas in variis locis peragere? Dummodo, singulis diebus quibus ecclesias visitare cupiunt, designatas unius loci ecclesias visitent, nihil rei obstare arbitramur. Possint igitur una die visitare ecclesias designatas Florentiae, alia die ecclesias designatas Fesulis.

Confirmamur responso *S. Paenitentiariae* 15 ian. 1886: « posse lucrari iubilaeum eos qui condiciones praescriptas partim in una dioecesi, partim in alia quacumque ex causa adimplent aut perficiunt, si observent ordinationes Ordinariorum locorum ». (Apud ARIZZOLI, p. 20.)

Observes, cum delegatio permittatur Ordinariis locorum, in quorum numero sunt etiam *Vicarii generales*, hi quoque, nisi resistat Antistes, poterunt per se vel per alios ecclesiasticos viros ecclesias designare. Idem poterunt etiam *Vicarii delegati*, qui in Vicariatibus vel Praefecturis Apostolicis in locum Vicariorum generalium nominantur.

4. — **Preces ad mentem Pontifices** *fundendae sunt.* Eadem porro est *mens Pontificis* in hoc iubilaeo atque in iubilaeo anni sancti : evangelicae fidei propagatio; populorum pax et concordia; congruens Ecclesiae catholicae iuribus ordinatio sanctorum Palestinae locorum.

Ceterum, ad effectum iubilaei consequendi necesse non est ut fideles norint quaenam sit mens Pontificis; satis est ut confuse, secundum istam mentem orare voluerint, seu ut preces fundere velint sicut requiritur

ad indulgentiam obtinendam. Cf. monitum *S. Paenitentiariae* n. XVI (1924).

Praescripta opera iam per se, natura sua, fiunt ad gratias impetrandas quas Pontifex definivit.

Orandum est oratione *vocali*, pro fidelium arbitrio deligenda. Mentalis non sufficit. Cf. ibidem.

Quantum orandum sit, nondum est definitum. Sed ipsa S. Paenitentiaria eodem Monito sententiam esse communem affirmavit, quae contenta est quinquies recitata oratione dominica, angelica salutatione et doxologia.

Ubi orandum sit non dicitur. Quare, sicut *S. Paenitentiaria* declaravit de iubilaeo anni sancti, eodem Monito: « preces, quamvis in singulis visitationibus iterari pie soleant, ab his tamen seiungi possunt ».

Quotiens preces istae fundendae sunt? Neque de hac re authenticam responsionem novimus.

Tres, per annum sanctum, proferebantur sententiae.

a) Quotiens visitandae sint basilicae totiens ad mentem Pontificis orandum est.

b) Semel orandum est singulis diebus quibus visitationes peraguntur.

c) Satis est semel preces istas recitare pro singulis iubilaei acquisitionibus.

Sententia sub littera *b)* posita nobis placuit et placere pergit. Medium enim locum tenet inter sententiam extreme severam et sententiam extreme benignam. Dein magis quadrat ad litteralem textus expositionem. Quod magis perspicuum fit praesenti Bulla, in qua verba « semel in die » minus distant a verbis « supplices Deo preces adhibuerint ». His enim Pontifex gratiam iubilaei concedit qui « semel in die, per quinque continuos vel disiunctos dies, cum naturales tum ecclesiasticos, ad canonum normam computandos, pie inviserint (ecclesias designatas) et ad mentem Nostram supplices Deo

preces adhibuerint ». Qui haec legat animo vacuo praeiudicata opinione, nonne ultro haec inferet: Duo praestanda dicuntur semel in die, per quinque dies: visitationes ecclesiarum et preces ad mentem Pontificis?

Atque, ut declaratum est de iubilaeo anni sancti, dispensati a visitationibus non debent totiens preces istas iterare quot visitationes dispensatae sint. Quare qui ab omnibus sit dispensatus condicioni satisfaciet semel orando ad mentem Pontificis.

II. **Observationes de operibus iniunctis**

1. Non refert *quo ordine* opera praestentur.

2. Neque omnia opera *in statu gratiae* facienda sunt. Status gratiae requiritur ante sacram communionem ; et necessarius est cum ultimum opus impletur. Nec necesse est ut status iste gratiae in fine operum obtineatur per absolutionem sacramentalem. Actus perfectae contritionis sufficiens est.

Ambo haec constant ex declarationibus S. Paenitentiariae pro anno sancto.

3. Sine affectu soluto ab omni veniali culpa, iubilaeum plene acquiri nequit. Sed, ut ait S. ALPHONSUS, *Theol. mor.* L. VI, n. 534, « Pontifex censetur illam (indulgentiam) concedere secundum capacitatem subiecti, ut remittatur saltem poena venialium illorum quorum culpa remissa est ». Habetur tunc illa conversio indulgentiae plenariae in partialem, peculiaris rationis, de qua, per occasionem c. 926 diximus in *Theol. mor.* t. 3, n. **619.** Haec dici potest plenaria pro peccatis remissis quod ad culpam.

III. **Quotiens indulgentia iubilaei obtineri potest.**

Nunc, ex perspicuis verbis Bullae *Servatoris*, unusquisque **bis** indulgentiam adipisci potest, « idest primum aut sibi aut animis defunctorum expiandis,

secundo autem in horum tantummodo levationem ».

LEO XIII, sua C. *Temporis quidem*, indulgentiam semel tantum concesserat; et tunc temporis non poterat pro defunctis applicari.

IV. Provisiones particulares pro quibusdam personis.

I. — *Una die*, quinquies visitando praecipuam loci ecclesiam ubi iubilaeum lucrari velint, et ceteris praescriptis satisfaciendo, iubilaeum *semel* lucrari possunt isti qui, per annum, fere semper navigant iterve faciunt. Huiusmodi sunt nautae, in mari vel flumine, et qui officium suum in curribus viae ferreae habitualiter exercent.

Huiusmodi per se (salva benigniore declaratione) non sunt qui eandem civitatem seu locum continuo circumeunt in curribus dictis a « tramway ». Hi enim non faciunt *iter*. Dixerim tamen eos fere simili difficultate laborare qua conducti ministri curruum viarum ferrearum, nisi propter varias leges quae fere ad octo horas tempus utile laboris definierunt, res ipsis planior evaserit.

Quia ipsis *semel* tantum permittitur privilegiata ista ratio adipiscendi iubilaeum, pro altera consecutione stare debent iure communi.

II. — Impeditis **visitationes** dispensando commutari possunt.

1. *Quinam facultate dispensando commutandi donentur.* Facultas conceditur Ordinariis locorum, quam per se vel per vicarios foraneos, per praelatos regulares, quod ad eorum subditos, per parochos vel confessarios in dioecesi approbatos etiam ut *habitualem* et *extra confessionem* exercere possunt.

Quia non restringitur facultas confessariorum ad paenitentes, commutationes a quolibet confessario peti possunt, dummodo sit ab Ordinario loci delegatus.

2. *Quo spectet facultas facta?* Vi istius facultatis, pro rerum personarumque necessitate: *a*) numerus visitationum contrahi et reduci potest; — *b*) concedi potest ut visitationes non sint faciendae eodem die, sed ut possint seiungi seu distribui inter plures dies; — *c)* visitationes dispensando commutari possunt in alia religionis, pietatis, caritatisve opera, non aliunde sub peccato debita.

Sub peccato debita sunt etiam quae ex voto facta sunt necessaria. Haec igitur etiam exclusa sunt, dummodo definite ut talia opera cadant sub votum; non igitur si mere ut *perfectiora* debeantur post votum faciendi quod perfectius est. Id addimus, quia aliter omnis commutatio voti faciendi perfectiora fieret impossibilis: quod cum mente legislatoris pugnare videtur.

3. *Quinam sunt impediti* quibuscum facultates exerceri possint. Impediti alii sunt *iure* tales, alii *prudenter ut tales habendi sunt.*

a) *Iure tales* sunt omnes *religiosae* et *tertiariae regulares* (minime tertiariae saeculares); - omnes *personae in gyneceis seu conservatoriis* degentes: v. g. convictrices, familiares; non alumnae externae, quae noctu se in proprias domos recipiunt; - *regulares* potius *vitae contemplativae* quam apostolicae seu externe activae dediti: ut Cistercienses reformati B. M. V. de Trappa, Eremitae Camaldulenses et Carthusiani; - *captivi*, in carcere custoditi; etiam *ecclesiastici viri* vel *religiosi viri qui* emendationis causa in coenobiis vel aliis domibus *detinentur*; - *operarii* sicut in C. *Apostolico Muneri*, 30 iul. 1924: « qui cotidiano sibi victum labore comparantes, nequeunt se ab eo per tot dies atque horas abstinere »; - qui domi aut in nosocomiis sive morbo sive imbecilla *valetudine laborant;* - quotquot *aegrotis adsunt;* - *senes* qui aetatem 70 annorum excesserint.

Ut ipsa *S. Paenitentiaria* declaravit, operarii ii soli intellegi possunt qui laboribus servilibus addicti sunt. Minus tamen refert utrum proprio nomine an ab alio conducti opera ista exerceant.

b) *Prudenter* his accenseri possunt quotquot *certo impedimento prohibentur* quo minus statutas visitationes obeant.

In Bulla *Apostolico muneri*, impediti taxative numerabantur. Inde declarationes satis severae, v. g. quibus non censebantur impeditae uxores quae, deficiente consensu mariti, Romam se conferre non poterant. Deerat clausula quae hic legitur: « quotquot certo impedimento prohibentur ». Nunc igitur latius sumi potest et debet vox *impediti*. Sed, dum in C. *Apostolico Muneri* substitutio aliorum operum simpliciter concedebatur, hic ad rationem impedimenti proportionanda est dispensatio seu potius commutatio visitationum.

III. — **Facultas fit minuendi numerum visitationum pluribus qui, instituta pompa, collective incedant**. 1. *Quinam facultate minuendi numerum praediti sunt?*

Omnes supra dicti, p. (136), ad arbitrium Ordinarii loci.

2. *Quibusnam imminutio concedi potest?*

a) *Collegiis* auctoritate ecclesiastica approbatis, sive clericalibus sive religiosis. Collegia ista sunt in primis personae morales collegiales, quales capitula cathedralia et collegiata, communitates religiosae; sunt etiam, ni fallimur, latiore usu, institutiones ubi praeparantur clerici vel religiosi: seminaria, scholae Apostolicae et similia.

b) *Confraternitatibus, piis Unionibus*, iis (non aliis) laicorum *consociationibus quae catholica opera provehere student.*

Confraternitates, hodie sunt fidelium associationes ad modum corporis organici constitutae, in incrementum publici cultus (arg. c. 707).

Piae Uniones sunt generalius omnes consociationes institutae ad exercitium alicuius operis pietatis aut caritatis (cf. eundem canonem), sive erectae sint in personam moralem, sive saltem ab Ordinario approbatae sint. Laicorum consociationes provehendis catholicis operibus sunt, v. g. sic dictae « conferentiae » S. Vincentii a Paulo, in Italia *Giunta diocesana*, *Unione cattolica degli uomini, delle donne;* alibi *associations de la jeunesse catholique*, etc.

c) *Adulescentibus* qui in collegiis vivunt, vel institutionis educationisque gratia, eadem cotidie aut statis diebus celebrant. Itaque non soli convictores sed etiam qui externi dicuntur hoc nomine comprehenduntur.

d) *Omnibus* Christifidelibus, *duce parocho* vel sacerdote quem parochus delegaverit.

Itaque alii ex natura Instituti ad quod pertinent, seu ut ita dicamus *ab intrinseco*, alii ex duce quem sequuntur seu *ab extrinseco*, beneficii praesentis fiunt participes. Ac manifestum est solos qui ad collegium seu consociationem pertinent reductione visitationum frui posse. Quod tamen satis late intellegi posse eruimus e responso *S. Paenitentiariae*, 26 maii 1826, declarante cum Capitulo adiungi posse omnes in ecclesiae ministerio aliquo modo addictos (apud ARIZZOLI, p. 25).

Quid autem de Christifidelibus qui se adiungant *alieno parocho?*

In C. LEONIS XIII, *Temporis quidem*, II, visitationes institui debebant « cum proprio parocho aut sacerdote ad eo deputato ». Nunc vero, omissio vocis « proprio » benigniorem interpretationem permittere videtur, ita ut quilibet utiliter sequi possit pompam

quam ducat aliquis parochus vel delegatus ab ipso sacerdos. Confirmamur declaratione *S. Paenitentiariae* 4 febr. 1875, qua privilegio Capituli frui dicebantur omnes personae, etiam ceterarum paroeciarum totius civitatis episcopalis, si in processionali visitatione Capitulo adiungerentur. (Apud ARIZZOLI, p. 25.) Ceterum quomodo peregrini processionaliter incedere possint nisi duce parocho alieno? Constat tamen a peregrinis iubilaeum acquiri posse si stent condicionibus territorii ubi sint.

Observes etiam, cum agitur de variis collegiis seu consociationibus, non requiri ut agmen a sacerdote ducatur. « Stat, ait ARIZZOLI. p. 26, adagium: in praxi non esse quod in bulla non sit. »

3. **Condicio omnibus communis** est ut per publicas vias collective incedant, instar pompae. Non iam requiritur ut collegiales seu confratres insignia sui collegii seu confraternitatis ferant. Nec preces alta voce fusae vel incessus silentio necessaria sunt: quamvis haec omnia per se sint laudabilia. Curandum enim est ut ipsa devotione testes aedificent et se disponant ad indulgentiam plene consequendam.

Si tamen copia non fuerit sic incedendi per publicas vias, Ordinarius vel eius delegati (ut supra) possunt nihilo minus visitationum numerum contrahere et reducere, dummodo intra aedis sacrae saepta, aut pompa ducatur aut saltem visitatio sollemniter communiterque fiat ab omnibus ibi una congregatis.

Id possunt, ob quamcumque causam copia desideretur. Copia autem deficere potest sive propter vetitum potestatis publicae, sive propter periculum iniuriarum et vexationum, sive propter viarum impedimenta, v. g. in magnis civitatibus.

Quid, si, v. g. ex tribus visitationibus collective faciendis, quispiam unam solam fecerit? Quot visitationes ipsi faciendae superfuerint?

Vel Ordinarius (aut eius delegatus) declaravit quot privatae visitationes singulis collectivis visitationibus supplerentur: tunc iste numerus visitationum privatarum e summa obligata deduci potest. Si autem nihil tale declaratum fuerit, unica haec visitatio collectiva nihil plus valebit quam si fuerit privata.

Observes etiam nihil obstare quin parochus, propter maiorem commoditatem populi, plures pompas instituat quam lucrando iubilaeo sint requisitae.

Reductio numeri visitationum debet esse *rationabilis*. Cum praesenti Bulla solae quinque series imperentur privatim peragendae, reductio erit minor quam potuit esse cum imperarentur quindecim. Si quis dubitet de opportuna reductione, consulat praxim aliorum. (Ita *S. Paen.* 15 febr. 1875, apud ARIZZOLI, p. 18 nota.) Ternarius numerus videtur per se commendandus.

Observes quoque solum facultatem datam esse reducendi *numerum visitationum, non* autem *ecclesiarum* visitandarum. Quare Ordinarius non videtur posse indulgere (ubi quattuor ecclesiae sint designatae) ut collectiva visitatio fiat tantum ad unam alteramve ecclesiam. Sic etiam ARIZZOLI, p. 17, dub. 23.

V. **Facultates confessariorum**

I. *Quibusnam dentur istae facultates.*

Dantur facultates confessariis ad normam iuris approbatis. Itaque, cum agitur de paenitentibus saecularibus, approbatis ab Ordinario loci; cum agitur de religiosis exemptis, confessariis approbatis sive ab Ordinario loci sive a Superiore religionis clericalis exemptae.

Moniales tamen seu feminae quae ex Codice confessionem apud specialiter approbatos peragere debent, possunt iubilaei confessionem (nullam aliam)

peragere apud quemlibet confessarium pro utroque sexu ab Ordinario loci approbatum.

Quia bis conceditur facultas lucrandi iubilaeum, videntur bis frui ista facultate, id est semel pro singulis consecutionibus indulgentiae iubilaei. (Sic etiam ARIZZOLI, dub. 50, p. 33.)

Quamvis facultas optionis data videatur solummodo inter confessarios pro utroque sexu approbatos, censemus clausulam esse hoc modo intellegendam, ut applicetur etiam ad confessarium qui re vera non habet iurisdictionem nisi pro sequiore sexu. Id enim solum referre videtur, ut ab optione quae fieri sinitur periculum damni avertatur. Ponas, v. g. cappellanum monasterii qui nullam aliam iurisdictionem postulaverit.

II. Facultates exercendae sunt **in excipienda confessione iubilaei.**

Quid est iubilaei confessio? Est stricte, confessio qua quis condicioni confessionis requisitae satisfacere intendit. Est minus stricte sed proprie tamen, confessio quam quis peragit dum habet intentionem lucrandi indulgentiam iubilaei. Est latius confessio quamquis, antequam indulgentiam lucratus sit, iterat, servando semper intentionem lucrandi iubilaei, v. g. ut erga ipsum confessarius quibusdam facultatibus suis uti possit. Paucis: est confessio in qua quis vel condicioni iubilaei satisfacere intendit vel legitime postulat aliquem usum facultatis per iubilaeum concessae.

Verum, cum agitur de optione data monialibus, confessio iubilaei stricte intellegenda videtur de confessione *semel* instituta cum intentione lucrandi iubilaeum. A mente Pontificis alienum videtur ut monialis plus quam semel utatur facultate eligendi confessarium; plus quam semel, ut diximus, pro singulis acquisitionibus iubilaei.

III. **Quaenam facultates** *a confessariis possidentur?*

1. Ipsi servant *omnes facultates quas antea* legitime *impetrarant.* Eas, ex ipso Bullae tenore, cumulate cum iis quae occasione iubilaei conceduntur exercere possunt. Ac pluries quidem pro eodem paenitente iis facultatibus, sive omnibus sive aliquibus tantum, valide et licite uti possunt.

2. *Peculiares* iubilaei *facultates* adduntur.

A) *Circa censuras et reservationes.*

Confessarii absolvere possunt a quavis censura, a iure vel ab homine, occulta aut publica, reservata ab Ordinario sibi, aut a iure simpliciter vel speciali modo reservata S. Sedi vel Ordinario: « iniuncta tamen salutari paenitentia aliisque de iure iniungendis ».

Confessarius autem, si quem a censura publica aut ab homine absolverit, ipsum moneat paenitentem, licere quidem ut etiam in actibus fori externi se gerat ut absolutum, sed *remoto scandalo;* atque integrum manere Superioribus suis ut censuram in foro externo urgeant, nisi, v. g. propter sinceram eius declarationem, eum legitime absolutum praesumant, vel admittant scriptum, cum licentia paenitentis, testimonium confessarii de collata absolutione.

Praeterea cavere debet confessarius ne quemquam publica censura irretitum Deo in foro interno reconciliet nisi quem paratum invenerit saltem intra sex menses Ecclesiae satisfacere, scandalum damnumque reparare (*Bulla,* III).

Iidem confessarii absolvere quoque possunt ab excommunicatione *specialissime* S. Sedi reservata confessarium qui non plus semel vel bis attentaverit absolutionem complicis in peccato turpi. Atque, ex responso *S. Paenitentiariae* die 5 martii 1925 (*Periodica,* t. 14, p. 38.39) intellegi potest delictum bis attentatum et nondum remissum, neglecta consideratione

delicti antea semel vel pluries attentati sed iam absolutione remissi. — Sacerdoti autem paenitenti praecipere debent: *a*) ut complicem, si redierit ad confitendum, moneant de nullitate absolutionis datae et consequenti necessitate iterandi confessionem vel confessiones apud alium confessarium competentem; *b*) ut, occasione relapus remota, abstineat audienda complicis confessione, quoad sine scandali et infamiae periculo fieri poterit.

Nisi ad normam c. 2254, i. e. in solis casibus urgentioribus et iniuncto onere recurrendi, sub poena reincidentiae, intra mensem, saltem per epistolam et confessarium, reticito nomine, ad *S. Paenitentiariam* vel ad habentem facultatem et standi eius mandatis, absolvere possunt paenitentes a censuris specialissime reservatis, vel a violato secreto S. Officii vel altero simili. (Alterum simile erit secretum servandum in Congregatione Consistoriali circa informationes de novis episcopis, et secretum servandum in Secretaria Status.)

Nec facultatem absolvendi sine onere recursus exercere possunt circa praelatos cleri saecularis ordinaria iurisdictione in foro externo praeditos, Superioresque maiores religionis exemptae, qui *publice* inciderint in censuram Romano Pontifici specialiter reservatam. Praelati iurisdictione ordinaria in foro externo praediti sunt non tantum Episcopi vel quasi Episcopi, sed etiam Vicarii generales.

Praeterea de tribus reorum generibus quaedam peculiariter caventur.

a) « *Haeretici*, praesertim qui fuerint publice dogmatizantes, ne absolvantur nisi « abiurata saltem coram ipso confessario haeresi, scandalum, ut par est, reparaverint ».

Haec ita intellegenda putamus. Reparatio scandali ab omnibus exigenda est: est condicio iuris

naturalis. — Abiuratio plus vel minus formalis et sollemnis pro vario casu exigetur. A multis, qui mere propositiones haereticas in privatis colloquiis emiserint sed non vulgo ut haeretici habentur, sola exigetur retractatio cum actu fidei in ipsa confessione.

Si vero palam sese declaraverint haereticos, multo magis si errores spargere studuerint, confessarius postulabit, saltem coram se, sed extra confessionem, abiurationem cuius dein documentum scriptum ab abiurante subscriptum ostendere possit.

Ascriptis sectis massonicis vel id genus vetitis, ea praestare debebunt quae communiter ab iis exigi debent: abiurationem saltem in foro interno, recessum a secta et remotionem scandali. Solet praeterea S. Sedes exigere consignationem librorum, manuscriptorum et signorum sectam respicientium confessarii manibus, ut tradantur Ordinario vel, si iustae ac graves causae id postulent, ut comburantur, et iniunctionem gravis paenitentiae. Haec igitur prudenter procuranda erunt secundum dicta in *Theol., morali*, t. III, n. **918**.

b) Qui *bona vel iura ecclesiastica* sine venia *acquisierint*, absolvi non possunt nisi Ecclesiae satisfecerint vel saltem promiserint se quam primum satisfacturos esse.

c) Qui quempiam ut reum sollicitationis in confessione *falso denuntiaverint* non possunt absolvi nisi denuntiationem formaliter retractent apud Superiorem cui denuntiatio facta erat, vel saltem parati sint eam quam primum retractare et damna calumniae sarcire.

B) *Facultates circa vota. — In* ipsa iubilaei *confessione*, ex iusta et probabili causa, potest Confessarius omnia et singula vota *privata*, etiam reservata et iurata in alia pia opera dispensando commutare.

Facultate ista excluduntur:

Vota publica; — votum castitatis perfectae et

perpetuae eius qui est in Ordine sacro (1). Sed dispensando commutari potest votum castitatis, ab origine publicum in professione religiosa, si exceptum fuerit dispensatione aliorum votorum professionis religiosae; — votum a tertio acceptatum nisi is cuius intersit libenter et expresse consenserit. Votum intellegas quo protegatur ius tertio acquisitum obtinendi voti obiectum.

Quod ad votum non peccandi de cetero, vel alia vota poenalia, haec non sunt commutanda nisi in opera quae non minus quam votum a peccando tueantur. Talia opera erunt praesertim assidua receptio sacramentorum.

Observes, nullam potestatem fieri confessario circa vota *publica*. Sed quod ad vota a tertio acceptata vel poenalia, haec valide videtur dispensando commutare posse, sed non semper licite. Ac dispensatio iniusta esse possit.

C) *Circa irregularitates*. — Unice ad exercendos ordines susceptos sine infamiae vel scandali periculo, confessarius, semper in excipienda iubilaei confessione, dispensare potest ab omni irregularitate ex delicto prorsus occulto. Si tamen fuerit homicidium vel abortus effectu secuto, debet paenitenti onus imponere sub poena reincidentiae, recurrendi, intra mensem, ad S. Paenitentiariam eiusque mandatis standi.

Attento canone 990, § 2, vis propria istius concessionis est ut recursus ad Ordinarium non requiratur, et comprehendat etiam casum homicidii et abortus.

Prorsus occultum est delictum quod ne quidem per duos testes probari possit.

---

(1) Dices votum istud esse publicum. Ac re vera est, si in receptione ordinis sacri tacite emissum sit. Quid autem si tunc ordinandus castitatem vovere noluerit, et postea tantum illud secreto emiserit? Votum istud dispensari non poterit quam diu vovens, ut minister in sacris, lege caelibatus teneatur.

D. *Circa impedimenta matrimonii.* a) Ad convalidandum matrimonium in forma ordinaria (non ad sanandum in radice), confessarius dispensare potest ab impedimento *prorsus occulto* consanguinitatis in tertio vel secundo gradu collaterali etiam attingente primum, quod ex generatione illicita proveniat, imperata consensus renovatione saltem partis consciae impedimenti. Casus fuerit si quis nupserit ei quem avus proprius ex fornicatione genuerit.

b) Ad convalidandum vel etiam permittendum matrimonium, confessarius dispensare potest ab occulto impedimento criminis quod vocatur solius adulterii. Imponenda est paenitentia salutaris, quae simul sit gravis et diuturna. *Gravis paenitentia* est quae pro gravi culpa in sacramento per se danda est. *Salutaris* est quaelibet utilis. *Diuturna* erit v. g. cotidiana recitatio rosarii per tres menses, accessus hebdomadarius ad sacramenta per sex menses; annua exercitia spiritualia per quinque vel sex annos: quo rarior uerit usus, eo longius sit tempus praescriptum.

VI. **Observanda non nulla**

1. Nulla per hoc iubilaeum *suspenditur* facultas, vel indulgentia. Nulla suspenditur facultas, quia in locis ubi iubilaeum prostat lucrandum, facilitas maior danda est obtinendi absolutionem vel dispensationem. Nulla suspenditur indulgentia, quia ratio alliciendi peregrinos ad iter Romanum plene in casu deficit.

2. Cum plurimus usus facultatum expresse permittatur, idem confessarius poterit cum eodem paenitente pluries uti, in confessione, eius facultatibus, donec alter iubilaeum consecutus sit.

Atque etiam post obtentam indulgentiam, si paenitens, antea nulla opus habens facultate, nunc primum petat quandam dispensationem quam confessa-

rius non potest nisi e iubilaeo concedere, videtur frui posse privilegiis iubilaei.

FERRARIS, v. *Iubilaeum,* art. II, n. 51. 52, id sine dubio admittit de paenitente qui sui voti commutationem postulare oblitus fuerit. Immo sic concludit: « Iubilaeum semel obtentum dat ius omni tempore etiam post iubilaeum eligendi confessarium pro iis gratiis acquirendis quae tempore iubilaei obtineri poterant et tamen obtentae non fuerunt; tale enim privilegium non est alligatum tempori sed natura sua est perpetuum ».

Merito tamen non improbabilem habet aliorum sententiam qui negant quidquam post iubilare tempus concedi posse. Tunc enim confessarius peculiaribus facultatibus iam carebit.

3. Cum agitur de facultatibus quas confessarius intra sacramentum exercet, competens est erga omnes paenitentes. Sed quando commutat visitationes, agit ut delegatus ab Ordinario; ac proin hac facultate uti non poterit nisi pro territorio subiecto isti Ordinario a quo est delegatus.

De hodierna pseudo-philosophia duellorum

Ad ea quae supra p. (39) - (41) scripsimus de mundano praetextu reparandi honorem, quo « mensuras » et duella legitima probare conantur, iuvat, exempli causa, addere quomodo quidam ROBERTUS FALCKENBERG, in opere « *Deutsches Studentenbuch* » Leipzig 1913, rem tueri voluerit. Locum (p. 81 ss.) e germanica lingua latine reddimus.

« Quomodo ad hoc devenitur ut honorem istum armis in certamine protegant? Quaenam motiva ineundi duellum? A saeculis, in imis animis omnium civium firmiter insedit persuasio, sanguine tantum honorem

salvari et conservari posse. Si quis honorem meum offenderit, quiescere nequeo donec albo gladio munitus consistat contra me oculis ad oculos. Inde in medio pono sanguinem meum ad expiandum laesum honorem. Pro eo nihil nimium, ne vita quidem, in medium inferri potest. Dum alter contra alterum sic consistunt, ambo se mutuo ut homines studiosos honoris agnoscunt et hoc modo honor restituitur. Ratio qua duellum finiatur nullatenus refert ad amborum honorem. A profanis quidem saepe introducitur huc ratio iudicii divini vel similis causae; quod est, ut liquet, falsissimum. Exitus nihil iam cum partium honore commune habet. Solum factum fortis certaminis demonstrat honorem ab offenso tantopere aestimari ut propterea sanguinem exponat, atque hoc modo honor restituitur. Rursus autem quicumque alterius honorem laeserit debet, ut homo honoratus, sponsorem agere; et sic certamen oblatum acceptat alterumque ut honoratum iterum hac ratione agnoscit. Istae rationes fundant duellum studentium et generalius omne duellum ».

Negari tamen non potest duella historice originem duxisse ab « ordaliis » seu divinis iudiciis. Sed, imminuta religione, alia, magis vesana, ratio substituenda fuit.

Quare lutheranus theologus LEMME, in opere *Neudeutsches Studentenbrevier*, München, 1912, p. 166, multo sapientius observabat esse graviores honoris laesiones quam simplices contumelias, v. g. coram iudicibus, quibus tamen duellum nullum remedium afferat. Sed per apta specialiter constituta tribunalia omnibus postulatis honoris magis adaequate satisfieri posse, idque modo pacifico et iusto.

De tota quaestione iuridica et sociali, cf. D.r SCHORNINBON, *Duell und Mensur*, Köln 1925 (*Görresbücherei der Kölnischen Volkszeitung*).

De Fodinis et de negotiatione clericis prohibita

I. **Occasio quaestionis.** — In coloniis vel missionibus exteris, non raro statuitur ut qui, posito signo (v. g. palo cum inscriptione nominis sui seu tituli societatis), primus voluntatem significaverit quaerendi et exercendi fodinam metallicam, carboniferam vel similem, re ipsa ius exclusivum acquirat rem extrahendi intra certum definitum spatium, soluta quadam annua pecunia vel parte valoris rerum extractarum.

Hinc facilis opportunitas offerri potest Missionariis comparandi non spernendos reditus operi evangelico, si auctores sint societatis, ad fodinam exercendam, contractae cum indigenis qui operam manualem sive ut socii negotii sive ut conducti operarii praestent.

Supponitur nihil indecorum esse in modo quo societas geratur.

Quaeritur iam utrum negotiatio ista haberi debeat ut *oeconomica*, quae permittitur, an ut *quaestuosa* seu industrialis per alios, quae prohibetur.

II. **Praemittenda.** — Plena solutio istius quaestionis, quae nec momento neque usu caret, postulat ut inquiramus quodnam specie ius acquiratur ei vel iis qui, cum intentione exercendi venas, palum plantaverint. — Quod ipsum melius cognoscetur si quaeramus utrum venae *nondum inventae* sint *cuiuspiam* et *cuiusnam*, an *nullius*. Itaque:

1. Suntne venae in cuiuspiam *privato* dominio (sive privati hominis sive Status)? Quaestio ista poni non potest nisi de metallis vel aliis rebus utilibus quae latent sub agro iam appropriato.

Iura quaedam civilia, v. g. Italicum (1) et Galli-

(1) « Chi ha la proprietà del suolo ha pur quella dello spazio sovrastante e di tutto ciò che si trova sopra e sotto la superficie » (art. 440, Cod. civ.).

cum (1) tribuunt possessori superficiei ius etiam ad profunda, usque ad centrum terrae.

E natura rei autem, cum LESSIO (2), *Iust.* L. 2, c. 5, n. 51 ss. et DOM. SOTO, *Iust.* L. 5, q. 3 art. 3, existimamus latentes venas in nullius privato dominio versari. Ratio est, quia res vere non occupatur nisi vel actu usum recipiat quocum alienus eiusdem rei usus componi nequit, vel saltem tali usui proxime destinetur (3). Verum qui superficiem agri colit nullam de venis quae latent intentionem habere solet, et metalla extrahi possunt ita ut dominus agri superioris rei omnino inconscius maneat. Quare ab eo non sunt *formaliter* occupata. Cum LESSIO tamen l. c. n. 52, hoc admittimus quod, « seclusa omni lege et consuetudine particulari, potestas et ius effodiendi tantum competit ei qui sit dominus loci ».

2. Cum non sit, ex natura rei, in ullo, ne Status quidem, privato dominio, ius concessum effodiendi et extrahendi metalla, vel similes res, nequit vocari conductio, cuius pretium repraesentaretur summa refundenda sive Statui sive proprietariis agri superioris. Sed est vera specialis proprietatis acquisitio et quidem titulo *originario* habita. Cf. CARRIERE, *De iust. et iure*, I. n. 312.

III. **Solutio.** — Iam vero, propter specialem prohibitionem Conc. Carthaginiensis I et IV (per se enim non est negotiatio) doctores licere negant clericis ut agros alienos *conducant* ad fructus eorum vendendos: sed permittunt *emptionem* agri ut etiam per operarios

(1) « La propriété du sol emporte la propriété du dessus et du dessous. » *(Code civ.* art. 552).

(2) MOLINA tamen *Iust.* D. 54, n. 1 et LUGO, *Iust.* D. 6, n. 107 venas istas domino fundi ascribunt e iure gentium. Immo VAZQUEZ, *Restit.*, c. 5 § 4, d. 2. ius naturae appellat. Quod frequenter addicantur Statui explicant per consuetudinam, vel quia (sic VAZQUEZ) ab antiquo, condicio metalla regi reservans apponi potuerit cum distribuebantur agri.

(3) VERMEERSCH, *Principes de morale sociale*. II. *Les bases sociales*. pag. 126.

conductos, fructus colligantur et vendantur. Cf. LUGO, *Iust.* d. 26, n. 29.

Quare, etiam si ageretur de vera emptione, licere arbitraremur ut, posito palo, fodina a clericis acquireretur ut per laicos extraheretur metallum vel alia res venalis.

Non nulli quidem illicitum illud esse declarant, quia qui venam emat censeatur solam materiam emere unde, per conductos operarios, conficeret v. g. ferrum venale. Quod non minus prohibitum esse subiungunt quam emere uvas unde per extraneos operarios vinum conficiatur.

Merito MOLINA (*De iust.* D. 342, n. 9) statim excipit casum ubi ipsum praedium ematur unde ferrum extrahatur; atque insinuat tale aliquid semper haberi, quia, nomine venae, non sola materia intellegatur sed etiam id unde extrahitur. Ac re vera ius extrahendi dat verum dominium in istam partem subterraneam unde materia extrahitur: acquiritur dominium non solum rei extrahendae sed etiam fodinae. Quocirca etiam LUGO, d. 26, n. 30 declarat se non videre discrimen inter venam sic emptam et venam ex testamento habitam: utraque est monasterii, quod fructus rei suae etiam per laicos operarios extrahere et vendere potest. Ac iura etiam civilia huiusmodi societates non habent pro commercialibus, sed eas assimilant societatibus agricultorum.

Verum, in casu, ne habetur quidem emptio proprie dicta; sed potius, apposito palo, acquiritur ius inveniendi et dein exercendi metalla vel alias res nondum occupatas; ius inquam condicionatum, seu ea lege datum ut summa quaedam vel rata pars fructuum detur fisco vel privato proprietario agri.

Quocirca *negotiationem istam esse vere oeconomicam putamus.*

PARS ALTERA

MONUMENTA

1. — Inter Sanctam Sedem et Bavariae Rempublicam

Solemnis Conventio 29 martii 1924

(A. A. S. 24 ian. 1925, 17, 41)

Concordato fra sua Santità il Papa Pio xi e lo stato Bavarese

Propositum Pontificis et Status

Sua Santità (1) il Sommo Pontefice Pio XI e lo Stato Bavarese, animati dal desiderio di regolare nuovamente, in modo stabile e corrispondente alle mutate condizioni dei tempi, la situazione della Chiesa cattolica in Baviera, hanno risoluto di concludere una solenne Convenzione.

Nominati plenipotentiarii

A tale effetto Sua Santità il Sommo Pontefice Pio XI ha nominato Suo Plenipotenziario Sua Eccellenza Reverendissima Monsignor Dr. Eugenio Pacelli, Arcivescovo di Sardi e Nunzio Apostolico in Monaco di Baviera ed il Governo di Baviera ha nominato suoi Plenipotenziari Sua Eccellenza il Signor Dr. Eugenio von Knilling, Ministro degli Esteri in Baviera, il Signor

(1) *Haec latine sic reddimus.* Moti desiderio denuo ordinandi, modo stabili et conveniente cum mutatis temporis adiunctis, statum Ecclesiae catholicae in Bavaria, Sua Sanctitas S. Pontifex Pius XI et Status Bavarensis sollemnem pactionem inire statuerunt.

Ad hunc effectum, S. S. S. P. Pius XI suum Plenipotentiarium nominavit Excellentissimum et Reverendissimum Dominum Dr. Eugenium Pacelli, Archiepiscopum Sardianum et Nuntium Apostolicum Monasterii Bavariae; et Gubernium Bavarense suos Plenipotentiarios nominavit Excellentissimum Do-

Dr. Francesco Matt, Ministro dell' Istruzione pubblica e del Culto, ed il Signor Dr. Guglielmo Krausneck, Ministro delle Finanze, i quali, scambiati i loro rispettivi pieni poteri e trovatili in buona e debita forma, sono convenuti negli articoli seguenti:

ART. 1.

Libertas cultus catholici.

§ 1. Lo Stato Bavarese garantisce il libero e pubblico esercizio della religione cattolica.

§ 2. Riconosce il diritto della Chiesa di emanare nell' ambito della sua competenza leggi e decreti, che obbligano i suoi membri; e non impedirà nè renderà difficile l' esercizio di questo diritto.

§ 3. Assicura alla Chiesa cattolica l' indisturbato esercizio del culto. Negli atti del loro ufficio gli ecclesiastici godono della protezione dello Stato.

ART. 2.

Ordinum et Congregationum religiosarum

Gli Ordini e le Congregazioni religiose possono liberamente fondarsi in conformità delle prescrizioni canoniche, nè soggiacciono ad alcuna limitazione da parte dello Stato riguardo alle loro residenze, al numero ed alle qualità dei loro membri — salvo l'art. 13 § 2 —, nonchè al loro genere di vita a norma delle Costituzioni approvate dalla Chiesa.

Quelli che godevano finora dei diritti di pubbliche corporazioni, li conservano; gli altri acquistano la personalità giu-

minum Dr. Eugenium von Knilling, Ministrum negotiorum exterorum Bavariae, D.n D.r Franciscum Matt, Ministrum Instructionis publicae et Cultus, et D.n D.r Gulielmum Krausneck Ministrum aerarii publici, qui, mutuo ostensis plenis suis facultatibus, iisque in bona et debita forma repertis, haec convenerunt:

Art. I. § 1. Status Bavariae liberam et publicam religionis catholicae exercitationem spondet.

§ 2. Ius Ecclesiae agnoscit edendi in sphaera suae competentiae leges et decreta quae membra sua obligant; neque usum istius iuris impediet vel difficile reddet.

§ 3. Ecclesiae catholicae spondet imperturbatam cultus exercitationem. In actibus sui officii, ecclesiastici protectione Status ruuntur.

Art. 2. Ordines et Congregationes religiosae libere secundum praescripta canonica constitui possunt, neque ex parte Status ulli restrictioni obnoxii sunt: sive eorum residentiam sive numerum et qualitatem eorum membrorum — salvo art. 13 § 2 — sive genus vitae ad normam Constitutionum ab Ecclesia approbatarum respicias.

Religiones quae hactenus iuribus publicae corporationis fruebantur eadem conservant; aliae personalitatem iuridicam vel iura publicarum corporationum

ridica o i diritti di pubbliche corporazioni secondo le norme vigenti per tutti i cittadini ed associazioni. La loro proprietà e gli altri loro diritti sono garantiti. Nell'acquisto, nel possesso e nell'amministrazione dei loro beni, come nel regolamento dei loro affari, non sono sottoposti ad alcuna speciale restrizione od ispezione dello Stato.

Art. 3.

De disciplinis theologicis et conexis philosophicis

§ 1. La nomina o l'ammissione dei professori o dei docenti nelle Facoltà teologiche delle Università e nelle Accademie filosofico-teologiche, come pure dei maestri di religione nelle scuole superiori, avrà luogo da parte dello Stato soltanto se contro i relativi candidati non sia stata sollevata alcuna obbiezione da parte del competente Vescovo diocesano.

§ 2. Se alcuno dei suddetti insegnanti venga dal Vescovo diocesano dichiarato inabile per grave motivo concernente la sua dottrina o la sua condotta morale, il Governo, senza pregiudizio dei di lui diritti come funzionario dello Stato, provvederà senza indugio, a che venga supplito nel suo ufficio da altra persona idonea.

Art. 4.

§ 1. L'insegnamento nelle Facoltà teologiche delle Università e nelle Accademie filosofico-teologiche deve corrispondere ai bisogni dei candidati allo stato sacerdotale ed alle prescrizioni ecclesiastiche.

§ 2. Nelle Facoltà filosofiche di ambedue le Università di Monaco e di Würzburg vi dovranno essere almeno un profes-

ad tramites legis omnibus civibus et consociationibus communis acquirunt. Ipsis secura sunt dominium et alia iura. In acquirendis, possidendis et administrandis suis bonis et in componendis suis negotiis nulli speciali restrictioni vel inspectioni Status subiacent.

Art. 3. § 1. Professores vel docentes in theologicis Universitatum et philosophico theologicis academiarum facultatibus, et magistri religionis in scholis superioribus tunc tantum a Statu nominabuntur vel admittentur, quando competens Episcopus dioecesanus nihil respectivis candidatis obiecerit.

§ 2. Si propter gravem causam doctrinae vel morum unus ex supradictis docentibus inhabilis ab Episcopo dioecesano renuntiatus sit, Gubernium, intactis eius iuribus quatenus munus Status gerit, sine mora prospiciet ut alia persona idonea eius officium suppleat.

Art. 4. § 1. In theologicis Universitatum facultatibus et in Academiis philosophico-theologicis, disciplinae ea ratione tradendae sunt quae cum necessitatibus status sacerdotalis et praescriptis ecclesiasticis congruat.

§ 2. In facultatibus philosophicis utriusque Universitatis Monasterien-

sore di filosofia ed uno di storia, contro i quali nulla possa eccepirsi dal punto di vista cattolico ed ecclesiastico.

§ 3 L'istruzione religiosa rimane in tutte le scuole superiori e medie come materia ordinaria almeno nella ampiezza sinora in vigore.

ART. 5.

De scholis elementariis

§ 1. L'istruzione ed educazione dei fanciulli nelle scuole elementari cattoliche sarà affidata unicamente a maestri e maestre, che siano atti e disposti ad istruirli in modo sicuro nella dottrina cattolica e ad educarli nello spirito della fede cattolica.

§ 2. I maestri e le maestre che vogliano essere impiegati nelle scuole cattoliche, debbono provare, prima della loro nomina, di aver ricevuto una formazione corrispondente alla natura delle medesime, sia in ciò che concerne l'istruzione religiosa, come in ciò che riguarda quelle materie le quali hanno importanza per la fede ed i costumi. Per impartire l'istruzione religiosa si richiede previamente la *missio canonica* da parte del Vescovo diocesano.

§ 3. Nel nuovo ordinamento delle scuole magistrali lo Stato avrà cura che vi siano istituti, i quali assicurino una formazione corrispondente ai suddetti principi per i maestri e le maestre destinati ad insegnare nelle scuole elementari cattoliche.

§ 4. Le superiori Autorità ecclesiastiche saranno convenientemente rappresentate, almeno per ciò che si riferisce alla

sis et Herbipolensis unus saltem philosophiae et unus historiae professor esse debebit contra quem nihil sub respectu catholico et ecclesiastico excipi possit.

§ 3. In omnibus scholis superioribus et mediis, instructio religiosa servatur ut materia ordinaria ea saltem amplitudine quae hactenus viguit.

Art. 5. § 1. Instructio et institutio puerorum in scholis elementariis catholicis committetur solummodo magistris, sive viris sive mulieribus, qui possint et velint eos modo securo doctrina catholica imbuere, et in spiritu fidei catholicae instituere.

§ 2. Qui in scholis catholicis ut magistri vel magistrae occupari velint, antequam cooptentur, demonstrare debent se congruenter naturae istarum scholarum fuisse institutos, sive quod ad instructionem religiosam sive quod ad materias in quibus fidei vel morum interest. Ut instructionem religiosam tradant, *missio canonica* ab Episcopo dioecesano profecta praerequiritur.

§ 3. In nova scholarum magistralium ordinatione, Status procurabit ut instituta sint quae institutionem supradictis principiis consentaneam securam reddant pro magistris (viris vel mulieribus) qui docendo in scholis elementariis catholicis destinantur.

§ 4. In Commissionibus examinatorum quae idoneos scholis elementa-

istruzione religiosa, nelle Commissioni esaminatrici per l'abilitazione all'insegnamento nelle scuole elementari cattoliche.

§ 5. Qualora col nuovo ordinamento delle scuole magistrali sia ancora possibile ad istituti privati di assumere la istruzione preparatoria o la formazione professionale dei maestri e delle maestre, lo Stato nell'ammissione dei medesimi avrà conveniente riguardo anche ad istituti già esistenti degli Ordini e delle Congregazioni religiose.

§ 6. Gli alunni, i quali hanno frequentato tali istituti privati, saranno ammessi agli esami di Stato in conformità delle disposizioni generali, qualora gli istituti medesimi adempiano dal punto di vista scientifico le condizioni prescritte dallo Stato.

§ 7. Per l'abilitazione all'insegnamento nelle scuole elementari, medie e superiori e per la nomina a maestri o maestre non si richiedono per i membri degli Ordini o delle Congregazioni religiose condizioni diverse da quelle dei laici.

ART. 6.

In tutti i Comuni, nei quali i genitori o chi per essi lo richieggano, debbono essere fondate scuole elementari cattoliche, qualora, avendosi un numero sufficiente di scolari ad esse iscritti, sia possibile un regolare funzionamento della scuola, sebbene soltanto nella forma di una cosiddetta « scuola indivisa ».

ART. 7.

§ 1. In tutte le scuole elementari, ad eccezione soltanto di quelle di cui è parola nel seguente capoverso, l'istruzione

riis catholicis magistros designant, superiores auctoritates ecclesiasticae congruente ratione, saltem quod ad ea quae ad instructionem religiosam referuntur, repraesentabuntur.

§ 5. Si, post novam ordinationem scholarum magistralium, privata instituta etiam valeant ad assumendam doctrinalem praeparationem vel professionalem magistrorum et magistrarum educationem, Status, in iis admittendis etiam ad iam exsistentia Ordinum et Congregationum religiosarum instituta sufficienter respiciet.

§ 6. Alumni huiusmodi institutorum privatorum ad examina Status, secundum normas generales admittentur, dummodo ipsa instituta scientificas condiciones a Statu praescriptas adimpleant.

§ 7. Non aliis legibus ac laici, socii Ordinum vel Congregationum religiosarum habiles fiunt ad docendum in scholis elementariis, mediis et superioribus, et magistri vel magistrae nominantur.

Art. 6. In omnibus municipiis, in quibus parentes vel qui eos repraesentant id postulent, scholae elementariae catholicae instituendae sunt, quoties, perspecto numero alumnorum inscriptorum, regimen regulare scholae, saltem *scholae indivisae*, ut aiunt, haberi poterit.

Art. 7. § 1. In omnibus scholis elementariis, iis solis exceptis de quibus

religiosa rimane come materia ordinaria d'insegnamento. L'ampiezza di detta istruzione verrà fissata d'accordo colle superiori Autorità ecclesiastiche, in misura non minore di quella praticata attualmente.

Qualora lo Stato Bavarese non si trovasse legalmente in grado di dare in alcune scuole all'istruzione religiosa il carattere di materia ordinaria d'insegnamento, essa potrà tuttavia almeno essere nelle medesime impartita privatamente, ed a tale scopo verranno messi a disposizione i locali della scuola con riscaldamento ed illuminazione a spese dei Comuni o dello Stato.

§ 2. Agli scolari degli istituti elementari, medii e superiori deve essere dato, d'accordo colle superiori Autorità ecclesiastiche, modo opportuno e conveniente di adempiere i loro doveri religiosi.

ART. 8.

Inspectio fidei et morum.

§ 1. Sono garantite alla Chiesa la sorveglianza e la direzione religiosa nelle scuole elementari, medie, e superiori.

§ 2. Verificandosi inconvenienti nella vita religiosa o morale degli studenti cattolici, come anche influenze perniciose od indebite sui medesimi nella scuola, ed in particolar modo eventuali offese alla loro fede od ai loro sentimenti religiosi nell'insegnamento, il Vescovo ed i suoi delegati hanno il diritto di ricorrere alle Autorità scolastiche dello Stato, le quali avranno cura di mettervi convenientemente riparo.

in sequente « *alinea* », instructio religiosa ut ordinaria disciplina tradenda servatur. Ambitus istius instructionis cum consensu superiorum auctoritatum ecclesiasticarum definietur non minor praesenti usu.

Si Status Bavarensis, in non nullis scholis legali potestate careat efficiendi ut in iis instructio religiosa ut disciplina ordinaria tradatur, poterit tamen in iisdem privatim doceri, atque in hunc finem parabuntur ipsae scholae, ac municipium vel Status ignis et luminis expensas solvet.

§ 2. Alumnis institutorum elementarium, mediorum et superiorum copia opportuna et conveniens adimplendi officia sua religiosa, modo auctoritatibus ecclesiasticis probato suppeditari debet.

Art. 8. § 1. Inspectio et directio instructionis religiosae in scholis elementariis, mediis et superioribus Ecclesiae spondetur.

§ 2. Si in vita religiosa vel morali studentium catholicorum incommoda oboriantur, vel perniciosa vel indebita actio in ipsos in schola exerceatur, praecipue si in traditis disciplinis eorum fides vel sensus religiosi forte offendantur, ius est episcopi eiusque delegatorum recurrendi ad scholasticas Status auctoritates, quae convenienti modo medebuntur.

Art. 9.

Facultas docendi religionum

§ 1. Gli Ordini e le Congregazioni religiose sono ammessi a fondare e dirigere scuole private a norma delle prescrizioni generali del diritto comune. Il riconoscimento dei diritti spettanti alle scuole stesse ha luogo secondo le regole vigenti per le altre scuole private.

§ 2. Le scuole dirette da Ordini e Congregazioni religiose, che finora hanno goduto il carattere di scuole pubbliche, lo conservano, se hanno i requisiti richiesti per tali scuole. Alle stesse condizioni lo Stato può accordare quel carattere anche a nuove scuole degli Ordini e delle Congregazioni religiose.

Art. 10.

Obligationes pecuniariae Status.

§ 1. Lo Stato Bavarese adempirà sempre verso la Chiesa cattolica in Baviera i suoi obblighi finanziari fondati su legge, convenzione o particolari titoli giuridici. Gli obblighi di tale natura fissati nel Concordato del 1817 vengono sostituiti dal seguente accordo :

a) Lo Stato provvederà alla dotazione delle Sedi arcivescovili e vescovili e dei Capitoli metropolitani e cattedrali *in bonis fundisque stabilibus*, i cui redditi annui netti saranno calcolati in base a quelli fissati nel menzionato Concordato, tenendo conto del valore della moneta nell' anno 1817. Questi beni verranno liberamente amministrati dalla Chiesa. Finchè tale dotazione non potrà essere effettuata nel modo suindicato,

Art. 9. § 1. Ordinibus et Congregationibus religiosis facultas fit constituendi et dirigendi privatas scholas ad tramites generales iuris communis. Iura scholas ipsas spectantia secundum regulas aliis scholis privatis statutas agnoscuntur.

§ 2. Quae scholae ab Ordinibus et Congregationibus religiosis directae, hactenus pro publicis habitae sunt qualitatem istam servant, si requisita pro, talibus scholis possideant. Iisdem condicionibus ipse Status novis scholis Ordinum et Congregationum religiosis qualitatem istam tribuere potest.

Art. 10. § 1. Obligationes suas pecuniarias fundatas in lege, pactione vel particularibus titulis iuridicis, Status Bavariae erga Ecclesiam catholicam in Bavaria semper exsequetur. Pro obligationibus autem huiusmodi quae Concordato 1817 definitae erant, sequens habetur conventio :

a) Status providebit dotationi Sedium archiepiscopalium et episcopalium et capitulorum metropolitanorum et cathedralium *in bonis fundisque stabilibus*, quorum annui reditus meri computabuntur secundum definitionem praelaudati Concordati, respectu habito valoris monetae anno 1817. Bona ista ab Ecclesia libere gerentur. Donec dotatio huiusmodi modo praedicto fieri non potuerit, Status pro ea reditum annuum solvet, attentis obligationibus Con-

lo Stato corrisponderà in luogo di essa una rendita annua, che sarà computata in base alle obbligazioni stabilite nel Concordato del 1817 ed adattata alle condizioni economiche di ciascun tempo analogamente alle corrispondenti spese dello Stato per i suoi propri scopi.

. . . . . .

Bona Seminariorum, parochiarum, etc.

§ 4. I beni dei Seminari, delle parrocchie, dei benefici, delle fabbriche e di tutte le altre fondazioni ecclesiastiche vengono garantiti nei limiti del diritto comune, nè possono venire alienati senza il consenso della competente Autorità ecclesiastica. La Chiesa ha il diritto di acquistare e possedere nuovi beni, e le cose così acquistate saranno nella stessa guisa inviolabili.

Ius Ecclesiae percipiendi tributa.

§ 5. La Chiesa ha diritto di riscuotere imposte sulla base dei registri civili delle tasse.

Art. 11.

Spiritualis cura in Institutis Status.

Lo Stato Bavarese provvederà a proprie spese acciocchè coloro, che si trovano nei suoi Istituti (carceri, case di cura, collegi, ospedali), abbiano una corrispondente assistenza religiosa, sia per mezzo di sacerdoti a ciò appositamente deputati, che in altro modo opportuno. La nomina di detti sacerdoti ha luogo d'intelligenza col Vescovo diocesano.

Nell'approvazione di Istituti tenuti da altri, lo Stato Bavarese avrà il più possibile cura affinchè sia provveduto all'assistenza medesima secondo che il caso richiede.

cordati 1817 et oeconomicis condicionibus cuiuslibet temporis analogo modo quo ad fines proprios expensas similes efficit (1).

. . . . . .

§ 4. Bona Seminariorum, parochiarum, beneficiorum, fabricarum et omnium aliarum fundationum ecclesiasticarum, intra limites iuris communis, in tuto ponuntur, nec sine consensu competentis auctoritatis ecclesiasticae alienari possunt. Est ius Ecclesiae acquirendi et possidenti nova bona, quae pari modo erunt inviolata.

§ 5. Ecclesia ius habet percipiendi taxas, civilibus taxarum catalogis accommodatas.

Art. 11. Status Bavariae propriis impendiis iis providebit qui in suis Institutis (ut captivi, infirmi, convictores, aegroti) degunt ut spiritualiter curentur sive per sacerdotes speciatim deputatos, sive alio opportuno modo. Sacerdotes isti, probante Episcopo dioecesano nominantur.

Dum aliena Instituta approbat, Status Bavariae pro viribus procurabit ut, prout casus fert, eidem assistentiae provideatur.

---

(1) Particulares dispositiones quibus praelatis, canonicis, vicariis generalibus, ecclesiasticis emeritis prospicitur a nobis omitti posse videntur.

ART. 12.

Divisiones ecclesiasticae non mutandae.

L'attuale costituzione delle provincie ecclesiastiche e delle diocesi non sarà cambiata, salve le piccole modificazioni richieste dall'interesse della cura delle anime, nonchè quei mutamenti di confini diocesani, i quali, nei singoli casi, sono una conseguenza nel cambiamento dei confini delle parrocchie.

ART. 13.

Quaenam Statui concedantur circa Qualitates praelatorum ecclesiasticorum.

§ 1. In considerazione delle spese dello Stato Bavarese per gli assegni degli ecclesiastici, la Chiesa non assumerà alla direzione ed amministrazione delle diocesi, nonchè degli istituti diocesani di educazione, come pure alla cura parrocchiale ed all'insegnamento religioso nelle scuole elementari, se non ecclesiastici, i quali:

a) abbiamo la cittadinanza bavarese o quella di un altro Stato germanico;

b) abbiamo ottenuto in un Ginnasio umanistico germanico *pleni iuris*, l'attestato di maturità, che può essere conseguito anche dopo studi privati e presso un Istituto privato riconosciuto dallo Stato;

c) abbiano compiuto con successo gli studi filosofico-teologici prescritti dalla Chiesa in un'alta scuola germanica dello Stato od in un'alta scuola germanica vescovile, la quale soddisfi alle disposizioni del can. 1365 del Codice di diritto canonico, od in un'alta scuola pontificia in Roma.

Superiorum religiosorum in Bavaria

§ 2. Parimenti negli Ordini e nelle Congregazioni religiose, come pure nelle loro case, i Superiori, che hanno la loro resi-

Art. 12. Praesens constitutio provinciarum ecclesiasticarum et dioecesium immutata manebit, exceptis parvis mutationibus quas cura animarum postulet, easque finium dioeceseum mutationes quae, in singulis casibus, mutatos paroeciarum fines logice consequuntur.

Art. 13. Consideratis expensis Status Bavariae pro pensionibus ecclesiasticorum, regendis et administrandis dioecesibus, dioecesanis institutis educatorum, necnon curae parochiali et tradendae doctrinae religiosae in scholis elementariis, Ecclesia tales solummodo ecclesiasticos assumet qui:

a) cives sint Bavariae vel alius Status Germanici;

b) in gymnasio humanitatum germanico *pleni iuris*, consecuti sint testimonium maturitatis, quod etiam, post studia privata et apud Institutum privatum a Statu agnitum obtineri potest;

c) studia philosophico-theologica quae Ecclesia praescribit, cum successu compleverint in superiore schola germanica Status, vel in schola superiore germanica episcopali quae statutis c. 1365 Codicis iuris canonici satisfaciat, vel in schola superiore Pontificia Urbis.

§ 2. Similiter in Ordinibus et Congregationibus religiosis, et eorum

denza in Baviera, debbono avere la cittadinanza bavarese o quella di un altro Stato germanico, salvo il diritto dei Superiori di altra cittadinanza, residenti fuori del territorio bavarese, di visitare per sè o per altri le loro case poste in Baviera, come pure il diritto dei religiosi di compiere gli studi filosofici e teologici nelle scuole del loro istituto a norma del Codice di diritto canonico can. 1365, anzichè in quelle menzionate nel § 1 lett. *c*.

ART. 14.

Nominatio episcoporum

§ 1. La nomina degli Arcivescovi e dei Vescovi spetta in tutta libertà alla Santa Sede. Verificandosi la vacanza di una chiesa arcivescovile o vescovile, il rispettivo Capitolo sottoporrà direttamente alla Santa Sede una lista di candidati degni dell'ufficio episcopale e idonei a reggere la vacante diocesi, tra i quali, come pure tra quelli suggeriti dai Vescovi e dai Capitoli bavaresi, nelle rispettive liste triennali, la Santa Sede si riserva libera scelta. Prima della pubblicazione della Bolla, la Santa Sede si assicurerà in via ufficiosa presso il Governo bavarese, che contro il candidato non vi sono obbiezioni di ordine politico.

Canonicorum;

§ 2. La provvista dei Canonicati nei Capitoli metropolitani e cattedrali si effettua alternativamente per libera collazione da parte del Vescovo diocesano, *audito capitulo*, e mediante l'elezione del Capitolo, salva la conferma a norma del can. 177 del Codice di diritto canonico.

Le Dignità vengono conferite secondo il diritto canonico comune.

domibus, Superiores qui in Bavaria resident cives esse debent Bavariae vel alius Status Germaniae, incolumi iure Superiorum alienigenarum, qui extra territorium Bavariae resident, visitandi per se vel per alios eorum domus in Bavaria exstantes; incolumi quoque iure religiosorum perficiendi studia philosophica et theologica in scholis sui Instituti, ad normam c. 1365 Codicis can., in locum earum quae in § 1 litt. c. numeratae sunt.

Art. 14. § 1. Archiepiscopi et Episcopi a S. Sede omnino libere nominantur. Vacante sede archiepiscopali vel episcopali, capitulum cathedrale directe ad S. Sedem catalogum mittet candidatorum qui officio episcopali digni sint et regendae vacanti dioecesi idonei, inter quos S. Sedes sibi liberam optionem reservat, non minus quam inter eos qui singulis trienniis ab episcopis et capitulis Bavariae suggeruntur. Antequam Bulla fiat publici iuris, S. Sedes modo officioso apud Gubernium Bavariae se certiorem reddet nullam politici ordinis obiectionem candidato opponi posse.

§ 2. Canonici metropolitanarum vel cathedralium ecclesiarum alternatim libere ab episcopo dioecesano, *audito capitulo* nominantur, et a Capitulo eliguntur, salva confirmatione ad normam c. 177 iuris canonici.

Dignitates secundum commune ius canonicum conferuntur.

parochorum

§ 3. In considerazione delle spese dello Stato Bavarese per gli assegni degli ecclesiastici, la Chiesa, prima della nomina dei parroci in senso stretto, comunicherà al Governo i nomi e le notizie personali dei candidati; se questo eventualmente avesse difficoltà, dovrà significarle nel più breve termine possibile. I diritti di patronato o presentazione dello Stato, fondati su speciali titoli canonici, rimangono intatti nella forma sin qui usata.

ART. 15.

Futurae difficultatis amica solutio.

§. 1. Se in avvenire sorgesse qualche difficoltà sulla interpretazione dei precedenti articoli, la Santa Sede e lo Stato Bavarese procederanno, di comune intelligenza, ad un'amichevole soluzione.

Abrogatio praccedentis Concordati et contrariorum.

§ 2. Coll'entrata in vigore del presente Concordato viene dichiarato decaduto quello dell'anno 1817. Le leggi dello Stato Bavarese, le ordinanze ed i decreti, sinora emanati ed ancora in vigore, in quanto si trovino in opposizione colle disposizioni della presente Convenzione, saranno abrogati.

ART. 16.

Dies a qua vim habitura sit conventio.

Lo scambio delle ratifiche avrà luogo nel più breve termine possibile, ed il Concordato entrerà in vigore alla data di questo scambio.

In fede di che i sunnominati Plenipotenziari hanno firmato il presente Concordato.

Dies (29 mart 1924).

Monaco (Baviera), 29 Marzo 1924

§ 3. Attentis expensis Status Bavariae pro pensionibus ecclesiasticorum, Ecclesia, ante quam parochos stricte tales nominet, nomina et notitias de personis candidatorum cum Gubernio communicabit; quod si quas forte difficultates experiatur eas quam citissime significare debebit. Intacta, in forma hactenus uscitata, manent iura patronatus vel praesentationis quae Status propter peculiares titulos canonicos possideat.

Art. 15. § 1. Si in posterum de interpretatione supradictorum articulorum quaedam difficultas oriatur, Sancta Sedes et Status Bavariae, communi intellectu amicam solutionem inducent.

§ 2. Ex quo praesens Concordatum vigebit, concordatum anni 1817 declaratur vi destitutum. Leges Status Bavariae, ordinationes et decreta hactenus lata et adhuc vigentia, quatenus praesentis conventionis articulis contraria sint, abrogabuntur.

Art. 16. Quam brevissimo tempore mutuae ratihabitiones fient, et ab isto momento Concordatum vigebit.

In quorum fidem, supra nominati Plenipotentiarii praesentem Concordiam subsignarunt.

Monasterii (Bavariae), 29 martii 1924.

ANNOTATIONES

I. Tanti momenti, tam frequentis usus est accurata notitia rationis qua S. Sedes suas cum Statibus hodiernis relationes componere studeat, ut operae pretium nobis esse visum sit ut Concordatum recens inter Apostolicam Sedem et Bavarie Republicam initum ex integro referamus. Quam plurima enim documenta pro publico Ecclesiae iure, pro statu religiosorum, pro erectione et directione scholarum catholicarum inde colligi possunt.

II. Ratihabitiones datae sunt die 24 ianuarii 1925.

2. — SS. D. N. Pius Pp. XI

Breve « Monachorum vita » 16 ian. 1925

APPROBANS CONSTITUTIONES CISTER. STRICTIORIS OBSERVANTIAE

(A. A. S. 13 febr. 1925, XVII, 64)

Inter Monachorum reformatores, quos divina Providentia instaurandis S. Benedicti regulis providit,

memoratur S. Oddo Congregationis Cluniacensis institutor;

— *Ad perpetuam rei memoriam.*

Monachorum vita iuxta Sancti Patris Benedicti Regulas ab initiis ex eiusdem Ordine monasteriorum atque abbatiarum apud gentes nationum, quas Romana Eccclesia moderatur, ad recentiora usque tempora vigiles custodes continenter habuit, quos aliquando Deus provide suscitavit ut monachi ad priscos sanctitatis mores revocarentur, atque ad salutarem principemque viam, quam pius legiferque fundator praeceptis suis signavit. Quos inter vigilantes custodes meminisse iuvat Sancti Oddonis, qui saeculo decimo in celeberrimo Cluniacensi monasterio ita religiosorum vitam emendavit, ut per duo fere saecula ad alia S. Benedicti monasteria reformatio morum a Cluniacensi defluueret. Idem Oddo Romae etiam atque in finitima regione, in abbatiis scilicet Sublacensi, Farfensi, S. Heliae Nepesina sollertem studiosamque operam suam navavit emendatricem; eiusdemque successorum S. Maiolis, S. Odilonis ceterorumque curae monasteriis quoque consuluerunt, quae in Parmensibus, Reati-

nis, Cavensibus finibus erant, aliisque Gallicis Italicisque, Classensi denique apud Ravennae civitatem, a quo S. Romualdus Abbas exivit, novus S. Benedicti monachorum reformator, ad Heremitarum Camaldulensium fundamenta constituenda. Certe quidem Cluniacensia instituta illis prisci medii aevi temporibus tenebricosis subsidium munimentumque magnum Ecclesiae fuere. Regiminis enim S. Oddonis forma ad pristinam S. Benedicti Regulam per silentium, orationem ac laborem servandam revertebatur. Quia vero silentium arcendo a strepitu mundi interiorem vitam fovet, facile per ipsum ad orandum monachi perferebantur, ad illud videlicet *opus Dei*, quod maxime S. Benedictus pater discipulis suis praecepit. Cum propterea magni momenti esset orandi ratio tempusque, ex tunc Cluniacenses Consuetudines perfecta cantus sacri modulatione, magnificentia vestium ac supellectilium, sanctarum aedium affabre exornatarum pulchritudine, haud parva caeremoniarum varietate, grates acceptasque omnibus reddiderunt psalmodiam precesque liturgicas, quae monachis ita, maiore diei parte, occupationem et pro labore manuali fuere; quamvis ipsi ad legendos quoque rescribendosque antiquorum auctorum codices et ad eorumdem studium sollerter vacarent. At, progressu temporis, etiam monastica disciplina a Cluniacensibus instaurata, varias ob causas, iterum declinare coepit; sed tunc Robertus Molismensis abbas, qui iam cum quibusdam fratribus e ferventioribus Molismensi, bus saepius de transgressione Regulae beati Benedicti patris monachorum loquebatur, conquerebatur, contristabatur, tandem Dei gratia inspiratus, die XXI mensis martii anni MXCVIII, die festo S Benedicti, Hugone Lngdunensium Archiepiscopo ac Summi Pontificis legato consentiente, ut cum praedictis sociis suis professionem monachalem, exacta sanctae Regulae observantia, adimpleret, monasterio Molismensi relicto, ad quandam asperam solitudinem loci agrestis *Cistercium* nuncupati venit; illoque in loco ipse sociique Regulam Sancti Benedicti tenere unanimiter statuerunt, sine ullo lenimine aut mitigatione, summa viventes paupertate, reiicientesque a se quidquid Regulae refragabatur. Novam religiosorum virorum familiam, petente Alberico abbate S. Roberti successore, tuendam suscepit Apostolica Sedes Litteris Papae Paschalis II die XIX mensis octobris anni MC Troiae in Italia datis, sed ob durae vitae locique asperitates monachis forsan monasterium vacuum remansissetnisi S. Bernardus Claravallensis, una cum viginti aliis sodalibus sibi adiunctis, Cistercium ingressus esset. Ex tunc, opera praesertim Sancti Bernardi, qui, etsi, summus aetatis suae vir,

dein Robertus, Molismensisabbas, qui anno 1098 Cisterciensem reformationem conditit. Eius tata. S. Bernardus promotor.

ad mundanas gerendas magni momenti res vocatus, quoquo pacto omnium animos ad institutiones cistercienses provehendas excitaverat, mirifice monachis domibusque novus Cistercii ordo increvit. Interea Stephanus tertius abbas, cum consensu et communi fratrum deliberatione, *Chartam caritatis* elaboravit, quam, primam Ordinis legem, Callistus Pp. II, die XXII mensis decembris anni MCXIX robore apostolico firmavit. At postea, tum Eugenius Pp. III, qui iam in Claravellensi monasterio, sancto Bernardo moderatore, monachus et dein Ss. Vincentii et Anastasii ad Aquas Salvias prope Urbem abbas fuerat, tum Anastasius Pp. IV, nec non Hadrianus Pp. IV et Alexander, hoc nomine tertius pontifex, legem eandem cum quibusdam etiam explanationibus additamentisque probaverunt. Eo ipso ex tempore S. Bernardi innumerabiles fuere in tota Europa Cisterciensium domus, et iam primo ab initiis Ordinis vertente saeculari anno, plus quam quingentae abbatiae, alumnis numerosae, recensebantur; cum non modo magno disciplinae monasticae emolumento, sed cum ne minimo quidem Ecclesiae decore, atque haud parvis spiritualibus christifidelium utilitatibus, qui, ob rerum tempestatumque miseriam a rectis semitis remoti, optima copiosaque humilitatis, obedientiae, sanctitatis, in labore patientiae, in victu frugalitatis, exempla ex eadem Cisterciensium vita sumere continenter potuerunt. Iure meritoque propterea pluries Romani Pontifices Ordinis Cisterciensium in rebus sollerti benignoque studio interfuerunt; at memoremus inter eosdem oportet Decessores Nostros, Clementem Pp. IV, nec non Benedictum Pp. XII. iam antea ex eadem Cisterciensi familia monachum, qui Litteris apostolicis *Parvus fons*, die IX mensis iunii, anni MCCLXV datis, et Constitutione Apostolica *Fulgens sicut stella matutina*, IV idus iulii anni MCCCXXXV signata, nova praesidia ac veluti duo fundamenta Ordini eidem praebuere, quem amplissime dilaudabant. Temporum autem rerumque vicissitudines etiam in Cisterciensium Ordinem adeo postea redundarunt, ut a pristina morum severitate monachi quidem recederent, et latiori vivendi formae indulgerent; quapropter et in eadem, sicut olim in ceteris religiosorum familiis, quae suam a Sancto Benedicto ducunt originem ac Regulam, sanctos ad priscas consuetudines restituendas viros Deus inspiravit suscitavitque. Digna occurrit potissimum animis religiosae disciplinae restitutio, quae Trappensi in abbatia, iam ab Eugenii Pp. III temporibus Ordini Cisterciensi unita, saeculo decimo septimo peracta est, et quae ita Trappistarum monachorum famam ubique pertulit, ut post

Charta caritatis, prima Ordinis lex.

Legis approbatio.

Ordinis prosperitas.

Disciplinae relaxatio.

Eius restitutio in Trappensi abbatia.

Gallicae Revolutionis, exeunte saeculo decimo octavo, commotae finem, atque in pristinum res nationum restitutas, facillime monachis denuo Congregationis Trappensis augerentur coenobia, quae Ecclesiae atque hominum societati magno praesidio claroque ornamento exstiterunt. Tribus autem, saeculo decimo nono, monasticis observantiis, Westmallensi scilicet, Septem Fontium et Melleärcensi, praecipue Trappistae Cistercienses obediunt; sed eos Leo Pp. XIII Decessor Noster, Litteris sub anulo Piscatoris tum die XVII martii MDCCCXCIII, cum die XXX iulii MDCCCCII obsignatis, in unum tantum sui iuris Ordinem, antea *Cisterciensium Reformatorum B. M. V. de Trappa*, postea *Cisterciensium Reformatorum* seu *Strictioris Observantiae* nuncupatum, sub unius moderatoris regimine constituit. Apud quos etiam Reformatos Cistercienses, sicuti apud antiquoris Cistercii alumnos, ad maiorem Dei gloriam spiritualis hominis perfectio vita poenitenti quaeritur, praesertim verum silentio, labore atque oratione. Nam Sanctus Benedictus pater monachis suis *orare* et *laborare* praecepit; at si monachus *revera Deum quaerit... sollicitus sit ad opus Dei. Nihil* quidem *operi Dei praeponatur,* cum monasterium proprie constituat *Dominici schola servitii.* Indesinenter propterea, ut Dominum Nostrum Iesum Christum vestigiis sequantur, qui *erat pernoctans in oratione Dei* (Luc., VI, 12), iussisque Patris obtemperent, monachi *frequenter, cotidie incumbant orationi;* et quamvis omne quod ab ipsis agitur ad Dei gloriam referatur, cum iuxta Regulam *quidquid agendum inchoent bonum* illi *a Deo perfici instantissima oratione deposcant,* tamen ad *divinum opus* implendum diu noctuque S. Benedicti ac S. Bernardi asseclae peculiari modo sunt vocati, ut *sacrificium laudis* Deo *sine fine* offeratur. Procul a mundanis rebus, pie, laboriose, poenitenter in monasterio viventes, ita etiam hodierni Cistercienses monachi, cum Psalmista *omnis terra adoret te et psallat tibi,* munere funguntur, quod obliviosi homines huius saeculi facillime amittunt. Isti enim Cistercienses non modo ut ceteri monachi, qui spiritualis vitae perfectionem per « viam contemplationis ac poenitentiae aemulantur » ad Officii Divini, verbis Psalmistae audientes: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo,* pie, attente ac devote recitationem incumbunt, sed etiam cotidie parvum Beatae Mariae Virginis, cuius se maxime mancipia profitentur, Officium recitant ad opem Deiparae quoque implorandam pro peccatorum conversione, christifidelium in orbe degentium salute, militantisque Ecclesiae incremento; coram denique Sacramento Augusto instantissime

Trium observantiarum unio peracta a Leone XIII. Ordinis nomen

Genus vivendi.

Devotio ad B. Virginem, SS. Eucharistiam.

Occasionem iterum commendandi huiusmodi vitae exempla arripiens, memoriata approbatione a Leone XIII Constitutionibus data, et harum accommodatione ad Codicem anno 1921 capitulariter peracta,

orant ut ad Christum Iesum, sub eucharisticis velis latentem, fideles tandem animos advertant. Iam Nos alias eos commemoravimus qui ad Regularium vitam adstricti, in Ecclesia assiduo precum macerationumque officio funguntur; sed eorundem exempla placet Nobis, iterum, miserrimis hisce temporibus, praebere christifidelibus omnibus ad desiderium orandi in ipsos et praesertim ardorem excitandum erga Sanctissimam Eucharistiam, quae publice adoranda alicubi exponatur; occasione, profecto, qua Reformati Cistercienses humillime Nos rogarunt ut eorundem Constitutiones, apostolica vi, denuo firmarentur. Cisterciensium enim Strictioris Observantiae Constitutiones, quas rec. mem. Leo Papa XIII Decessor Noster, iam superius memoratis actis adprobavit, nunc ad iuris canonici Codicem accommodari oportebat; atque iidem propterea Cistercienses, quorum hodie, Deo iuvante, octoginta monasteria exstant, quae plus quam quattuor millia religiosorum inhabitant; ut rem ipsam, conlatis consiliis perficerent, anno MDCCCCXXI in Capitulum Generale convenerunt. Quae quidem emendatae Constitutiones, latino sermone exaratae, a Sacra Congregatione Religiosorum Sodalium negotiis praeposita, die XX mensis augusti anni MDCCCCXXIV, recognitae sunt, earumque tenor, hic est qui sequitur, videlicet:

S. Pontifex recognitas a S. C. de Religiosis constitutiones,

Constitutiones Ordinis Cisterciensium Strictioris observantiae

PARS PRIMA

DE REGIMINE ORDINIS

CAPUT I

De Capitulo Generali

1. Summa Ordinis potestas est penes Capitulum Generale. Idem... *et quae sunt reliqua*.

Motu proprio plenissime approbat ac supremum Apcae sanctionis robur adicit.

Votis itaque Reformatorum Cisterciensium Nos ultro libenterque obsecundare volentes, audito etiam, uti mos est, dilecto filio Nostro Camillo S. R. E. Diacono S. Mariae Scalaris Cardinali Laurenti, Sacrae Congregationi pro religiosorum sodalium negotiis praeposito, motu proprio atque ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque apostolica Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum tenore, perpetuumque in modum Constitutiones suprascriptas Cisterciensium Reformato-

rum seu Strictioris Observantiae plenissime adprobamus eisdemque supremum Apostolicae sanctionis robur adiicimus.

Haec statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri atque obtinere, eidemque Ordini Cisterciensium Strictioris Observantiae plenissime suffragari ; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc atque inane fieri si secus, super his, a quoquam, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter, attentari contigerit. Non obstantibus Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ceterisque in contrarium facientibus quibuslibet. Volumus autem ut praesentium Litterarum exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate vel officio constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si exhibitae forent vel ostensae.

Clausulae.

Fides transumptis debita.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXVI mensis ianuarii anno MDCCCCXXV, Pontificatus Nostri tertio.

Dies (26 ian. 1925).

P. Card. GASPARRI, *a Secretis Status*

3. — S. Congr. S. Officii

Litterae 1 dec. 1924 Em. Cardinalis Secretarii (1)

PROPOSITIONES DAMNATAE

Romae, 1 decembris 1924

Illustrissime ac Reverendissime Domine (2)

In generali consessu habito Feria IV, die 19 nuper elapsi mensis in Suprema Congregatione S. O. propositae et ad trutinam revocatae sequentes propositiones ab Amplitudine Tua denunciatae :

Propositiones

(1) Haec exscribimus e *Documentation catholique* 18 mart. 1925, unde etiam haec habemus: « Sub titulo *Propositions condamnées,* ephemeris La Semaine religieuse de Quimper (27, 2, 25) haec sibi communicata publici iuris facit, « Rogatus a scriptore alius dioecesis, Ill. Episcopus S. Officio examinanandas obtulerat quasdam propositiones de philosophia, apologetica et theologia, non designatis tamen censurae operibus in quibus contineri possent, cum potius doctrinas quam personas attingere intendatur. Ill. Episcopus Roma sequens responsum recepit ».

(2) Episcopus Corisopitensis (de Quimper).

« I. Conceptus seu ideae abstractae per se nullo modo possunt constituere imaginem realitatis rectam atque fidelem, etsi partialem tantum.

« II. Neque ratiocinia ex eis confecta per se nos ducere possunt in veram cognitionem eiusdem realitatis.

« III. Nulla propositio abstracta potest haberi ut immutabiliter vera.

« IV. In assecutione veritatis, actus intellectus, in se sumptus, omni virtute specialiter apprehensiva destituitur, neque est instrumentum proprium et unicum huius assecutionis, sed valet tantummodo in complexu totius actionis humanae, cuius pars et momentum est, cuique soli competit veritatem assequi et possidere.

« V. Quapropter veritas non invenitur in ullo actu particulari intellectus, in quo haberetur « conformitas cum obiecto », ut aiunt Scholastici, sed veritas est semper in fieri, consistitque in adaequatione progressiva intellectus et vitae, scilicet in motu quodam perpetuo, quo intellectus evolvere et explicare nititur id quod parit experientia vel exigit actio : ea tamen lege ut in toto progressu nihil unquam ratum fixumque habeatur.

« VI. Argumenta logica, tum de existentia Dei, tum de credibilitate Religionis christianae, per se sola, nullo pollent valore, ut aiunt obiectivo : scilicet per se nihil probant pro ordine reali.

« VII. Non possumus adipisci ullam veritatem proprii nominis quin admittamus existentiam Dei, immo et Revelationem.

« VIII. Valor quem habere possunt huiusmodi argumenta non provenit ex eorum evidentia seu vi dialectica, sed ex exigentiis « subiectivis » vitae vel actionis, quae ut recte evolvantur sibique cohaereant, his veritatibus indigent.

« IX. Apologesis illa quae procedit « ab extrinseco », — scilicet ea quae a cognitione naturali factorum historicorum, relatorum in Libris Sacris, praesertim in Evangelio, ascendit, mediante ratiocinio, ad stabiliendum eorundem factorum character supernaturale et divinum, unde tandem concludit Deum esse auctorem revelationis quam muniunt - est methodus infirma puerilisque, neque respondet legitimis exigentiis humanae mentis qualis est hodie.

« X. Miraculum in se nude sumptum, - scilicet prout est factum sensibile quod soli potentiae divinae attribui potest praecisione facta tum ab eius significatione symbolica, tum ab exigentiis subiectivis hominis, - non praebet solidum argumentum Revelationis.

« XI. Praxis religiosa legitima non est fructus certitudinis quam homo habet de veritate, sed, contra, medium unicum obtinendi de hac veritate certitudinem.

« XII. Etiam post fidem conceptam, homo non debet quiescere in dogmatibus religionis, eisque fixe et immobiliter adhaerere, sed semper anxius manere progrediendi ad ulteriorem veritatem, nempe evolvendo in novos sensus, immo et corrigendo id quod credit.

Censura S Officii.

« Eminentissimi ac Reverendissimi Domini Cardinales una mecum Inquisitores Generales, praehabito D. D. Consultorum voto, respondendum decreverunt :

« Propositiones delatas, prouti iacent, in globo esse iam « a Concilio Vaticano et a Sancta Sede proscriptas et damna« tas vel viam sternentes ad easdem propositiones iam pro« scriptas et damnatas ».

« Haec pro meo munere Amplitudini Tuae significans, fausta cuncta atque felicia a Domino adprecor.

" R. Card. MERRY DEL VAL „

4. — S. Congregatio S. Officii

Decretum 5 nov. 1924.

Dissolutio vinculi naturalis in favorem fidei (1)

Beatissime Pater,

Orator.

Episcopus Helenensis, ad pedes S. V. humillime provolutus, exponit : Die 30 septembris 1919, apud (2) G. G. M acatholicus non baptizatus, matrimonium iniit cum F. E. G. acatholica baptizata in secta anglicana, coram praecone haeretico, sectae anglicanae, proindeque absque ulla dispensatione obtenta. Die 4 novembris 1920, G. G. M. divortium civile a F. E. G. obtinuit. Nunc desiderat G. G. M. catholicam fidem amplecti et

(1) Haec exscribimus ex *Ecclesiastical Review*, febr. 1925, p. 188.

(2) Sic in *Ecclesiastical Review*. Vocem tamen *apud* mendo typographico additam fuisse arbitramur, cum significationem nullam habere posse videatur. Quare Ephemeris *Nederlandsche Katholieke Stemmen*, 1925, p. 65, vocem *apud* in sua exscriptione omisit.

matrimonium inire cum puella catholica. F. E. G. novas nuptias iam iniit. Quapropter supplicat S. V. ut dispensatio concedatur super vinculo naturali primi matrimonii.

Petitio.

Feria IV, die 5 novembris 1924.

Dies (5 nov. 1924).

In Congregatione generali S. R. et U. Inquisitionis, proposito suprascripto supplici libello, attentis expositis, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, E.mi ac Rev.mi DD. Cardinales in rebus Fidei et morum Generales Inquisitores decreverunt: « Consulendum SS.mo, pro gratia dissolutionis vinculi naturalis primi matrimonii contracti a G. G. M. cum F. E. G. in favorem fidei ».

Responsio S. Congr.

Insequenti vero feria V. eiusdem mensis et anni, SS. D. N. D. Pius, divina Providentia Papa XI, in audientia R. P. D. Assessori S. Offici impertita, habita de hac re relatione, resolutionem EE. Patrum adprobavit et petitam gratiam concedere dignatus est.

Approbatio.

Contrariis quibuscamque non obstantibus.

Aloisius Castellano
Supremae S. C. S. Officii Notarius

ANNOTATIONES

I. Hactenus S. Sedes dissolvere in favorem fidei recusabat vinculum matrimonii contracti inter partem non baptizatam et baptizatam. Quamvis enim de postestate S. Pontificis (saltem ante consummationem huiusmodi matrimonii) ambigi non posset, extra casum Paulinum nos versari fatendum est. S. Paulus enim de matrimonio inter duos infideles, seu non baptizatos agebat, in loco classico, I. Cor. 7, 15.

II. Responsio igitur praesens vere notabilis est iam propter consilium dissolutionis quod S. Congregatio dedit, ac praeterea quia matrimonium partis baptizatae cum non baptizata mere tamquam *naturale* existimavit.

Etenim opinio quidem longe communior facta, negabat sacramentum in una tantum parte consistere posse. Rem tamen fuisse controversam constat. Immo

WERNZ-VIDAL, *Ius matrimoniale* n. 42 id modeste asserunt: « *Probabilius* ne fidelis quidem baptizatus sacramentum recipit ».

III. Non mirabimur igitur si ephemerides canonicae de hac solutione fuse egerint, et varia corollaria inde collegerint.

IV. Prudentius tamen huiusmodi commentariis supersedendum putamus, donec nobis, ex aliis exemplis, non constiterit ipsum S. Congregationis stylum esse praesenti decreto consentaneum, nec agi de rarissima exceptione, cuius causa nos lateat.

5. — Congregatio S. Officii

Decretum 30 ian. 1925

DE SAC. ERNESTO BUONAIUTI

(A. A. S. 3 febr. 1925, XVII, 69)

Memoratis actis superioribus,

Con decreto (1) di feria VI, 26 marzo dell'anno scorso, pubblicato nel Bollettino Ufficiale della Santa Sede sotto la data del 27 marzo detto, premesso come il Sac. Ernesto Buonajuti, ad onta delle gravi sanzioni canoniche, a cui era stato già sottoposto, e delle sue ripetute proteste di sottomissione, continuasse ostinatamente nella sua disastrosa propaganda modernistica, questa Suprema S. Congregazione del Santo Uffizio, custode e vindice della integrità della fede e del costume, coll'approvazione espressa del Santo Padre, lo dichiarava incorso nella scomunica a termini e con tutte le conseguenze di diritto; condannava e proscriveva tutti i suoi libri e scritti,

(1) Cfr. *Periodica*, XIII, 1924, p. 43. Praesens autem decretum sic latine reddimus. « Decreto feriae IV, 26 martii superioris anni, quod sub data 27 supradicti martii in Commentario Officiali S. Sedis est publici iuris factum, postquam prius memoravit quo pacto sac. Ernestus Buonajuti, etsi gravibus canonicis sanctionibus iam affectus fuerat et pluries se submissum professus erat, in funesta sua modernismi diffusiva actione obstinate perseveraret, Suprema haec S. Officii Congregatio, custos et vindex integritatis fidei et morum, a Sancto Patre explicite in hoc approbata, eum, ad iuris tramites et cum iuridicis consectariis, excommunicatum declarabat; omnia eius libros et scripta damnabat et proscribebat, iubendo ut in Indicem referrentur, ac prohibebat

ordinandone la inserzione nell' Indice ; e gli vietava di più scrivere, tener conferenze ed insegnare nelle scuole pubbliche in materia attinente alla religione.

et frustranea emendationis exspectatione,

Si sperava che, scosso nella sua anima di sacerdote, avrebbe egli finalmente cessato dalla sua nefasta opera. Ma indarno: poichè non solo dopo il suaccennato decreto veruna piena sottomissione si è da lui avuta ; ma ha egli inoltre e con la parola e con nuovi scritti proseguito e prosegue tuttora, come se nulla fosse, nella stessa via.

Em. Inquisitores Generales, sacerdotem Buonajuti iure ferendi habitum ecclesiasticum privant, novaque opera et ephemeridem proscribunt ;

Profondamente addolorati da tanta contumacia, gli E.mi e R.mi Signori Cardinali Inquisitori Generali, per non mancare a un loro imprescindibile dovere, nella plenaria adunanza di feria IV, 28 gennaio 1925, hanno giudicato che, fermo rimanendo in tutte e singole le sue parti il precedente decreto, il sopra nominato sac. Ernesto Buonajuti debba essere privato e col presente decreto lo privano, secondo il disposto del canone 2300 del Codice di Diritto Canonico, del diritto di vestire l'abito ecclesiastico con tutti gli effetti penali che ne derivano, condannando nello stesso tempo e proscrivendo tutte le sue nuove pubblicazioni nonchè la nuova Rivista *Ricerche religiose* da lui diretta (vol. I, gennaio 1925, n. 1, Roma).

simulque fideles monent ut eundem vitent, opera eius ne legant neve docentem adeant.

In questa dolorosa occasione gli stessi E.mi Padri hanno anche voluto che fossero autoritativamente ammoniti i fedeli, come col presente atto li ammoniscono, essere loro preciso dovere di guardarsi da questo traviato sacerdote, astenendosi dalla lettura dei suoi libri e pubblicazioni e dall' adire il suo insegnamento.

ne in posterum scriberet, collationes haberet et praelectiones in publicis scholis faceret de re attinente ad Religionem.

« Sperabatur fore ut in sua sacerdotis anima commotus, a sua nefaria actione tandem cessaret. Sed frustra : etenim, non solum nulla, post supra memoratum decretum, plena submissio ab ipso obtenta est ; sed praeterea, tum verbis tum novis scriptis, eadem via, quasi nihil actum sit, incedere perrexit et pergit.

« Intime tanta contumacia afflicti, E.mi et Rev.mi Domini Cardinales Generales Inquisitores, ne suo non omittendo officio derogarent, in plenario coetu feriae IV, 28 ian. 1925, iudicarunt, firmo in omnibus et singulis suis partibus praecedente decreto, supra nominatum sac. Ernestum Buonajuto privandum esse, — ac praesenti decreto ipsum privant, — ad normam can. 2300 Codicis iuris canonici, iure induendi habitum ecclesiasticum, cum omnibus poenalibus effectibus inde sequentibus.

« Simul omnia eius nova scripta edita et novam ephemeridem *Ricerche religiose* ab ipso directam (vol. I ian. 1925, n. 1. Romae) damnant et proscribunt.

« Hac tristi occasione utentes, iidem E.mi Patres etiam auctoritative admonitos fideles voluere, sicut praesenti actu eos admonent, ipsorum definitum officium esse ut sibi ab isto errante sacerdote caverent, eius libros et scripta non legendo, neque adeundo eius praelectiones.

Le quali cose tutte riferite distintamente nella solita udienza del giorno successivo al S. Padre, sono state da Lui pienamente approvate e confermate

Approbatio SS.mi

Roma, dal Palazzo del Santo Uffizio, 30 gennaio 1925.

Dies (30 ian. 1925).

Luigi Castellano, *Notaro della Sup. C. del S. Uffizio.*

ANNOTATIO

Sacerdos in poenam privatus iure deferendi habitum ecclesiasticum: *a*) quaevis ecclesiastica ministeria exercere prohibetur; *b*) privatur privilegiis clericalibus; *c*) amittit beneficium c. 2303 § 2, quo Ordinarius, pro sua caritate, quo meliore modo fieri potest, clerico etiam deposito sed vere indigenti ut provideat curare iubetur. Cf. can. 2300, 2303, § 2; 2304, § 2.

6. — S. C. S. Officii

Mandatum 9 iul. 1920.

EPISCOPIS BELGII ET NEERLANDIAE, DE OPERE « PALLIETER »

Delatum est ad Supremam H. Congr. S. Officii opus cui titulus: Felix Timmermans, PALLIETER (Amsterdam P. N. van Kampen en Zoon). Quo accurate perpenso, E.mi ac Rev.mi Cardinales una mecum Inquisitores Generales, in consessu habito Feria IV die nona decurrentis mensis, iudicarunt illud, utpote sensuum voluptatem fovens, pietatis exercitia haud reverenter tractans, ipsasque fidei veritates ludibrio exponens, animabus periculosum esse, ideoque mandarunt ut singuli Episcopi. Belgici et Hollandici Fideles moneant, opus ipsum legi non posse.

Operis delati

Dies (9 iul. 1920).

Censura de opere.

Mandatum.

R. Card. MERRY DEL VAL

« Cum in solita subsequentis diei audientia, haec omnia ad Sanctum Patrem distincte relata essent, ab Ipso plene approbata et confirmata sunt.

« Romae, e palatio S. Officii, 30 ian. 1925.

« Aloysius Castellano, Supr. S. C. S. Officii Notarius. »

ANNOTATIO

Ineunte anno 1921, episcopi Neerlandiae decretum hoc promulgarunt.

Iam antea, Em. Arch. Mechliniensis opus proscripserat.

---

7. — S. Congregatio S. Officii

Monitum et Significatio (sine data)

DE ACATHOLICIS S. SCRIPT. VERSIONIBUS ET SACERDOTE BOCCARDO
(A. A. S. 6 apr. 1925, XVII, 137)

I. MONITO (1)

Memorata prohibitione c. 1399, n. 1,

La suprema Sacra Congregazione del Santo Officio, a cui spetta la tutela della fede, crede necessario richiamare l'attenzione dei fedeli sopra il disposto del canone 1399, n. 1, del Codice di diritto canonico, secondo il quale le versioni, in qualunque lingua, della Sacra Scrittura, fatte o edite dagli acattolici, sono proibite *ipso iure*. Sotto tale sanzione pertanto cadono certamente le versioni italiane della Bibbia di Giovanni Luzzi, pastore valdese, che si vanno disseminando anche tra i cattolici; le quali, oltre esser infette dei soliti pregiudizi protestantici e razionalistici, tendono evidentemente ad insinuare la massima ereticale che le diverse comunioni cristiane, benchè separate tra loro e dalla Sede Apostolica Romana, devono considerarsi di pari diritto come altrettanti rami dell'unica vera Chiesa di N. S. Gesù Cristo.

fit eius applicatio ad versionem Luzzi

---

(1) « Monitum. — Supr. S. C. Officii, ad quam tutela fidei pertinet, necessarium ducit fideles attentos facere ad dispositionem c. 1399, n. 1 Cod. can. quo versiones S. Scripturae qualibet lingua ab acatholicis confectae vel editae, *ipso iure* prohibentur. Tali sanctione profecto afficiuntur italicae versiones Bibliorum Ioannis Luzzi, pastoris Valdensis, quae, praeterquam quod solitis praeiudiciis protestanticis et rationalisticis infectae sunt, manifesto huc spectant ut normam haereticalem insinuent, diversas communiones christianas, quamvis inter se et a Sede Ap.ca Romana separatae sint, pari iure considerandas esse ut totidem ramos unius verae Ecclesiae D. N. Iesu Christi ».

II. COMUNICATO (1)

Si rende noto che il sac. Emilio Boccardo, originario dell' archidiocesi di Genova (già religioso nell' Ordine dei Minori sotto il nome di P. Anacleto), secondo il disposto del can. 985, n. 7, ha contratta la irregolarità *ex delicto*, ed è, conseguentemente, sospeso dall' esercizio del sacro ministero.

Contracta i regularitas e d licto

ANNOTATIO

Vi c. 985, 7, irregulares ex delicto sunt « qui actum ordinis clericis in ordine sacro reservatum ponunt... ab eius exercitio poena canonica sive personali, medicinali aut vindicativa, sive locali prohibiti ».

---

8. — S. C. De Disciplina Sacramentorum

Responsum 22 apr. 1924

DE MISSA MEDIA NOCTE LITANDA

(A. A. S. 2 mart. 1925, XVII, 100)

In plenario Conventu E.morum Patrum, habito die 15 aprilis 1924, propositum fuit dubium : « An et quomodo expediat facultatem concedere « Missam litandi media nocte in Con- « ventibus Eucharisticis - in triduanis supplicationibus ad ho- « norem SS.mi Sacramenti, vulgo *tridui Eucaristici* occasione « sacrarum missionum, et, in genere, in aliqua alia extraordi- « naria solemnitate » ; et E.mi Patres, re mature perpensa, respondere censuerunt :

Dies. Petiti

« Quoad Conventus Eucharisticos, iam provisum per Litte- « ras Apostolicas SS. D. N. Pii PP. XI diei 7 martii 1924 « (*Act. Ap. Sedis*, an. XVI, vol. XVI, n. 4, pag. 154).

Dubium

« Relate ad alias huius generis petitiones, gratia concedi

Responsum

Gratiae

(1) « Significatio. — Notum fit sac. Aemilium Boccardo, ex archidioecesi Ianuensi oriundum (ex-religiosum Ord. Fratrum Minorum, sub nomine P. Anacleti), e sanctione c. 985 n. 7, contraxisse irregularitatem *ex delicto*, ac proin ab exercendo S. Ministerio esse suspensum. »

condiciones

« poterit a Sacra Congregatione de disciplina Sacramentorum « sub sequentibus conditionibus :

1) tantummodo in casibus extraordinariis ;

2) initium Missae celebrandae ne fiat ante dimidiam horam post mediam noctem ;

3) Sacrae supplicationes (vulgo *sacre veglie*) perdurent spatio circiter trium horarum ;

4) remoto semper quocumque irreverentiae periculo ».

Approbatio Pont.

Dies (22 apr. 1924).

His omnibus relatis Beatissimo Patri Pio Papae XI in audientia concessa infrascripto huius Sacrae Congregationis Secretario die 22 aprilis 1924, SS.mus eandem resolutionem approbare et confirmare dignatus est.

† A. Capotosti, Ep. Thermen., *Secretarius*

Ad illustrandam praedictam declarationem, iuvat referre sequens

VOTUM CONSULTORIS

Praemittenda.

Quaedam praemittenda duco, ut propositae quaestioni satisfaciam. Quaestio quidem naturam induit ad Rubricas maxime atque ad disciplinam spectantem, et cum nullam habeat cum Fidei articulis conexionem, Supremo Ecclesiae Legislatori plene subest, qui. in decernendo, utilitatem fidelium maxime intendit ac debitum erga augustum Sacramentum decus.

Antiquiores de hora missae sententiae

Recens canonica legislatio de tempore, quo Sacrum litari assolet, statuta habetur in canone 821, nn. 1, 2, 3, Cod. I. C. Idem canon suam ducit originem non modo ex fontibus, ad calcem ipsius Codicis relatis, quique illum collustrant, sed ex pluribus etiam Bullis Rescriptisque, quae media, ut vocatur, aetate, Summi Pontifices ediderunt, ex quibus apparet tunc temporis pro certo habuisse Doctores, *divinum Sacrificium* nisi *orto iam sole* fieri posse.

Praxis contraria, pluries fuit damnata, atque inter condemnationes praecipuae illae recensentur, quas irrogasse scimus Innocentium IV, Constitutione *Sub catholicae* et S. Pium V, Constitutione *Sancti unius*.

Rigor disciplinae

Huiusmodi autem Ecclesiae rigor tam late patuit, ut die 2 martii an. 1737, datis a S. Congregatione sacris tuendis ritibus praeposita, literis Cardinali Prospero Lambertini, Bononiensi Archiepiscopo, interdicta fuerit in eadem civitate, « multas « per horas ante auroram Missa lecta..., deindeque eodem die « pluribus iam a meridie transactis horis, . . . alia Missa, etsi « dominicus foret dies, atque etiam occasione, qua Sanctae Dei

« Parentis a S. Luca depictum simulacrum solemni pompa » duceretur.

Verum enimvero fucata sub hac abusus specie, quae hac illac apud plures Europae dioeceses antea irrepserat, et quam legitima auctoritas studuit interdicere, aliqua delitescebant indicia vetustioris ac diversae Ecclesiae disciplinae, olim ubique receptae, quae non modo sinebat, verum etiam Missam vespertinis nocturnisque horis interdum celebrari praecipiebat. Cuius vetustae disciplinae haud obscura adhuc supersunt vestigia in Missali Romano, plurimumque sacrae eruditioni prodesset eius historiam retexere ab altero saeculo post Christum natum ad saeculum XIII.

Vestigia vetustae disciplinae, et historica propositio.

Cum autem recens ius liturgicum tempus praefiniverit pro Sacro litando, initium scilicet, quo idem inchoari possit, atque horam, ultra quam litari haud licet, ea profecto exstitit legislatoris mens, ut Missam veluti peculiarem ritum actionemque reputaverit omni destitutam nexu aliis cum actionibus liturgiam quotidianam spectantibus. Veteres enim diverso quodam modo rem concipiebant; unde nil mirum quod ex diverso iudicio, diversa per tempora habita fuerit legislatio.

Primis Ecclesiae temporibus, quibus fidelium pietas maxime sacrae liturgiae adhaerebat, Missae Sacrificium, uti potior diei christianae pars habebatur, atque uti universi quotidiani cultus centrum; Officium enim divinum crebraque ieiunia, quae tunc per hebdomadam explebantur, arcte cum divino Sacrificio connectebantur; unde harum omnium piarum exercitationum Officiique canonici tempus, ab eo quo Sacrum litabatur dependens erat.

De hora missae

Primis item apostolicis temporibus, cum Ecclesiam inter et Synagogam dissidium nondum plene evenisset, atque non modo Apostoli sed ingens etiam fidelium multitudo servandae Legis esset studiosissima, festivae Synaxis Eucharisticae tempus legitimum nox fuit illa, quae intercedit sabbatum inter et dominicum diem. Sanctus sane Lucas, paucis licet verbis, de quodam nocturno conventu nos docet, cui S. Paulus Troadis praefuit. Plena vero hac super re nobis notitia suppeditatur ex iis quae plures primorum trium saeculorum scriptores tradiderunt, ex quibus eruitur eamdem Synaxim noctu peractam, et quae festivum diem praecedebat, diutino psalmorum cantu, lectionibus et concionibus absumi consuevisse, iisque expletis, Sacrum fideles, illucescente caelo, explere, Dominique Corpus sumere fuisse solitos. Caelesti hac dape refectis, austerum ieiunium,

quo plus interdum quam viginti quatuor horis fideles adstringebantur, desinebat.

De ieiunio.

Primo exeunte saeculo, bina ieiunia seu « Stationes » feria IV et VI cuiusque hebdomadae viguisse scimus. Eiusmodi ieiunia, minora nuncupata, hora nona post Missam finem habebant, quae hodie horae fere quintaedecimae respondet: mente siquidem veteres concipere nequibant, Coenam Domini celebrari posse adhuc ieiunii lege perstante. Utique pro pia abstinentia quodammodo sacranda, Eucharisticum Sacrificium requirebatur; hoc vero ieiunii semper finem indicebat; adeo ut quadragesimali tempore, quum abstinentia a cibo et potu usque ad vesperam ducebatur, tum solum Missa litari posset. Plura in Missali Romano eiusmodi primae disciplinae indicia adhuc supersunt, ex quibus Missam cum ieiuniis, quae *stationalia* dicebantur, et cum liturgicis vigiliis colligatam olim fuisse apparet.

De missa post Nonam.

Unde factum est, ut cuilibet diei, qui pro explendo ieiunio statutus erat, Missa post *nonam* fuerit designata; vigiliae vero et Missae, quae sabbatis Quatuor temporum peragebantur uti nocturni ritus habitae. Formulas praetereo omnes, utpote notas, quae clare ad nocturum tempus sese referunt.

De synaxi Natalis Domini.

Eiusmodi Missis antelucanis celebris addicenda est Eucharistica illa Synaxis Natalis D. N. Iesu media nocte, quae psalmodiae finem indicebat, ac ieiunio ipsius Natalis festum praeeunti.

Quin vero hoc Sacrificium ad idem Natale festum esset circumscriptum, litabatur immo post nocturnam psalmodiam, quae diem dominicum Martyrumque natalitia praecedebat. Verum, nocturna Natalis Domini Missa, Romanorum more, non media nocte peragebatur, sed « ad galli cantum », prouti ceterae omnes nocturnae Synaxes explebantur.

Privilegia regularium.

Hisce quae adnotanda erant praemissis, de veteri ac recenti Pontificio iure, animadvertendum est de hora ac tempore Sacrum faciendi plurima privilegia, nunc etiam quibusdam religiosorum Ordinibus, sacris Aedibus, piisque consociationibus etc., concessa, rigorem quodammodo hodierni iuris temperasse, aliquando pro Missa celebranda statutum tempus producendo a media nocte usque ad solis occasum.

Bullaria sodalium Franciscalium, Augustinianorum et quarumdam sodalitatum Monachorum, facultatem tribuunt ut *sodales itinerantes* rem divinam faciant a media nocte usque ad nonam diei posteri, ideoque usque ad horam decimam sextam. Romana Archisodalitas pro adorando noctu Ss.mo Sacra-

mento, nonnullis abhinc annis, privilegio et ipsa potitur ut Missa celebrari possit super ipsum Altare, ubi Sacramentum Augustum adorationi proponitur, idque postrema hora cuiusvis turni vigiliaris. Ex huiusmodi igitur concessione, Sacrum fieri poterit, hiberno tempore, vix dimidia elapsa fuerit hora post mediam noctem. In hoc quoque Sacrae Congregationis tabulario plura servantur documenta, quibus Pontificio iure huiusmodi venia indulgetur.

Modo propositae quaestioni diluendae accedam: « An et « quomodo concedere expediat Indultum Missam litandi media « nocte ad effectum de quo agitur? »

Receptae in S. Congr. distinctionis vis et origo et ius causa.

Praemonendum duco, distinctionem in hac Sacra Congregatione receptam inter Missam, quae Natalis Servatoris nostri nocte peragitur, aliasque Missas, quarum celebratio permittitur *saltem dimidia hora post mediam noctem*, nullimode ex liturgica traditione repeti posse, quae nullum olim agnoscebat discrimen inter Sacrum quod in perviglio Natalis D. N. I. C. peragebatur, aliaque quae in liturgicis pervigiliis operari consueverant et quae initium cuncta habebant « ad galli cantum ».

Nihilominus, ratione habita, volventibus saeculis, ad christianae pietatis incrementum erga iucundum Natalis Domini festum, recepta ab hac Sacra Congregatione praxis sapienti sane consilio inducta videtur, ac fovenda. Cum igitur petuntur facultates pro litandis nocturno tempore Missis, quoties *extraordinaria occasione*, qua vel Eucharistici Conventus habentur, vel supplicationes per horas quadraginta fiunt, etc., peropportunum esse censeo quod S. Sedes haud difficulter petitam extraordinaria de causa facultatem tribuat, quin ex ea verendum sit ne absus irrepant, vel etiam hodiernum Ecclesiae ius vigens detrimentum hac super re capiat. Codicis enim canon 821 Missae celebrationis tempus tantummodo respicit, quod suetae liturgiae leges his postremis saeculis servarunt; verum ipsius legumlatores haud plenam tunc sibi rationem comparare potuerunt de continuo assiduoque in dies incremento Eucharistici cultus, quem modo laetantes adauctum cernimus, praecipue cum nocturna solemnia peraguntur, sacrorum coetuum, Iubilaeorumque occasione. Eumdem Eucharisticum cultum provehendi causa haud temere est repetenda ab excitatis auctisque ubique a Summis Pontificibus atque Episcopis liturgicis studiis, fidelium primorum saeculorum spiritu exemploque ductis, quum christiana pietas maxime floreret.

Quid de leg Codicis,

Circumstantiae itaque quas iuris canonici Codex intendit, atque illae, quae in proposito casu concessionem suadent, dis-

similes prorsus exstant. Codex quidem de iis rationem habet, quae usitate fiunt, atque exinde legem condit; expetita e contrario concessio in casu peculiares perpendit circumstantias, quarum causa privilegium invocat, seu peculiarem novam legem, quae communi bono in « speciali casu » aptius consulat. Abest itaque quaevis discrepantia legem inter, petitamque a Sacra Congregatione facultatem; unde cum binae exstent dissimiles circumstantiae, aequitas postulat, ut binis dissimilibus praescriptis rei consulatur. Indultum siquidem modo expetitum, ad prisca christianae religionis tempora quodammodo nos revocat. Prouti in vetustis pervigiliis liturgicis eveniebat, modo etiam, antequam nocturnum Sacrum peragatur, solemnes plerumque supplicationes fiunt, adorationes ad aras producuntur, sacrarumque laudum cantus, uti olim, quum post diutinum vigilatum psalmorum concentum, Missae sacrificium ieiunium ac Synaxim tandem absolvebat. Ante dimidium saeculum haud profecto prudens exstitisset, peculiarissima licet adesset circumstantia, eamdem vetustam Eucharistiae sumendae praxim restituere, propter pericula quae impendere poterant ob viarum atque ipsarum ecclesiarum languida tunc lumina. Modo vero idem periculum valde est imminutum, magnis praesertim in urbibus, ubi vis luminis, electrica virtute comparata, adeo vias splendore collustrat, ut ipsum solem aemulare videatur. Sive igitur periculorum absentia consideretur, sive opportunitas, quae adest maxima, optime utraque suadere hanc Sacram Congregationem videtur, ut, praeter morem, facultatem noctu Missae Sacrificium celebrandi rite petentibus tribuat: idque ad canonicum quoque ius habito respectu, cum ex hoc vigere idem non desinat, tum etiam quia allatum de vetusta christiana aetate exemplum, casus potius respicit, qui extra suetum ordinem eveniunt.

Adiuncta mutata.

Conclusio indulgens.

Ad alteram quaestionis partem digrediens, scilicet: « Quibus sub modis indultum hoc concedere expediat », animadvertere praestat Ecclesiae auctoritatem, uti ex supra indigitatis Bullariis constat, plurimum meritorum rationem habuisse, quae propter benefacta sodales religiosorum Ordinum sibi comparaverant; quoties igitur facultas fit « fratribus itinerantibus » Sacrum operandi, Pontifex plerumque illius solummodo commodum respexit, qui itineris laborem erat aggressurus. Haec vero privati commodi ratio in quaestionem, de qua agitur, afferri nequit: unde altera, pro concedenda facultate, conditio, nocturno tempore Missas celebrandi, requirenda videtur, videlicet, quod de peculiaribus explendis ritibus agatur, qui « publica ac solemni causa » fiunt. Huic profecto facultatum generi

Modus concessionis.

praxis illa referenda est nocturnae adorationis Sacramenti Augusti, quae per quadraginta horas producitur, prouti laudabili admodum more Romae peragi solet ab Archisodalitate nocturnae adorationis, atque uti ab Ecclesiae suprema auctoritate fuit confirmata.

Ad quemlibet autem abusum amovendum, attenta quoque Eucharistici ieiunii lege, ratio suadere videtur, ut alia etiam pro tribuenda facultate conditio addatur. Quandoqnidem, cum eiusmodi *nocturnae Missae* ab ipsis primis christianis sint repetendae, congruum profecto foret, ut quemadmodum ipsi rem divinam faciebant vigili expleta synaxi, ita pariter nunc etiam, antequam divinum Sacrificium « nocte peragatur », ad nonnullas horas publicae supplicationes habeantur, sacrae conciones, adorationes, sacrique conventus etc., quibus fideles paratiores inveniantur ad tantum mysterium concelebrandum, cuiusque participes fiant, caelesti pane sese recreantes ; secus enim, illis omnibus posthabitis, sola Missae celebratio quodammodo vilesceret, atque abusus exoriri possent, unde aliquis ex domestica ad Dominicam coenam proxime accederet.

Superest ut disseramus, num Missa nocturno tempore litanda, media inchoari possit nocte, vel potius conveniens sit ad semihoram saltem post mediam noctem illam differe. *Conclusion e*

Comprobanda quidem est praxis huius Sacrae Congregationis, quae privilegium Missam media nocte litandi integrum et peculiare solemnissimo Natali diei D. N. Iesu Christi servandum studet; adeo ut, quamvis discrimen inter Missam nocte Natalis Domini celebrandam, aliasque, quae praeter morem litandae interdum permittuntur, neque fundetur in iure, neque in traditione liturgica, prudens nihilominus foret illud inducere ac servare, non modo quia parum incommodi indulto fruentibus affert, verum etiam quia emolumenta haud levia parit. Siquidem huiusmodi praxis :

I. Peculiarem omnino solemnitatem noctis Natalis Domini, diu ac quam latissime servatam, utpote sacris Scripturis innixam, firmat, eamque maiore veneratione adauget.

II. Longius protrahit tempus sacrae Synaxis suscipiendae, a domestica coena peracta.

III. Horae saltem dodrante a media nocte naturale ieiunium producit ante sacram Communionem, quod certo leviorem communi, generali, ac pervetustae Ecclesiae legi derogationem reddit.

IV. Aequius cum pristina liturgica consuetudine vetustorum pervigiliorum conspirat, quae licet sub vesperum inchoarentur, sacra nihilominus Communio, fere albescente caelo peragebatur.

v. Ad amovenda autem dubia, atque ad arcendos abusus, qui exoriri possunt ob dissimile, quod intercedit tempus *medium,* uti vocant, atque *astronomicum,* opportunum ducitur decernere, ut mediae noctis computatio, iuxta temporis rationem, quae a fidelibus fieri consuevit, scilicet de tempore, quod *medium* appellant, servetur.

Quare, etc.

ANNOTATIONES

I. Decreto S. Congregationis annectitur, pro declaratione, eruditum Consultoris votum quo a propriis annotationibus conscribendis paene dispensamur. Criticas enim rationes agere de historica eius relatione non vacat, et a proposito nostro alienum est.

Quae autem tradat haec fere sunt.

Post memoratam severitatem qua divinum Sacrificium stricte alio tempore atque orto iam sole fieri vetabatur, Consultor ostendit quantum hodierna Codicis disciplina, quae Missam ab aliis actionibus liturgicis separat, ab antiquitus recepta recesserit; unde etiam non levis discrepantia in tempore missae assignando deprehenditur et explicatur.

Brevi tunc summa, repetitis fatis historicis pristinorum temporum, Consultor memorare non omittit derogationes recentioris disciplinae de hora missae, quas itinerantes religiosi consecuti sunt.

Inde ad quaestionem sibi propositam diluendam deveniens, omnino propensum se ostendit in gratiam missae nocturnae concedendam in iis adiunctis quae primaevos Christianorum morem quodammodo imitantur. Exigit proinde publicam causam et quasdam praemissas supplicationes.

Demum, quamvis nullo historico fundamento id innitatur, suadet tamen ut Missa dicta stricte media nocte privilegium maneat proprium sollemnitatis Nativitatis Domini.

II. Votis Consultoris decretum apprime respondet,

uno excepto de temporis computatione. Consultor eam volebat esse secundum tempus medium. Dum hoc praeteriit, S. Congregatio tacite confirmavit regulam Codicis quae pro Missa sollemni tempus usuale, pro missis vero privatis optionem computandi varia tempora esse sinit. Cf. can. 33.

III. Quod congressibus eucharisticis concessum est his verbis habetur in *Acta Apostolicae Sedis*, p. 156 :

« Si vero, alicuius Eucharistici conventus tempore, Augustum Sacramentum, uti mos est, publice adorandum per totam noctem exponatur, largimur ut una Missa a media nocte litari possit, in qua fas sit omnibus adstantibus ad sacram synaxim accedere; sacerdotes, qui nocturnae huiusmodi adorationi interfuerint, prima quam memoravimus missa expleta, vel prima post mediam noctem hora transacta, Sacrum peragere queant ».

9. — S. C. de Religiosis

Responsa 5 feb. 1925

DE RELIGIOSIS PROFESSIS VOTORUM TEMPORARIORUM IN AMENTIAM INCIDENTIBUS.

(A. A. S. 2 mart. 1925, XVI, 107)

Dubiorum casio.

Cum aliquando accidat ut Religiosus, vel Religiosa, perdurante triennio votorum quod ex praescripto can. 574 cuicumque professioni perpetuae aut solemni praemitti debet, in amentiam incidat, ita ut, elapso triennio, cum sui compos non appareat ad professionem admitti nequeat, quippe qui actus huiuscemodi non sit capax, dubitatum est quid tali occurrente casu agendum sit.

Cum autem res in praxi non levis momenti videretur, Sacra Congregatio, praehabito voto plurium Consultorum, sequentia dubia Emorum Patrum iudicio subiecit :

Dubia
I. Debetne religiosus amens in religione retineri.

I. — « Utrum Professus votorum simplicium in Ordine vel « in Congregatione, qui durante triennio amens evaserit, iudicio medicorum etiam insanabiliter, possit, finito triennio, ad « suos vel ad saeculum remitti, an vero debeat in Religione « retineri »;

et quatenus negative ad primam partem, affirmative ad secundam :

II. Qualis est eius iuridica condicio.

II. — « Qualis sit praedicti Religiosi conditio iuridica, et « ad quid teneatur Religio in casu ».

Responsa 28 nov. 1924.

Porro E.mi Patres Sacrae Congregationis Sodalium Religiosorum Negotiis praepositae, in plenario coetu habito ad Vaticanum die 28 novembris 1924, re mature perpensa, respondendum consuerunt :

Ad I.

« Ad I : *Negative* ad primam partem, *affirmative* ad secundam ».

Ad II.

« Ad II : Religiosus de quo agitur in dubio I, pertinet ad Religionem in eo statu in quo erat quando mente captus est, et Religio tenetur erga eum ad eadem officia ad quae tunc tenebatur ».

Approbatio SS.i.

Facta autem de omnibus relatione Sanctissimo Domino Nostro Pio divina Providentia PP. XI, in audientia habita ab infrascripto P. Abbate Secretario die 30 novembris 1924, Sanctitatis Sua resolutionem Emorum Patrum approbare et confirmare dignata est.

Dies (5 feb. 1925).

Datum Romae, ex Secretaria Sacrae Congregationis de religiosis, die 5 februarii 1925.

C. Card. Laurenti, *Praefectus.*
Maurus M. Serafini, Abb. O. S. B., Secretarius.

Annotationes

I. Cum religiosi isti in statu quo erant maneant, si amentia eos temporariis votis astrictos repererit, eorum condicio erit professorum votorum temporariorum. Adveniente tamen die votorum, haec cessarunt, nec renovanda sunt.

II. Decretum istud, ut e fonte securo accepimus, peculiariter acceptum fuit S. Pontificis qui in eo rationes aequitatis et aedificationis communis coniunctas esse laudabat.

10. — S. Paenitentiaria Apostolica

Varia acta de Iubilaeo

N. B. Nullum ex responsis seu rescriptis hic allegandis in Acta Apostolica Sedis *promulgatum est; illa novimus et referimus sive ex documento authentico sive ex ephemeride* Osservatore Romano.

I. Novae Pontificiae largitiones

Facultas lucrandi iubilaeum pro defunctis una visitationum serie.

1. His verbis, in catholicis ephemeridibus Romanis, primum beneficium vulgatum est:

« Il Comitato di dame romane (costituito per festeggiare solennemente il centenario della nascita della Fondatrice della Società delle Suore Ausiliatrici del Purgatorio) « dal cuore squisitamente buono del S. Padre, per mezzo della Sacra Penitenzieria, in data 21 p. p. ha ottenuto il *privilegio* per tutti coloro i quali abbiano già acquistato o acquisteranno il *S. Giubileo* in Roma, normalmente o con le relative dispense o commutazioni, di continuare ad acquistarlo per tutto l'anno Santo a suffragio dei Defunti, tutte le volte che visitino le quattro Basiliche Patriarcali, oppure *di ritorno all'abituale residenza*, quattro volte la Chiesa parrocchiale a tenore delle condizioni solitamente prescritte, *servatis in reliquis servandis*, ossia, in particolare modo la confessione e Comunione e lo spazio del giorno naturale od ecclesiastico (più comodo).

Dies (21 mart. 1925).

Itaque, vi rescripti S. Paenitentiariae 21 martii 1925, quicumque *Romae*, condicionibus sive ordinariis, sive dispensatione aut commutatione obtentis, iubilaeum iam acquisierint vel acquisituri sint, possunt, e munificentia S. Pontificis, per totum annum sanctum, idem iubilaeum in suffragium defunctorum acquirere quoties quattuor Basilicas patriarchales debite visitaverint vel, reduces in habitualem suam residentiam, quater ecclesiam parochialem, solito praescripto more, visitaverint, *servatis in reliquis servandis*, i. e. specialiter confessione, communione et spatio unius diei naturalis vel ecclesiastici.

Roma, li 12 Marzo 1925

Gratiae memoratae

2. Beatissimo Padre (1), Con rescritto N. 393/25 del 9 Marzo la S. Penitenzieria ai Pellegrini della Società Ginnastica « L' Espérance » di Bruxelles, concedeva di poter lucrare due o più volte l'Indulgenza del Giubileo (una per sè, le altre per i fedeli defunti) visitando successivamente due o più volte le Basiliche nel convenuto numero di giorni e di notti a seconda delle riduzioni ottenute. Ora altre insistono perchè sia accordato identico favore.

extensio ad omnes peregrinos petitur.

Ora pertanto domando che la concessione fatta alla Società « l' Espérance » di Bruxelles sia estesa indistintamente a tutti quei pellegrini che compiono le pratiche per il Giubileo.

Orator.

Prostrato al bacio del Sacro Piede, imploro l' apostolica Benedizione e mi professo

di Vostra Santità
umilissimo servo e obb.mo figlio in G. C.
Sac. Giuseppe Nogara
Segretario Generale

Conceditur.

Ex Audientia Ss.mi habita die 20 Martii 1925, Ss.mus benigne annuit pro gratia extensionis iuxta preces pro peregrinis tantum.

Fr. ANDREAS Card. FRÜHWIRTH *Maior Paenitentiarius*
Exp. a. 21. 3. 25.

ANNOTATIONES

I. *De priore largitione.* 1. Gratia ista communis est incolis et peregrinis, dummodo *Romae* iubilaeum acquisierint vel acquisituri sint.

2. Quattuor basilciae visitandae sunt, tum ab incolis Urbis, tum a peregrinis, quam diu hi Romae consistant; in patriam autem seu locum habitualis

(1) Id est latine. Rescripto n. 393|25 9 martii, S. Paenitentiaria peregrinis Bruxellensis societatis gymnasticae « L' *Espérance* » concessit ut indulgentiam iubilaei bis vel pluries (semel pro se, aliis vicibus pro fidelibus defunctis) lucrari possent visitando successive, bis vel pluries, Basilicas munero convento dierum et visitationum, secundum obtentas reductiones. Iam vero alii insistunt ut eadem gratia ipsis concedatur.

Itaque oro ut gratia Bruxellensi societati « L' *Espérance* » facta, sine alia distinctione ad omnes peregrinos qui opera pro iubilaeo complent extendatur.

Ad osculum sacri Pedis prostratus imploro Apostolicam Benedictionem me profitens

Sanctitatis Vestrae
Humillimum servum et oboedientissimum filium in I. C.
Presb. Iosephus Nogara
Secretarius generalis

residentiae reduces, integrum est peregrinis, in locum basilicarum, propriam ecclesiam parochialem quater visitare, eodem effectu.

3. Visitationes peragendae sunt more solito praescripto, et intra eandem diem. Ac reliquae iubilaei condiciones implendae sunt.

Quare, quoties quis iubilaeum lucrari voluerit, toties confessionem et communionem et preces ad mentem S. Pontificis iterare debebit.

4. **Quaeres**, quaenam ecclesia a regularibus exemptis visitanda sit extra Urbem?

Cum nihil peculiare de religiosis exemptis statuatur, debebunt ipsi quoque visitare ecclesiam parochiae in cuius territorio domus religiosa constituta est.

II. *De altera largitione.* Haec est propria peregrinorum. Ipsis conceditur ut quoties, etiam statim, visitationes sibi praescriptas in singulis basilicis repetiverint, toties indulgentiam iubilaei lucrari possent (semel pro se deinde pro fidelibus defunctis). Rem exemplo illustremus. Suppono ipsis imperatam esse visitationem singularum basilicarum tribus distinctis diebus peragendam. Si his diebus bis vel ter singulas basilicas more Portiunculae visitaverint, bis vel ter condicioni iubilaei satisfacient.

De *confessione* et *communione* nihil expresse statuitur. Sed si talis fuit commutatio visitationum, ut eadem die omnes visitationes peragi possint, tacita dispensatio a repetenda confessione et communione concessa videtur. Eadem enim die communio non potest, confessio autem iterari non consuevit. Cum tamen confessio et communio etiam postea utiliter peragi queant, tutius erit cum intentione lucrandi iubilaei totiens iterare confessionem et communionem quotiens visitationes lucrandi iubilaeo necessarias iteraveris.

Quaeres, utrum necne confessarii, freti canone 935, condiciones istius largitionis commutare possint,

in alias pro iis qui, legitimo impedimento detenti, easdem implere nequeant?

Resp. Id potius negandum esse arbitramur, quia non agitur de condicionibus directe praescriptis ad lucrandas indulgentias, sed de facilitate facta ad denuo lucrandas indulgentias iubiliaei. Huiusmodi autem facilitas videtur ab ipso Pontifice *taxative* concessa.

II. De condicione confessionis.

Dubium de necessitate repetendi confessionem.

Ad dubium sic propositum: « Ut magis ad conversionem exstimulentur ac fructum plenioris reconciliationis statim percipiant, Constitutio *Si umquam* permittit ut qui praeceptum *communionis* paschalis neglexerint, possint una communione praecepto paschalis et praeceptae pro iubilaeo communionis condicioni satisfacere. Sufficit quoque ad iubilaeum lucrandum praecepti viatici susceptio.

Nihil autem dicitur de *confessione*.

Resposum

Debentne isti peccatores conversi vel isti aegroti *bis confiteri* ut lucrentur iubilaeum?

Dies (29 ian. 1925).

Die 29 ianuarii respondit S. *Paenitentiaria*: " Prout proponitur, affirmative. „

ANNOTATIO

Responsio ista clara est. Tantum dubitari potest quid insinuent verba « Prout proponitur ». Fortasse benignam mentem temperandi obligationem vel permittendi confessario commutationem, si haec petita essent.

III. De facultatibus confessariorum ad annum approbatorum in Urbe

Facultas in casum specialissime reservatum.

1. *De extraordinaria facultate absolvendi ab excommunicatione specialissime reservata* sacerdotem qui semel vel bis complicem absolverit.

Quaestio sic posita est: « *a*) Utrum in C. *Si unquam*, diei 15 iulii 1924, ubi conceditur facultas absolvendi confessarium reum absolutionis proprii complicis in peccato turpi semel aut

bis tantum attentatae, intelligitur delictum bis attentatum et nondum remissum, an etiam delictum antea semel vel pluries attentatum, sed iam absolutione remissum? »

Resp. « Affirmative ad primam partem, negative ad alteram. »

b) An in omni casu paenitens interrogandus sit de hac circumstantia relapsus in peccatum huiusmodi iam antea remissum? »

Resp. « In ordine ad valorem dandae absolutionis, negative: in ordine ad occasionem relapsus removendam, si ex adiunctis opportunum fuerit, affirmative ». *Responsum*

Datum Romae in S. Paenitentiaria, die 5 martii 1925. *Dies 5 mart. 1925).*

ANNOTATIO

Si primum responsum solum remansisset, inde facile colligeres Confessarium sua extraordinaria facultate iuvare non posse sacerdotem qui pluries in vita proprium complicem absolvere attentasset, quamvis ab ultima sua reconciliatione cum Deo et Ecclesia semel tantum vel bis istius delicti reus fuisset.

Sed responsum ad b) diversam explicationem prioris responsi insinuat. I. e. positive dicitur absolutionem efficaciter cadere posse in eum qui ab ultima sua reconciliatione cum Deo et Ecclesia semel aut bis tantum delictum admiserit; nec attendendum esse, sub respectu validae absolutionis, ad circumstantiam relapsus post priorem reconciliationem; seu, in numero binario, delicta iam ante absoluta computari non debere. Quam interpretationem « officiose » confirmatam novimus in S. Paenitentiaria, quae sic benignam sententiam sequitur eorum qui tenent facultatem datam esse ad absolvendum etiam sacerdotem qui pluries in vita complicem proprium absolvere attentaverit, dummodo delicta ista remissa fuerint priusquam semel vel bis relaberetur. Ideo in t. XIII, p. (203) lin. 15 et 16 corrigenda est parenthesis (in vita) quae severiorem sententiam insinuat.

Ut liquet, absoluiio sic, vi facultatum iubilaei impertita, minime onus levat sacerdotis qui, propte simile delictum antea commissum identidem ad Sacran Paenitentiariam recurrere debet ut officium suum diu tius conservare permittatur.

Quaesita.

2. *De facultate dispensandi et commutandi*, sive vota siv iubilaei condiciones et absolvendi a censuris.

Valetne de condicionibus iubilaei concessum de votis et censuris.

Quaestiones haec positae sunt. *a*) Utrum concessus San ctissimi Domini, de quo in Monito XVII S. Poenitentiariae, no solum de absolutione a censuris et votorum dispensationibu sed etiam de commutationibus condicionum iubilaei intellig possit, ita ut qui iubilaeum semel sine commutatione lucratu sit, possit dein semel ad iteratam (v. g. pro animis defuncto rum) iubilaei acquisitionem, commutationem operum iubilaei confessario impetrare.

Usus unius facultatis impeditne alium?

b) Utrum post impetratam huiusmodi commutationem, pos sit praeterea, si necessitas dein primum occurrat, obtineri se mel a confessario sive absolutio a censuris sive dispensatio voti

Responsa.

Resp. ad *a*) affirmative et ad mentem. Mens autem es « concessum » de quo orator loquitur in primo quaesito, no agere de commutatione visitationum, sed votorum tantum: d commutatione visitationum agitur in prima parte moniti XVII.

Dies (9 mart. 1925).

(Die 9 martii, 1925).

ANNOTATIO

Declarata mens responsionis ad primum, demon strat confessarium facultate pollere commutandi, pro pter rationabilem causam, visitationes ei qui, *sin huiusmodi commutatione*, iubilaeum consecutus sit idque etiam pluries, ante quam iubilaeum denu acquisierit. Nova autem commutatio iam fieri nequit postquam iubilaeum cum commutatione operum ac quisitum sit.

Docemur praeterea, ex responsione ad b), confes sario qui mere opera commutaverit integram maner facultatem semel dispensandi a votis, vel absolvend a censuris. Ac simili modo dicendum videtur, pote

statem esse confessarii ut etiam post acquisitum iubilaeum, semel absolvat a censuris qui, sine huiusmodi absolutione iubilaeum lucratus sit, etiam si is dispensationem a voto obtinuerit.

IV. De privilegiatis seu de stabiliter impeditis.

Quinam sint operarii.

1. De qualitate *operarii*. Quaesitum est utrum necne hoc nomine venirent personae « quae variis modis mente laborant in variis muneribus nec maiore libertate fruuntur quam qui manibus».

Responsum est die 5 martii. Negative.

Responsum Dies (5 mart. 1925).

Quaesitum est utrum verba Bullae *Apostolico Muneri*. « Item operarii qui cotidiano sibi victum labore comparantes nequeunt se ab eo per tot dies atque horas abstinere » habeant significationem restrictivam, an mere declarativam, scilicet, num includantur inter operarios ii qui labore non manuali sed liberali, uti e. g. institutores, secretarii, etc. sibi victum comparant ».

Responsum Dies (12 mart. 1925).

Responsum est die 12 martii 1925: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam partem.

Quinam sint privilegiati impediti.

2. Quaesitum est utrum necne indulgentia iubilaei extra Romam acquiri possit a personis quibus nec tempus nec pecuniae ad Romam petendam desunt et nihilominus impeditae sunt, v. g. quia maritus non sinit uxorem a se discedere.

Resp. Dies (9 mart. 1925).

S. Paenitentiaria, 9 mart. 1925, respondit Negative.

ANNOTATIO

Responsio manifesta ratione innititur, cum impediti taxative *C. Apostolico Muneri* numerentur. Prodiit in *Osservatore Romano*, 4 april. 1925.

Quinam operarii et senes sint privilegiati.

3. *De condicione qua privilegiati suo privilegio uti possint.*

Quaestiones: *a*) Utrum in § VIII Constitutionis *Apostolico Muneri* beneficii participes intelligi debeant omnes indiscriminatim operarii an taxative illi tantum qui nequeunt se a labore abstinere per tot dies et horas, visitandis ibaslicis necessarias;

Resp. Dies (5 mart. 1952).

Responsum est, die 5 martii: « Affirmative ad primam partem, negative ad alteram ».

b) Utrum septuagenarii privilegio gaudeant in C. *Aposto-*

lico Muneri ipsis concesso, etiamsi optima valetudine et viribus integris adhuc sint praediti ».

Resp. Dies (5 mart. 1925).

Responsum est die 5 martii, « Affirmative ».

Quoties ipsis prostet indulgentia.

4. Quoties indulgentiam sibi lucrari possint.

Verba C. *Apostolico Muneri* quibus personae ibi numeratae dicuntur lucrari posse iubilaeum « etiam bis intra anni decursum », significante facultatem esse personae ut bis sibi indulgentiam acquirat, an semel pro se et semel pro animis purgatorii ?

Resp. Dies (9 mart. 1925).

S. Paenitentiaria, die 9 mart. 1925 respondit : « Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Contrariis quibuscumque non obstantibus ».

ANNOTATIO

Declaratio ista nobis videtur esse restrictiva. Cf. dicta in priore parte istorum Periodicorum p.

Prodiit in *Osservatore Romano*, 4 april. 1925.

V. De visitandis ecclesiis stationum et basilicis

Quo pacto visitationes componi possit.

Quaesita. 1. Utrum, quando plures *eadem die* indicantur ecclesiae stationales possint singulis ecclesiis factae visitationes ita valere ut, v. g. si tres sint, iam solae 17 visitationes ecclesiarum stationalium faciendae supersint ;

2. Utrum praescriptae Basilicarum visitationes iisdem diebus quibus visitationes ecclesiarum stationalium, utiliter peragi possint ;

3. Utrum qui ordinariis condicionibus iubilaeum lucrari coeperit, possit per 20 visitationes ecclesiarum stationalium et duas series visitationum Basilicarum lucrari iubilaeum, ac *dein* visitationes a se *ante factas* coniungere cum novis, quae sufficiant ad condiciones ordinarias implendas.

Resp. Dies (9 mart. 1925).

Responsum est die 9 martii 1925, *Affirmative ad omnia.*

VI. Facultates confessariis peregrinis concessae pro anno iubilari 1925 (1).

I.

Facultates speciales, quae tribuuntur *omnibus confessariis* peregrinis, qui iam in sua dioecesi rite approbati sint pro utroque sexu. *Facultates omnibus communes.*

1. Absolvendi, in foro conscientiae et sacramentali tantum, quaslibet personas sibi confitentes a quibusvis ecclesiasticis censuris a iure reservatis aut Ordinario aut, etiam speciali modo, Romano Pontifici, *dummodo publicae non sint;* nec non ab omni peccato excessuque quantumvis gravi, etiam S. Sedi reservato; iniunctis salutaribus paenitentiis atque aliis de iure iniungendis. *De censuris.*

Ne absolvant igitur, nisi in adiunctis atque ad praescriptum can. 2254, illos qui irretiti sint aliqua censura quovis specialissimo modo Romano Pontifici reservata; possint tamen absolvere a censura can. 2367 in confessarium lata, qui reus sit absolutionis proprii complicis in peccato turpi semel aut bis tantummodo attentatae contra vetitum can. 884.

2. Dispensandi in foro sacramentali tantum, commutando in alia pia opera, ex iusta et probabili causa, omnia et singula *vota privata,* etiam iurata, exceptis iis votis privatis quae can. 1309 Apostolicae Sedi reservantur; itemque exceptis iis quorum dispensatio vergeret in detrimentum tertii, aut commutatio minus arceret a peccato quam ipsum votum. *De votis.*

3. Dispensandi super visitatione quattuor Basilicarum cum singulis peregrinis, qui vel ob paupertatem vel ob aliam gravem causam in Urbe consistere tamdiu nequeant; scilicet contrahendo vel reducendo ad tres saltem dies visitationes, vel has pro suo prudenti arbitrio in alia pia opera commutando. *De visitandis Basilicis.*

II.

Facultates speciales, quae aliquibus **(Decem) Confessariis** peregrinis, ab hac S. Paenitentiaria vel ab Episcopo proprio electis, tribuuntur ad confessiones sociorum peregrinorum accipiendas. *Facultates quorundam speciales.*

(1) Prodiit in *Bollettino ufficiale del Comitato centrale* febr. 1925, p. 176.

De censuris publicis

1. Absolvendi in foro sacramentali tantum, non solum a censuris et excessibus occultis, prout statuitur sub n. I, 1, pro omnibus confessariis peregrinis, sed etiam a censuris, *quae sint publicae* in locis ubi commorati sunt paenitentes vel ibi nominatim declaratae sint aut quamvis delictum ad iudicem fori externi iam fuerit deductum, dummodo sint sincere parati quodvis mandatum demisse accipere fideliterque adimplere et scandalum reparare. Moneantur tamen hi publice censurati de libello S. Paenitentiariae omnino submittendo, quo, expresso nomine, cognomine et dioecesi paenitentis ipsaque censura cum testimonio concessae absolutionis, postuletur expeditio Rescripti Ordinario remittendi. Ne absolvant tamen, nisi ad tramitem can. 2254, praelatos cleri saecularis ordinaria iurisdictione praeditos superioresque maiores religionis exemptae, qui in censuras *speciali modo* Romano Pontifici reservatas *publice* inciderint.

De irregularitatibus.

2. Dispensandi, pro foro conscientiae et in sacramentali confessione tantum, constitutos in sacris, ad ordines tantum exercendos, ab irregularitatibus ex delicto occulto, non exclusa irregularitate ex homicidio voluntario aut abortu, de qua in can. 985,4, iniuncto in hoc casu onere recurrendi intra mensem ad Sacram Paenitentiariam et standi eius mandatis.

De votis etiam reservatis

3. Dispensandi in foro secramentali tantum in alia pia opera, ex iusta et probabili causa, commutando omnia ac singula *vota privata,* iurata quoque et etiam Sedi Apostolicae reservata. Similiter possint commutando dispensare votum castitatis perpetuae, ac perfectae, etsi fuerit ab origine *publice* emissum in professione religiosa etiam sollemni et firmum manserit, aliis huius professionis votis relaxatis. Nullatenus tamen ab eodem illos dispensare possint, qui vi ordinis sacri ad legem caelibatus tenentur, etiamsi ad statum laicalem redacti sint. A dispensatione votorum se abstineant, si dispensatio tertio praeiudicium afferat ac minus arceat a peccato quam ipsa dispensatio.

De impedimentis matrimonii.

4. Dispensandi, pro foro conscientiae et in actu sacramentalis confessionis tantum, ab occulto impedimento consanguinitatis in tertio vel secundo gradu collaterali, etiam attingente primum, quod ex generatione illicita proveniat, solummodo ad matrimonium convalidandum, non vero ad contrahendum vel sanandum in radice.

5. Dispensandi ab occulto criminis impedimento, neutro machinante, sive agatur de matrimonio contracto sive de contrahendo, iniuncta, in primo casu, privata renovatione consensus

secundum can. 1135; imposita, in utroque, gravi ac diuturna paenitentia salutari.

MONITA

De usu facultatum confessariis peregrinis tributarum

Monita de usu.

Circa locum et personas.

1. His facultatibus specialibus confessarii peregrini ubicumque in Urbe et suburbio, servatis can. 908-910 et de consensu rectorum ecclesiarum, cum sociis peregrinis uti poterunt, ita tamen ut eas valide exercere valeant, si unus vel alter peregrinus non socius cum peregrinis sociis ad ipsos confitendi causa accedat.

Mens in paenitentibus requisita.

2. Item his facultatibus tantummodo uti poterunt erga paenitentes, qui ad confitendum accedant *ea mente et sincera voluntate*, ut iubilaei veniam consequantur; attamen si paenitens, mutato proposito, ab acquirenda indulgentia iubilaei destiterit atque cetera opera imperata intermiserit, omnes absolutiones censurarum, si excipias quae ad reincidentiam datae sint, itemque commutationes et dispensationes concessae in suo robore permaneant.

Quotiens usus permittatur.

3. Similiter his facultatibus *semel* cum singulis paenitentibus uti poterunt, quamvis indulgentia iubilaris, iteratis operibus, pluries acquiri possit in suffragium defunctorum.

Quid de aliis facultatibus.

4. Firmae et immutatae remaneant facultates, quas omnes confessarii peregrini per S. Paenitentiariam vel alio legitimo modo consecuti sunt vel consequentur.

De haereticis et schismaticis.

5. Haereticos et schismaticos, qui fuerint publice dogmatizantes, ne absolvant nisi ii, praeter haeresis et schismatis abiurationem, saltem coram ipso confessario factam, scandalum, ut par est, reparaverint.

De absolutione complicis.

6. Pariter confessarium reum absolutionis proprii complicis in peccato turpi ne absolvant, nisi impositis tum remotione occasionis relapsus, tum obligatione non audiendi neque absolvendi proprium complicem, nisi secus immineat periculum infamiae et scandali, tum onere eum ipsum monendi, si redierit, attentatas absolutiones invalidas fuisse.

De sectariis

7. Ne absolvant eos qui sectis vetitis, massonicis aliisve id genus nomen dederint, etiamsi occulti sint, nisi scandalum reparaverint et a quavis activa cooperatione vel favore suae cuiusque sectae praestando cessaverint; ecclesiasticos et religiosos, quos sectae ascriptos noverint, ad can. 2336 n. 2 denuntiaverint; libros, manuscripta et signa, quae eandem sectam

respiciant, quotiescumque adhuc retineant, absolventi tradiderint aut se ea tradituros vel destructuros serio promiserint, imposita, pro modo culparum, gravi paenitentia salutari.

De libris prohibitis

8. A lectione librorum prohibitorum ne quemquam absolvant, nisi is libros, quos penes se retinet, Ordinario aut confessario tradiderit aut se eos traditurum vel destructurum serio promiserit.

De censura ob partem laesam.

9. Ab occultis censuris ob partem laesam incursis ne absolvant, nisi prius paenitens parti laesae satisfecerit aut serio promittat se, quamprimum poterit, satisfacturum.

De violantibus clausuram monialium.

10. Violantibus clausuram monialium ob malum finem, in casibus etiam occultis, prohibeant sub poena reincidentiae, quominus in posterum accedant ad monasterlum illud eiusque ecclesiam.

De male acquisitis bonis ecclesiasticis.

11. Eos, qui bona vel iura ecclesiastica sine venia acquisiverint, ne absolvant nisi aut iis restitutis aut compositione quam primum a competente auctoritate postulata, aut promissione sincere facta eandem postulandi.

De inungenda paenitentia

12. Non praetermittant suam cuique paenitenti salutarem paenitentiam sacramentalem imponere, etiamsi sibi conicere iure liceat paenitentem plenissimam iubilaei veniam esse consecuturum.

De operum ordine, confessione et communione.

13. Confessio et communio ad lucrandam iubilaei indulgentiam nihil refert, utrum visitationibus quattuor Basilicarom antecedant, interponantur vel succedant; unum necesse est, ut postremum ex praescriptis opus, quod etiam communio esse potest, in statu gratiae ad can. 925 n. 1 compleatur. Ab obligatione praescriptae confessionis nullum ne exsolvant; neque fas est, nisi agatur de impeditis, communionem in alia pia opera commutare.

De precibus ad mentem SS.

14. Ne ullum dispensent a precibus, quae ceteroquin a visitatione separari quidem possunt, ad mentem Summi Pontificis fundendis. In commodum tamen aegrotorum eas liceat imminuere aut commutare.

De commutandis visitationibus.

15 Visitationem Basilicarum ne commutent in alia opera, quae ad peragenda paenitens sit alio obligationis propriae dictae titulo astrictus; et sciant se conscientiam suam oneraturos, si inconsulto aut sine iusta causa paenitentem ex eiusmodi visitationibus exemerint.

Dies (1 dec. 1924).

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Paenitentiariae, die 1 mensis decembris anno Domini MDCCCCXXIV.

O. Card. GIORGI, *Paenitentiarius Maior*
S. Fagiolo, S. Paenit. a Secretis.

ACTA SUMMATIM RELATA

11. — *SS. D. N. Pius P. XI.*

Acta Consistorii secreti.

A. Sacrum Consistorium secretum, 30 mart. 1925 habitum est in quo S. Pontifex redditam a Card. Scapinelli perulam S. Collegii tradidit Amedeo Card. Ranuzzi de Bianchi, hoc anno S. Collegii Camerario ; — duos presbyteros Cardinales creavit Eustachium Ilundain y Esteban, Vincentium Casanova y Marzol ; — audita brevi narratione Card. Vico, de BB. I. B. Vianney, Petri Canisii, Ioannis Eudes, Mariae Magd. Postel, Magd. Sophiae Barat, suffragia Cardinalium exquisivit « An scilicet deveniendum sit ad solemnem praefatorum Beatorum Canonizationem », de qua re singuli sententiam suam aperuerunt, — Ecclesias providit et pallia concessit. Antea autem, in solita allocutione, laetitiam suam e turmis peregrinorum etiam humilis condicionis et expositione Missionum perceptam expressit ac propositum nuntiavit sollemniter commemorandi sextum decimum saeculum a convocato concilio Nicaeno.

Consistorii publici.

In publico autem Consistorio 2 april. 1925, sollemnis peroratio facta est Beatorum mox canonizandorum. (A. A. S. 2 april. 1925, XVII, 121.)

B. *Litterae de dioecesibus.*

Dioecesis Lausann. Genevens. Friburgensis.

1. Bulla *Sollicitudo*, 17 oct. 1924, dioecesis Lausannensis, praeter titulum Genevensem, quem iam habet, titulum quoque Friburgensem assumere iubetur, et vocabitur Lausannensis, Genevensis et Friburgensis ; atque eccl. S. Nicolai ad gradum et honorem ecc. cathedralis evehitur. (A. A. S. 3. feb. 1925, XVII, 57.)

Lancaster in Anglia.

2. Bulla *Universalis*, 22 nov. 1924, pars septemtrionalis archidioecesis Liverpolitanae, adiectis comitatibus *Westmorland* et *Cumberland* dioecesium *Hagulstaden, et Novocastren.*, erigitur in novam dioecesim *Lancasterien.* Ipsa nova dioecesis constituitur suffraganea metropolitanae ecclesiae Liverpolitanae. (A. S. S. 2 apr. 1924, XVII, 129.)

C. *Litterae de Vicariatibus et Praefecturis Apostolicis*:

Sinu in rep. Columbiana

1. Bulla *Christi Domini*, 12 iun. 1924, regio vulgo *Sinu*, disiuncta ac separata a dioec. Carthaginensi, erigitur in Praefecturam Apost. de *Sinu*, et regimini Seminarii pro Mission. exteris Burgis conditi subiecta manet. (A. A. S. 15 ian. 1925, XVII, 1).

Vic. Ap. Marianhill et Natal in Africa merid.

2. Brevi *Ex hac*, 5 dec 1924, mutantur fines Apostol. Vicariatuum de Marianhill et Natalensis, in Africa merid. (A. A. S. 3 feb. 1925, XVII, 63).

Vic. de Gallas et Praef. de Kaffa in Africa Orien.

3. Brevi *Apostolalus supremi*, 20 feb. 1925, definiuntur fines inter Vicariatum Ap. de Gallas et Praef. Apost. de Kaffa, in Africa Orientali. (A. A. S. 2 apr. 1925, XVII, 132.)

D. *Litterae de basilicis*:

In basilicam minorem eriguntur:

S. Bartolomeo Bologna

Brevi *Exstat*. 8 nov. 1924, ecclesia paroecialis S. Bartholomaei Apostoli archidioecesis *Bononien.* (A. A. S. 15 ian. 1925, XVII, 8).

B. M. V. de Mercede Lima.

Brevi *Limana*, 12 dec. 1924, ecclesiae B. M. V. de Mercede archidioecesis *Liman.* (Perù.) (A. A. S. 15 ian. 1925, XVII, 9).

All'Impruneta, presso Firenze.

Brevi *Inter praecipua*, 19 dec. 1924, ecclesia B. M. V. vulgo « all'Impruneta », prope Florentiam, archid. *Florentin.* (A. A. S. 2 mart. 1925, 131).

S. Francesco Palermo

Brevi *Sancto Francisco*, 23 dec. 1924, ecclesia S. Francisci Assisiensis, O. F. M. Conventualium archidioec. *Panormitan.* (A. A. S. 2 mart. 1925, XVII, 97.)

E. *In collegiatam ad honorem eriguntur*:

S. Maria de Eleemosyna Albavilla

Bulla *Apostolica Sedes*, 20 oct. 1924, ecclesia paroecialis S. Mariae « de Eleemosyna », in civitate « Albavilla » archidioec. *Catanen.* Capitulum quatuor Dignitatibus, octo canonicis pariterque mansionariis constabit. (A. A. S. 2 mart. 1925, XVII, 89.)

S Petrus et Paulus Iacca

Bulla *Apostolica Sedes*, 20 nov. 1924, ecclesia SS. Petri et Pauli dioecesis *Iacien.* Capitulum undecim constabit canonicis, cum una Dignitate. (A A. S. 2 mart. 1925, XVII, 92.)

S. Sebastianus Iacca

Bulla *Ad divinam gloriam*, 20 nov. 1924, ecclesia S. Sebastiani Martyris, dioeces *Iacien.* Capitulum undecim constabit canonicis cum unica Dignitate. (A. A. S. 2 mart 1925, XVII, 94.)

12. — *S. Congr. Consistorialis*

Poetzling (Monaco e Frisinga)

A. *Dismembratio et aggregatio paroeciae*: 9 febr. 1925, Villa *Poetzling* a parochia *Egglkofen* et a dioecesi Ratisbonensi

in perpetuum separatur, atque paroeciae *Schoenberg*, archid. Monacensis et Frisingensis aggregatur. (A. A. S. 2 mart. 1925, XVII, 99.)

13. — *S. Cong. Concilii*

1. Rescripto S. C. *Concilii* 13 nov. 1924, SS. D. dispensavit a ieiunio et ab abstinentia peregrinos qui iubilaei causa se Romam conferunt, idque durante itinere, tam in itu quam reditu.

Legitur in *Anno santo* nov. 1924, p. 120.

De canonico theologo eiusque servitio chorali.

2. *Ripana. Servitii choralis*, 13 ian. 1923 Ex causa *Rapollen. Servitii choralis*, 9 iul. 1921 (*Per.*, XIII, 195), iam constabat canonicum theologum qui in seminario regionali ex mandato sui episcopi doceat, ab onere residentiae et lectionis etiam per substitutum tradendae eximi. In causa *Ripana* additur: 1. eum ab onere hebdomandarii plene eximi, ex iure tamen *particulari* teneri ad tradendum capitulo stipendium pro Missa conventuali. In capitulo nempe Ripano, onus missae capitularis vi praebendae obtentae canonicos gravat, ita ut qui v. g. morbo ab ea celebranda impediatur stipendium celebranti e suis reditibus solvere debeat; 2. canonicum theologum per ferias scholares ad officium in capitulo implendum teneri, si illae feriae ferias capitulares superent. (A. A. S., 15 ian. 1925, XVII, 20.)

14. — *S. Congregatio de Propaganda Fide*

A. *Restitutio Sedis dioecesanae*:

Hakodatè in Iaponia.

Decreto 25 nov. 1924, Sedes dioecesis *Hakodatensis* a civitate *Sendai* restituitur in urbem *Hakodatè* (Iaponia) (A. A. S. 15 ian. 1925, XVII, 22).

B. *Mutatio denominationis Vicariatuum Apostolicorum*:

Vicariatus Sinenses.

1. Decreto 3 dec. 1924, Vicariatus Apostolici sequentes Sinensis regionis mutant nomen:

Nomen antiquum	*Nomen novum*
Manciuria Meridion.	Moukden.
Manciuria Septentr.	Kirin.
Mongolia Orient.	Iehel.
Tchagar	Siwantze.
Celi Septentr.	Peking.
Celi Maritim.	Tientsin.
Celi Centr.	Paotingfu.
Celi Meridio-Occident.	Chengtingfu.
Celi Meridio-Orient.	Siensien.
Celi Orient.	Yungpingfu.
Scianton Septentr.	Tsinanfu.

Nomen antiquum	*Nomen novum*
Scianton Merid.	Yenchowfu.
Scianton Orient.	Chefoo.
Sciansi Septentr.	Taiyanfu.
Sciansi Merid.	Luanfu.
Honan Orient.	Kaifengfu.
Honan Occident.	Chengchow.
Honan Merid.	Nanyang.
Honan Septentr.	Weihweifu.
Nganhoei	Wufu.
Kiukiang	Nanchang.
Cekiam Orient.	Ningpo.
Cekiam Occident.	Hangchow.
Hupeh Occident-Septentr.	Laohokow.
Hupeh Occident-Merid.	Ichang.
Hunan Merid.	Changsha.
Hunan Septentr.	Changteh.
Shensi Centr.	Sianfu.
Shensi Merid.	Hanchungfu.
Shensi Septentr.	Yenanfu.
Kansu Occident.	Lanchowfu.
Kansu Orient.	Tsinchow.
Seciuen Septentr-Occident.	Chengtu.
Seciuen Orient.	Chungking.
Seciuen Merid.	Suifu.
Kientchang	Ningyuanfu.
Thibet	Tatsienlu.
Kuangton Occident. et Hainam	Pakhoi.
Kuamsi	Nanning.
Kuiceu	Kweiyang.
Yunnan	Yunnanfu.
Missio de Mongolia exter.	Urga.

(A. A. S. 15 ian. 1925, XVII, 23).

Regio Indosinensis

2. Decreto 3 dec. 1924, Vicariatus Apostolici sequentes Indosinensis regionis mutant nomen :

Nomen antiquum	*Nomen novum*
Tonkino Orient.	Haïphong (Tonkino)
Tonkino Septentr.	Bac Ninh »
Tonkino Centr.	Buichu »
Tonkino Super.	Hung Hoa »
Tonkino Occid.	Hanoi »

Nomen antiquum	*Nomen novum*
Tonkino Maritim.	Phat Diem (Tonkino)
Tonkino Merid.	Vinh (Annam)
Cocincina Septentr.	Huè »
Tonkino Orien.	Quinhon »
Tonkino Occid.	Saigon (Cocincina)
Cambogia	Pnom Phenh (Cambogia)
Siam	Bang Kok (Siam)

(A. A. S. 15 ian. 1925, XVII, 25).

15. — *S. Congr. Rituum*

1. *Causae beatificationis et canonizationis*

1. Die 26 nov. 1924, signata est commissio introductionis causae beatificationis Ven. Servae Dei *Mariae a Solitudine Torres Acosta*, fundatricis Instituti Sororum Servarum Mariae infirmis ministrantium, quae 2 dec. 1826 in civitate Matritensi nata, d. 11 oct. 1887 ibidem defuncta est (A. A. S., 15 ian. 1925, XVII, 27.) *Maria a Solitudine Torres Acosta, 26 nov. 1924.*

2. Die 28 dec. 1924, SS. D. N. Pius XI decrevit tuto procedi posse ad sollemnem Beati *I. B. Mariae Vianney*, parochi vici Ars, canonizationem (A. A. S., 15 ian. 1925, XVII, 31.) *B. Vianney, 28 dec. 1924.*

3. Die 28 dec. 1924, SS. D. N. Pius PP. XI decrevit constare ad effectum canonizationis de duobus miraculis intercessione *M. Magd. Sophiae Barat*, fundatricis Congregationis Sororum a SS. Corde, post eius Beatificationem patratis (A. A. S., 3 febr. 1925, XVII, 71). *B. Barat, 28 dec. 1924.*

4. Die 8 febr. 1925, SS. D. N. Pius PP. XI pronuntiavit constare ad effectum canonizationis de duobus miraculis intercessione Beati *Ioa. Eudes*, conditoris Congregationis Iesu et Mariae, obtentis (A. A. S., 2 mart. 1925, XVII, 209). *B. Eudes, 8 feb. 1925.*

5. Die 8 febr. 1925, SS. D. N. Pius Pp. XI decrevit tuto procedi posse ad sollemnem B. Magd. Sophiae Barat Canonizationem (A. A. S. 2 ap. 1925, XVII, 145). *B Barat, 8 feb. 1925.*

6. Die 19 mart. 1925, idem decrevit de B. Eudes (A. A. S. 2 ap. 1925, XVII, 145). *B. Eudes, 19 mart. 1925*

7. Eadem die idem decrevit de B. Theresia ab Infante Iesu (A. A. S. 2 ap. 1925, XVII, 148). *B. Theresiaab Infants Iesu, 19 mart. 1925*

Ven. Strambi, 19 mart. 1925.

8. Die 19 mart. 1925, SS. D. N. Pius Pp. XI decrevit constare de duplici miraculo ad effectum beatif. ven. Vinc. Mariae Strambi (A. A. S. 2 ap. 1925, XVII, 150.)

32 martyrum, 19 mart. 1925.

9. Die 19 mart. 1925, decrevit constare de martyrio 32 religiosarum in Gallia capite damnatarum in perturbatione exeuntis saec. XVIII (A. A. S. 2 ap. 1925, XVII, 153.)

B. Petri Canisii, 29 mart. 1925.

10. Die 29 mart. 1925, pronuntiavit constare de duobus miraculis in causa canonizationis B. Petri Canisii (A. A. S. 2 ap. 1925, XVII, 156.)

16. — *Sacra Rota Romana.*

E 48 causis coram S. R. Rota decurrente anno 1924 actis, 42 circa validitatem matrimonii versabantur. In 27 casibus S. Tribunal decrevit constare de nullitate matrimonii et quidem decies et quater ex capite vis et metus, quinquies ex capite impotentiae sive ex parte viri sive ex parte mulieris. Dum bis declaravit constare de nullitate ob appositam condicionem, quinquies idem negavit. (A. A. S., XVII, 3 febr. 1925, 74.)

17. — *Provisio ecclesiarum*

Decretis S. *Congr. Consistorialis*, nominati sunt:

Ugento

23 dec. 1924, R. P. D. Antonius Lippolis, ep. Uxentinus.

Matagalpa

24 dec. 1924, R. P. D. Isidorus Carrillo y Salazar, ep. Matagalpensis (Nicaragua.)

Attalia

2. ian, 1925, R. P. D. Petrus Gonzalez y Estrada, arch. Attaliensis ex ep. S. Christophori de Habana.

Genova

16 ian. 1925, R. P. D. Dalmatius Minoretti, ep. Ianuensis ex ep. Cremensi.

Verissa

16 ian. 1925, R. P. D. Felix Ambrosius Guerra, arch. Verissensis ex arch. S. Iacobi de Cuba.

Gap

16 ian. 1925, R. D. P. Gabriel de S. Llobet, arch. tit. Odessensis, ex ep. Vapicensi.

Galgary

6 febr. 1925, R. P. D. Ioan. Thomas Kidd, ep. Galgariensis.

Blois

9 febr. 1925, R. P. D. Alfridus Iulius Mélisson, ep. tit. Irenopolitanus, ex ep. Blesensi.

Cotrone e S. Severina

13 febr. 1925, R. P. D. Carmelus Puija, ep. Cotronensis et arch. S. Severinae (personaliter unitae.)

Neocesarea

13 febr. 1925, R. P. D. Antonius Videmari, ep. tit. Neocaesariensis, ex ep. Oleastrensi.

18. — *Nominationes.*

A. Brevibus Apostolicis nominati sunt:

15 nov. 1924, R. P. Theodorus Buddenbrock e Societ. Verbi Divini de Steyl, Vic. Apostolicus de Kansu Occidental. (Lanchowfu). In Sinis. *Kansudecident*

25 nov. 1924, R. P. Paulus L. C. Montaigne, e Cong. Mission., Vicar. Apost. de Ce-Li Centrali (Paotingfu). In Sinis. *Ce-Li Centr.*

27 nov. 1924, R. P. Robertus (Constantius) Lagae Ord. Praed., Vic. Apost. de Uellé Orientali. (In Congo Belgico). *Uellè Orient.*

6 dec. 1924, R. P. Natalis de Cleene, ex Instituto Mission. B. M. V. Imm. de Scheut, coadiutor cum iure success. Vic. Apostolici Leopoldopolitani. (In Congo Belgico.) *Léopoldville*

13 febr. 1925, R. P. Ernestus Hauger, e Societ. Lugdunensi Missionum ad Afros, ep. tit. Clazomenensis, Vic. Apost. vicariatus a Littore Aureo. (Africa Occident.) *Costa d Oro*

13 febr. 1925, R. P. Aloisius Gabriel Xav. Jantzen, e Societ. Parisiensi pro Miss. Exteris, ep. tit. Tremithuntinus, Vic. Apost. de Chungking. (Cina). *Chung-King*

B. Decretis S. *Congr. de Propaganda Fide* renuntiati sunt:

16 ian. 1925, R. D. Lucianus Bossens, Praeses Pontificii Operis a Propag. Fidei pro Republ. Helvetica. *Svizzera*

16 ian. 1925, R. D. Paulus M. Krieg, membrum Consilii Super. Generalis eiusdem Pont. Operis pro eadem Republica. *Svizzera*

C. Decretis S. *Cong. de Propaganda Fide* ad beneplacitum Cong. renuntiati sunt:

1 nov. 1924, R. P. Edoardus Galvin, Societ. Hibernensis a S. Columbano, Praefectus Apost. de Hanyang. (Cina). *Hanyang*

4 mart. 1925, R. P. Marcellinus Lardizábal Aguirrebengoa, e Sem. Burgensi pro Mission., Praef. Apost. de Sinu. *Sinu*

18 mart. 1925, R. P. Georgius Weig e Societ. Verbi Divini de Steyl, Praef. Apost. de Tsingtao. *Tsingtao*

19. *Necrologium.*

Hexham e Newcastle 9 febr. 1924, Ill. D. Richardus Collins, ep. Hagulstaden. et Novocastren.

Ross 18 apr. 1924, Ill. D. Dionys. Kelly, ep. Rossen.

Coutances 19 iul. 1924, Ill. D. Ios. Guérard, ep. Constantien.

Hamilton 6 aug. 1924, Ill. D. Thomas Ios. Dowling, ep. Hamiltonen.

Fort-Wayne 6 dec. 1924, Ill. D. Herm. Jos. Alerding, ep. Wayne Castren.

Salamanca 28 dec. 1924, Ill. D. Ang. Reguera y Lopez, ep. Salmantin.

Cincinnati 6 ian. 1925, Ill. D. Henr. Moeller Arch. Cincinnaten.

Salford 18 ian. 1925, Ill. D. Ludov. Carolus Casartelli, ep. Salforden.

Tortosa 20 ian. 1925, Ill. D. Petrus Rocamora y Garcia, ep. Derthusen.

Tebe 29 ian. 1925, Ill. D. Ignatius Gladès Berzi, ep. Theban. Coptorum.

Rodez 5 febr. 1925, Ill. D. Carolus Ligonnès du Pont, ep. Ruthenen.

Minieh 27 febr. 1925, Ill. D. Maximos Sedfaoni, ep. Hermopolitan. Coptorum.

BIBLIOGRAPHIA

Libri

E. Genicot-Salsmans (S. I.), *Casus Conscientiae propositi ac soluti*. Opus postumum accommodatum ad Theologiae Moralis Institutiones eiusdem auctoris. Editio 5 ad normam Codicis Iuris recognita et pluribus casibus aucta a I. Salsmans S. I. 1 vol. in-8, 747 p. Bruxellis, A. Dewit, 1925. Venit 25 fr.

Mario Falco (Prof.) *Introduzione allo studio del Codex iuris canonici*, in-8, XIX-326 p. Torino, Fratelli Bocca, 1925. Venit 36 Lire.

Fonti del diritto canonico e movimento per la Codificazione. — Formazione del Codice. — Materia, tecnica e sistema del Codice. — Codice e diritto anteriore. — Fonti di produzione del diritto canonico secondo il Codice. — Soggetti, diritti soggettivi, atti giuridici. — Chierici, religiosi, laici. — Gli uffici ecclesiastici. — Il magistero ecclesiastico. — Il matrimonio. — Le cose sacre ed i beni ecclesiastici. — Delitti e pene. — Procedimenti giudiziari e disciplinari. — Il carattere ed il valore del Codice.

Onofrio Alesi (R. D.). *La bolla di Clemente VIII e la civicità dei Benefici parrocchiali di Palermo*. 1 vol. in-8, VIII-198 p. Tip. Pontificia, Palermo 1923.

Introduzione. — Diritto canonico. — Diritto romano. — Diritto Siculo. — Diritto Patronato. — Valore dell' interpretazione dottrinale. — Interpretazione dei privilegi. — In fatti. — Giurisprudenza canonica. — Giurisprudenza nostra. — Consuetudine.

Mgr. Gibier (Ill. D.). *La France Catholique organisée*. 1 vol. in-16, XXXIV-366 p., Paris, Téqui, 1925.

Première partie: Les débuts de l'organisation diocésaine. — Deuxième partie: La Codification de l'organisation diocésaine. — Troisième partie: Quelques précisions sur l'organization diocésaine.

— * L' *Apostolat Missionnaire de la France* - Conférences données à l' Institut Catholique de Paris (1ère serie: 1923-1924) 1 vol. in-16, XXII-310 p. Paris, Téqui, 1924. Prix: 7 fr.

Lettre préface de S. E. le Card. DUBOIS. — 1. Conférence: S. G. Mgr. de GUEBRIANT: *La Chine Catholique*. — 2. Conf.: R. P. GAZOT (Lazariste): *Ce que nous faisons en Turquie?* — 3. Conf.: R. P. TAUZIN (Prov. des PP. Blancs): *Le C rdinal Lavigerie et l'Afrique chrétienne*. -- 4. Conf.: R. P. GRANGENEUSE (S. J.): *Le Catholicisme dans les Indes*. — 5. Conf.: R. P. DUCHAUSSOY (O. M. I): *Aux glaces polaires*. — 6. Conf.: R. P. MANIGLIER (Assompt.e): *Les Missions d'Orient*. — 7. Conf.: R. P. R. LEPRÊTRE (Prov. des FF. Min.): *Terre Sainte et Maroc*. — 8. Conf.: R. P. JOULORD (des Miss. Afric. de Lyon): L'*Afrique Occidentale*. — 9. Conf.: R. P. LAJOIE (Eud.): *Le Vicariat Apostolique du Golfe Saint-Laurent*. — 10. Conf.: S. G. Mgr. LE ROY (Sup. des PP. du S. Espr.): *L'Évangélisation des colonies françaises*.

* *Annuaire complet des Communautés religieuses en Belgique (y compris Eupen et Malmédy) et le Grand Duché de Luxembourg*. Publié sous la direction d'un membre du Clergé. Administration: 66, rue Montagne aux Herbes Potagères — 1925- in 8o , 354 p. Prix, 20 fr.

A. D'Agnel (R. D.) et Docteur **D' Espiney**, *Psychologie et Psychothèrapie éducatives*. - 1 vol. in-16, 608 p. Paris, Téqui, 1924. Prix: 12 fr. Première partie: Psychologie éducative. — Deuxième partie: Psychothérapie éducative.

É. Hugon (O. P.), *Études sociales et psychologiques, ascétiques et mystiques* - 1 vol. in-16, VI-178 p. Paris, Téqui 1924. Prix: 5 fr.

La vraie Societé des Nations. — L' union des Églises. — Les maladies de la volonté. — La psychologie de la conversion. — Les vertus actives et les vertus passives. — La profession religieuse et les oeuvres. — La mystique de Saint Thomas d'Aquin.

Mgr. Laveille et Ch. Collin (R. D.). *Gabriel Deshayes et ses Familles religieuses d'après des documents inédits*. 1 vol. in-8, 583 p. Paris, Téqui, 1924. Prix: 7 fr.

P. Giloteaux (R. D.), *La Bienheureuse Thérèse de l' Enfant Iésus et La Vie de Victime*. 1 vol. in-16, X-204 p. Paris, Téqui, 1925. Prix: 5 fr. Première partie: Généralitès sur la vie de victime. Deuxième partie: La B. Thérèse et la vie de victime. — Troisième partie: Moyen pratique de réaliser la vie de victime. — Appendice.

(Continuabitur)

PARS ALTERA

MONUMENTA

20. — Inter Sanctam Sedem et Poloniae Rempublicam

Sollemnis Conventio 10 febr. 1925

(A. A. S. 2 iun. 1925, 17, 273)

AU NOM (1) DE LA TRÈS-SAINTE ET INDIVISIBLE TRINITÉ

Propositum Pontificis et Praesidis reipublicae.

Sa Sainteté le Pape Pie XI et le Président de la République de Pologne M. Stanislas Wojciechowski.

Animés du désir de déterminer la situation de l'Église Catholique en Pologne et d'établir les règles qui régiront d'une manière digne et stable les affaires ecclésiastiques sur le territoire de la République.

Ont décidé à ces fins de conclure un Concordat.

Nominati plenipotentiarii.

En conséquence Sa Sainteté le Pape Pie XI et le Président de la République de Pologne M. Stanislas Wojciechowski ont nommé leurs Plénipotentiaires respectifs.

(1) *Conventionem sic latine reddimus*: In nomine Sanctissimae et Individuae Trinitatis.

Sua Sanctitas Papa Pius XI et Praeses reipublicae Poloniae Dom. Stanislaus Wojciechowski,

Moti desiderio definiendi condicionem Ecclesiae catholicae in Polonia et constituendi normas quae in reipublicae territorio negotia ecclesiastica digno et stabili modo regent, statuerunt ut propter hos fines Concordatum iniretur.

Ideo Sua Sanctitas Papa Pius XI et Praeses reipublicae Polonicae D. Stanislaus Wojciechowski suos quisque Plenipotentiarios nominarunt.

Sa Sainteté :

Son Éminence Révérendissime le Cardinal Pierre Gasparri, Son Secrétaire d'État ;

Le Président de la République :

Son Excellence M. Ladislas Skrzynski, Ambassadeur de la République de Pologne près le Saint-Siège ;

M. le Professeur Stanislas Grabski, Député à la Diète de Pologne, ancien Ministre des Cultes et de l'Instruction Publique.

Les Plénipotentiaires surnommés, après l'échange de leurs pleins pouvoirs, ont arrêté les dispositions suivantes, auxquelles désormais les hautes Parties contractantes s'engagent à se conformer.

ARTICLE I

Libertas et iura publica Ecclesiae catholicae.

L'Église Catholique, sans distinction de Rites, jouira dans la République de Pologne d'une pleine liberté. L'État garantit à l'Église le libre exercice de Son pouvoir spirituel et de Sa juridiction ecclésiastique, de même que la libre administration et gestion de Ses affaires et de Ses biens, conformément aux Lois divines et au Droit Canon.

ARTICLE II

Libertas relationum hierarchicarum.

Les Évêques, le Clergé et les fidèles communiqueront librement et directement avec le Saint - Siège. Dans l'exercice de leurs fonctions, les Évêques communiqueront librement et directement avec leur Clergé et leurs fidèles et publieront de

Sua Sanctitas : Eminentissimum ac Reverendissimum Cardinalem Petrum Gasparri, ipsius Secretarium Status ;

Praeses Rei publicae: Excellentissimum D. Ladislaum Skrzynski, Legatum Rei publicae Polonicae apud S. Sedem ; D. Professorem Stanislaum Grabski, Deputatum dietae Polonicae, ex Ministrum Cultuum et Instructionis Publicae.

Praefati ministri plenipotentiarii, post mutuam plenarum facultatum communicationem, sequentia disposuerunt quibus altae Partes contrahentes se obligant ad se conformandas.

ART. I. — Ecclesia catholica, nulla facta Rituum distinctione, plena libertate in republica Poloniae fruetur. Status spondet Ecclesiae liberum usum suae potestatis spiritualis et suae ecclesiasticae iurisdictionis, necnon liberam administrationem et gestionem suorum negotiorum et bonorum, secundum divinas Leges et Ius canonicum.

ART. II. — Episcopi, Clerici et fideles libere et directe cum Sancta Sede communicabunt. In exercendis muneribus suis, Episcopi cum suo Clero et

même leurs instructions, leurs ordonnances et leurs lettres pastorales.

Article III

Nuntius et Legatus rei publicae. Extensio facultatum Nuntii in civit. Gedanensem.

Afin de maintenir les relations amicales entre le Saint-Siège et la République de Pologne, un Nonce Apostolique résidera en Pologne et un Ambassadeur de la République résidera auprès du Saint-Siège. Les pouvoirs du Nonce Apostolique en Pologne s'étendront sur le territoire de la Ville Libre de Dantzig.

Article IV

Civilis potestatis praesidium.

Les autorités civiles prêteront leur appui à l'exécution des décisions et des décrets ecclésiastiques : *a)* au cas de destitution d'un ecclésiastique, de sa privation d'un bénéfice de l'Église, après promulgation d'un décret canonique relatif à la destitution ou privation susmentionées, ou au cas de défense du port de l'habit ecclésiastique ; *b*) au cas de perceptions de taxes ou prestations destinées à des buts ecclésiastiques et prévues par les lois de l'État ; *c*) dans tous les autres cas prévus par les lois en vigueur.

Article V

Tutela ecclesiasticorum et religiosorum.

Les ecclésiastiques jouiront dans l'exercice de leur ministère d'une protection juridique spéciale. A l'égal des fonctionnaires de l'État, ils bénéficieront du droit d'exemption de la saisie judiciaire pour une partie de leurs traitements. Les

fidelibus libere et directe communicabunt, eademque ratione suas instructiones, ordinationes et litteras pastorales publici iuris facient.

ART. III — Ad amicam consuetudinem fovendam inter Sanctam Sedem et rem publicam Poloniae, Nuntius Apostolicus residebit in Polonia et Legatus reipublicae residebit penes S. Sedem. Facultates Nuntii Apostolici in Polonia ad territorium liberae civitatis. Gedanensis (Dantzig) se extendent.

ART. IV. — Potestates civiles suam operam praestabunt exsequendis decisionibus et decretis ecclesiasticis : *a*) cum post promulgatum canonicum decretum de remotione ab officio vel de privatione beneficii, clericus removendus est vel beneficio ecclesiastico privandus est, vel cum delatio habitus Ecclesiastici vetanda est ; *b*) cum percipiendae sunt taxae vel praestimonia destinata finibus ecclesiasticis et legibus Status praevisa ; *c*) in omnibus aliis casibus quos vigentes leges praevident.

ART. V. — Ecclesiastici peculiari iuridica protectione in exercendo suo ministerio fruentur. Non secus ac Status officiales, partem suarum pensionum a iudiciali apprehensione immunem servabunt. Ecclesiastici post susceptos

Privilegium immunitatis.

ecclésiastiques ayant reçu les ordres, les religieux ayant prononcé leurs vœux, les élèves des Séminaires et les novices, qui se seraient présentés aux Séminaires et aux Noviciats avant une déclaration de guerre, seront exemptés du service militaire, excepté les cas de levée en masse. Dans ces derniers cas, les prêtres ordonnés exerceront dans l'armée leur ministère, sans qu'il soit porté prejudice, cependant, aux intérêts des paroisses, tandis que les autres membres du Clergé seront affectés au service sanitaire. Les ecclésiastiques seront libérés des fonctions civiques, incompatibles avec la vocation sacerdotale, telles que celles de Jurés, de membres des Tribunaux, etc.

ARTICLE VI

Immunitas locorum sacrorum

L'immunité des églises, des chapelles et des cimetières est assurée, sans que cepedant la sécurité publique ait à en souffrir.

ARTICLE VII

Privilegia exercitus Poloni.

Les armées de la République de Pologne jouiront de toutes les exemptions qui sont accordées aux armées par le Saint-Siège, selon les prescriptions du Droit Canon. En particulier, les aumôniers auront, par rapport aux militaires et à leurs familles, les droits de curé et exerceront les fonctions de leur ministère sous la juridiction d'un Évêque d'Armée, qui aura le droit de les choisir. Le Saint-Siège permet que ce Clergé, en ce qui concerne son service militaire, soit soumis aux autorités de l'Armée.

ordines, religiosi post nuncupata vota, alumni seminariorum et novicii qui, ante indictum quodpiam bellum, ingressum in seminaria et Noviciatus postulaverint, a servitio militari immunes erunt, nisi universalis hominum evocatio decreta fuerit. In his postremis casibus, sacerdotes ordinati ministerium suum in exercitu exercebunt, ita tamen ut paroeciarum utilitatibus non noceatur, alii vero clerici servitio sanitario addicti erunt. Ecclesiastici eximentur civilibus muneribus quae cum vocatione sacerdotali componi nequeunt: ita officia iuratorum, membrorum tribunalium, etc.

ART. VI. — Immunitas ecclesiarum, sacellorum et coemeteriorum certa redditur, ita tamen ut securitas publica nullam inde detrimentum patiatur.

ART. VII. — Exercitus reipublicae Poloniae omnibus exemptionibus fruentur quae, secundum iuris canonici praescripta, exercitibus a S. Sede concessae sunt. Praecipue, cappellani quod ad milites eorumque familias iura parochi habebunt, et functiones sui ministerii exercebunt sub iurisdictione Episcopi castrensis, qui eos nominare poterit. S. Sedes permittit ut Clerus iste, pro servitio suo militari, his qui exercitui imperant subdatur.

Article VIII

Oratio pro republica eiusque praeside.

Les dimanches et le jour de la fête nationale du Trois Mai, les prêtres officiants réciteront une prière liturgique pour la prospérité de la République de Pologne et de son Président.

Article IX

Catholica Hierarchia.

Aucune partie de la République de Pologne ne dépendra d'un Évêque dont le siège se trouverait en dehors des frontières de l'État polonais. La Hiérarchie catholique dans la République de Pologne sera constituée comme suit :

A) — *Rite latin*

I. — Province ecclésiastique de Gniezno et Poznan :

Archidiocèse de Gniezno et Poznan :
Diocèse de Chelmno.
» de Wloclawek.

II. — Province ecclésiastique de Varsovie :

Archidiocèse de Varsovie.
Diocèse de Plock.
» de Sandomierz.
» de Lublin.
» de Podlachie.
» de Lódz.

III. — Province ecclésiastique de Wilno :

Archidiocèse de Wilno.
Diocèse de Lomza.
» de Pinsk.

ART. VIII. — Diebus dominicis et in festo nationali tertiae diei mensis maii, sacerdotes qui functiones sacras peragunt, orationem liturgicam pro prosperitate reipublicae Polonae eiusque Praesidis recitabunt.

ART. IX. — Nulla pars reipublicae Poloniae subdetur Episcopo cuius sedes extra fines Status Poloniae fuerit. In republica Poloniae, Hierarchia catholica hac ratione constituetur :

A) — *Ritus latinus.*

I. Provincia ecclesiastica Gnesensis et Posnaniensis : archidioecesis Gnesensis et Posnaniensis. - Dioecesis Chelmensis ; Vladislaviensis.

II. Provincia ecclesiastica Varsaviensis : archidioecesis Varsaviensis. Dioecesis Plocensis ; Sandomiriensis ; Lublinensis ; Podlachiensis seu de Janow ; Lodzensis.

III. Provincia ecclesiastica Vilnensis : archidioecesis Vilnensis. Dioecesis Lomzanensis ; Pinskensis.

IV. — Province ecclésiastique de Lwów :

Archidiocèse de Lwów.
Diocèse de Przemysl.
» de Luck.

V. — Province ecclésiastique de Cracovie :

Archidiocèse de Cracovie.
Diocèse de Tarnów.
» de Kielce.
» de Czestochowa.
» de Silésie.

B) — *Rite greco-ruthène*

Province ecclésiastique de Lwów :

Archidiocèse de Lwów.
Diocèse de Przemysl.
» de Stanislawów.

C) — *Rite arménien*

Archidiocèse de Lwów.

In altero Brevi, diei 20 iunii 1873, de hoc scapulari duo statuuntur: 1. Etenim « prioris concessionis leges omnino servandas » esse edicitur. In priore autem concessione diei 28 octobris 1872, S. Pontifex scapulare illud a S. Corde Iesu nuncupatum non tamquam scapulare proprie dictum et in stricto sensu designat, sed tantummodo ut signum quoddam. Hinc illa, quae de parvis scapularibus proprie dictis statuta sunt, huic signo applicari non debent; quare neque eiusdem benedictio seu impositio requiritur neve aliqua adscriptio; et sufficit, ut hoc signum laneum albi coloris, imaginem SS. Cordis Iesu in medio referens, e collo supra pectus pendens deferatur. 2. « Ad appositam scapulari SS. Cordis Iesu inscriptionem

(1) L. c., p. 663, in nota.

quod attinet, (*Cessa, Cor Iesu nobiscum est! Adveniat regnum tuum!*), neque unam neque alteram omnino necessariam esse » declaratur; ita ut eiusmodi inscriptio sive retineri sive omitti possit.

II. - Porro, attenta hodierna difficultate comparandi sibi pannum laneum, Moniales cuiusdam monasterii, quae huiusmodi signa (cum inscriptione: *Fermati! il Cuor di Gesù è meco! Arrête! le Cœur de Jésus est là!*) conficiunt magnoque cum zelo propagant, hanc Procuram nostram Generalem rogaverant ut dubium, quod supra, pro authentica solutione ad Apostolicam Sedem deferretur. Responsio autem data est stricte ad tenorem praecedentium documentorum circa materiam qua ipsum signum supponebatur confectum, seu necessario *debet esse ex panno laneo;* item stricte intellecta concessione S. Officii diei 16 decembris 1910 (1), scilicet de solis veris et proprie dictis scapularibus, S. Poenitentiaria Apostolica respondet signum SS. Cordis Iesu, de quo in dubio, *per metallicum numisma minime substitui posse.*

26. — Poenitentiaria Apostolica

I. Responsa 9 martii 1925

DUBIA CIRCA IMPEDITOS AB URBE ADEUNDA AD IUBILAEUM LUCRANDUM

(A. A. S. 1 iul. 1925, XVII, 327).

S. Poenitentiariae Apostolicae proposita sunt dubia quae sequuntur:

Dubia.

I. Quinam sint operarii.

I. Cum Constitutio *Apostolico muneri*, d. 30 iulii anni 1924, sub n. VIII, ab itinere romano instituendo atque a basilicis visitandis pro indulgentia Iubilaei anni 1925 eximat etiam operarios, qui cotidiano sibi victum labore comparantes, nequeunt

(1) Cf. *Anal Ord.*, XXVII, 1911, p. 33.

se ab eo per tot dies atque horas abstinere; quaeritur, utrum nomine *operarii* ii soli intelligi debeant qui labori manuali incumbunt; an etiam illi qui, arti non servili addicti, modicam ex eorum labore referunt retributionem, ita ut mediis destituantur Urbem peregre petendi.

II. Quinam impediti.

II. An indulgentia iubilaris hoc anno extra Romam ab iis etiam acquiri possit qui, etsi mediis non careant Urbem petendi, domi tamen alia ratione detinentur, uti, v. gr., uxor a marito abire prohibita.

III. Quotien possint sibi lu crari iubilaeum

III. In eadem Constitutione omnibus stabili impedimento detentis, si extra Urbem commorantur, conceditur ut bis intra Anni Sancti decursum iubilarem consequantur indulgentiam: quaeritur idcirco utrum huiusmodi fideles hanc indulgentiam bis pro se consequi valeant; an semel quidem pro se, iterum vero pro defunctis.

Responsa.

Omnibus mature perpensis, S. Poenitentiaria respondendum esse censuit:

Ad I.

Ad Ium affirmative ad primam partem; negative ad alteram.

Ad II.

Ad IIum negative.

Ad III.

Ad IIIum negative ad primam partem, affirmative ad alteram.

Dies (9 mart 1925).

Datum ex S. Poenitentiaria Apostolica, die 9 martii 1925.

Salvator Luzio, S. P. Regens.
A. Anelli, S. *P. Substitutus.*

II. Ex audientia Sanctissimi, 21 mart. 1925

DE IUBILAEO PRO DEFUNCTIS LUCRANDO

(A. A. S. 2 iun. 1925, XVII, 266)

Postulatum.

Sacrae Poenitentiariae Apostolicae exhibitae fuerunt preces quibus postulabatur ut fidelibus omnibus, tum Romae incolis tum peregrinis, qui semel in Urbe iubilaei veniam quovis legitimo modo lucrati sint, facultas fieret toties praeterea iubilaei in defunctorum suffragium acquirendi, quoties, unam tantummodo quattuor Basilicarum visitationem peregerint; eademque gratia concederetur peregrinis ad proprium habitualis commorationis locum reversis, quotiescumque quattuor in die paroecialis ecclesiae visitationes expleverint: servatis ceteris servandis.

Gratia ex aud 20 mart. 1925

Facta relatione de praemissis SS.mo D.no Nostro Pio divina Providentia Papae XI ab infrascripto Cardinali Poenitentiario Maiore, in audientia diei 20 martii 1925, Sanctitas

Sua benigne gratiam concedere iuxta preces pro hoc anno tantum dignata est. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Dies (21 mart. 1925). Datum Romae, in Sacra Poenitentiaria Apostolica, die 21 martii 1925.

Fr. ANDREA Card. FRUHWIRTH, *Poenitentiarius Maior*

S. Fagiolo, S. P. *Secretarius*

ANNOTATIO

Authentice nunc promulgata sunt, recognito textu:

1. Rescriptum gratiae quod dedimus supra p. 35, cum commentariis p. 36 - 38.

2. Bina responsa quae etiam supra, p. 41, 42 exscripta sunt.

Duo priora responsa declarationem dant quae ex ipsa Constitutione facile colligitur. Tertiam autem restrictivam esse monuimus, additis rationibus p. (42) (43). Haec igitur promulgari debuit ad normam c. 17, § 2.

ACTA SUMMATIM RELATA

27. — *SS. D. N. Pius Pp. XI.*

A. *Canonizationes et Beatificationes*

1. *Canonizationes.*

Mense maio 1925, quater in Basilica S. Petri sollemnia canonizationum habita sunt, in quibus post responsa ad triplicem postulationem, sollemnis definitio canonizationis prolata est. Additur quoque textus homiliae quam Ss. D.nus inter missarum sollemnia habuit:

B. Teresia ab Infante Iesu.

Die 17 maii definitum est B. Teresiam ab Infante Iesu inter Sanctas Virgines non martyres annumerandam esse, cuius festum d. 30 septembris (die natali) reponitur (A. A. S., 1 iun. 1925, XVII, 209).

B. Petrus Canisius.

Die 21 maii, B. Petrus Canisius e S. I. Sanctus et Ecclesiae Universalis Doctor renuntiatus est, festum autem d. 27 aprilis assignatum (dies natalis erat d. 25 dec.). (A. A. S., 1 iun. 1925, XVII, 214).

B. M. Magd. Postel et B. Mag. Sophia Barat.

Die 24 maii, Sanctorum catalogo ascriptae sunt B. Mar. Magd. Postel et B. Magd. Sophia Barat; huius festum assignatum d. 25 maii, illius vero d. 16 iulii (A. A. S., 1 iun. 1925, XVII, 218).

B. I. M. Vianney et B. Io. Eudes.

Die 31 maii 1925, Sancti declarati sunt B. Ioa. B. M. Vianney, parochus vici *Ars* et B. Ioa. Eudes, fundator Congr. Iesu et Mariae. Prioris dies festus erit 4 aug., alterius d. 19 aug. (A. A. S., 15 iun. XVII, 1925, 222).

Praecedens Consistorium.

Die 22 apr. 1925, in consistorio semi-publico, auditis astantium Cardinalium et Episcoporum suffragiis, SS. D. eorundem canonizationem decreverat (A. A. S. 1 maii 1925, XVII, 169).

2. *Beatificationes.*

Litteris in forma Brevis SS. D.nus N. Pius PP. XI decernit de tempore et modo cultus exhibendi Servis Dei de quorum beatificatione sollemni decretum recens latum est.

V. Ios. Çafasso

Litt. Apost. d. 3 maii 1925, beatus renuntiatus *Ven. Servus Dei Ics. Cafasso,* presbyter saecularis et Collegii ecclesiastici

Taurinensis moderator, natus in Castronovo Astensi, d. 15 ian. 1811, mortuus d. 23 iun. 1860 (A. A. S., 1 iun. 1925, XVII, 230).

V. Iphigenia V. Elisabeth V. Maria Rosa.

V. Maria a S. Henrico et Sociae.

Litteris Apost. d. 10 maii 1925, beatae renuntiatae sunt *Ven. Servae Dei Iphigenia a* S. *Matthaeo*, e Congr. Sororum ab adoratione perpetua SS. Sacramenti, *Elisabetta Teresia a S. Corde Iesu*, ord. Ursulinarum, *Maria Rosa*, O. S. B., *Maria a S. Henrico*, O. Cist. *et Sociae*. Quae omnes martyrii pallam in Gallia, exeunte saec. XVIII°, adeptae sunt, (A. A. S., 1 iun. 1925, XVII, 234).

B. *Litterae de dioecesibus.*

Raleigh.

1. Bulla *Omnium Ecclesiarum*, 12 dec, 1924, Vicariatus Apostolicus Carolinae Septentrionalis supprimitur et eius territorium erigitur in dioecesim sub iurisdictione S. Congregationis Consistorialis. Haec nova dioecesis *Raleighiensis* nuncupanda erit ab urbe *Raleigh*, in qua sedes et cathedra episcopalis constituitur et quae proinde ad civitatis episcopalis gradum et honorem extollitur. Ecclesia parochialis SS. Cordis in eadem civitate ad statum et dignitatem cathedralis evehitur.

Haec nova Raleighiensis dioecesis suffraganea constituitur metropolitanae Ecclesiae Baltimorensis. (A. A. S. 1 maii 1925, XVII, 171.)

Avana.

2. Bulla *Inter praecipuas*, 6 jan. 1925, dioecesis S. Christophori de Habana a iurisdictione Archiepiscopi S. Iacobi de Cuba distrahitur et ad Ecclesiae metropolitanae gradum et dignitatem evehitur atque extollitur. Itemque dioeceses Pinetensis ad Flumen et Matanzensis ab eadem iurisdictione subtrahuntur, et suffraganeae fiunt metropolitanae Ecclesiae S. Christophori de Habana (A. A. S. iul. 1925, XVII, 289).

Pinar del Rio

Matanzas.

C. *Litterae de Vicariatibus et Praefecturis Apostolicis.*

Tsingtao in Sinis.

1. Brevi *Quae catholico nomini*, 11 febr. 1925, seiungitur territorium a Vicariatu Apostolico de Yenchowfu et erigitur Praefectura Apostolica de Tsingtao (in Sinis), quae curis alumnorum Soc. *Verbi divini* de Steyl committitur. (A. A. S. 1 iun. 1925, XVII, 226).

Gibuti in Africa orient.

2. Brevi *Ex hac*, 13 febr. 1925, amplificatur Praefectura Apostolica de Gibuti in Africa orientali, addita regione de Somalia Abyssina, a vicariatu Apostolico de Gallas separata. (A. A. S. 1. iun. 1925, XVII, 227).

Pilcomayo in Bolivia.

3. Brevi *Expedit*, 26 febr. 1925, dismembratur Vicariatus Apostolicus de Chaco atque erigitur nova Praefectura Apo-

stolica de Pilcomayo (in Bolivia). (A. A. S. 1 iun. 1925, XVII, 228).

Shenchow in Sinis.

4. Brevi *Quae rei sacrae*, 13 mart. 1925, dismembrato territorio a Vicariatu Apostolico « *de Changtch* » erigitur Praefectura Apostolica « de *Shenchow* », in Sinis. (A. A. S. 1 maii 1925, XVII, 175).

D. *Litterae de Basilicis.*

In Basilicam minorem eriguntur:

Siena.

1. Brevi *Parochus ad* S. *Bernardini*, 9 martii 1925, ecclesia paroecialis S. Bernardini Senensis, prope Senas, Ordinis Fratrum Minorum Provinciae Tusciae. (A. A. S. 1 maii 1925, XVII, 173).

La Plata.

2. Brevi *In finibus*, 8 apr. 1925, ecclesia cathedralis Platensis Imm. V. Mariae in Bolivia atque insignia conceduntur pro Capitulo Canonicorum (A. A. S. 1. iun. 1925. XVII, 229).

Rapallo.

3. Brevi *Rapallensi in civitate* 14 iun. 1925 ecclesia paroecialis SS. Gervasii et Protasii in civitate Rapallo, dioecesis Clavarensis. (A. A. S. 1. iun. 1925, XVII, 301).

28. — *S. Congr. Consistorialis*

1. Mutationes finium dioecesium, etc.

Altstetten, Eichstätt.

Decreto 17 apr. 1925, pagus *Altstetten* a dioecesi Augustana et a paroecia *Wellheim* separatur atque dioecesi Eistettensi et paroeciae *Emskeim* perpetuo adiungitur. (A. A. S. 1 maii 1925, XVII, 191).

Acatlan Vera Cruz.

2. Decr. d. 24 apr. 1925, lites de finibus archidioecesis *Antequerensis* et dioecesis *Veraecrucis* de communi consensu antistitum et approbante SS. D. N. compositae sunt ita ut paroecia *Acatlàn* in perpetuum tota dioecesi Veraecrucis ascriberetur (A. A. S., XVII, 1925, 242.).

Sorocaba. Botucatu. Campinas. (Brasile).

3. Decr. 24 apr. 1925, paroeciae vulgo appellatae *Pirajù*, *Fartura*, *Anhembi*, *Itahy* a dioecesi Sorocabana separatur atque dioecesi Botucatuensi coniunguntur; similiter territorium municipiorum *Tieté* et *Porto Felix*, avulsa portione ad dioecesim Campinensem spectante, dioecesi Sorocabanae uniuntur, (A A. S. 1 iun. 1925, XVII, 243).

Burgstall Monaco e Frisinga

4. Decr. 25 apr. 1925, pagus *Burgstall* a paroecia *Mering* et a dioecesi Augustana dismembratur atque archidioecesi Monacensi et Frisingensi ac paroeciae *Egenburg* adiungitur. (S. A. S, 1 iun. 1925, XVII, 244).

29. — *S. Congr. Concilii*

Assistentia episcopo praestanda.

1. Die 9 febr. 1924, data est resolutio in causa Monopolitana *assistentiae episcopo praestandae.* Quaerebatur num episcopo functiones non stricte Pontificales etiam extra civitatem vel suburbia peragenti canonici assistentiam praestare deberent. Responsum est « *affirmative* ad normam aut § 1 aut § 2 can. 412 iuxta qualitatem functionum sacrarum ».

Cum episcopus vi c. 412, § 2 duos canonicos possit « assumere ac retinere ut sibi in ecclesiastico ministerio ac dioecesis servitio assistant », ad ipsos recurrere poterit quoties functiones liturgicas, etiam non stricte pontificales, qua pastor dioecesis peraget. Alios vero canonicos ad assistentiam extra civitatem cogere non poterit; c. 412, § 1 enim de sola civitate et suburbiis loquitur (A. A. S., 1 iun 1925, XVII, 244).

Residentia canonicorum. Vis privilegii. Sanctio absentiae per aliquot horas.

2. Die 16 mart. 1924, in causa Abulen. et aliarum, *Residentiae et distributionum*, S. C. C. respondit:

1° Canone 418, § 1, non tolli privilegium quo vacationes quattuor mensium conceduntur, distributiones vero quotidianas ad normam c. 395, §. 1 saltem ad tertiam praebendae partem esse augendas, ne tamquam nimis tenues neglegantur;

2° dies quibus canonicus per aliquot horas illegitime abens fuit tamquam dies absentiae esse computandos, quippe quod residentia per dies integros computatur;

3° canonicum per unam vel plures horas tantum illegitime absentem, fructus praebendae pro tota die amittere, ius vero servare ad distributiones pro horis quibus interfuit (A. A. S. maii 1925, XVII, 192).

30. — *S. Congr. Rituum*

Causae beatificationis et canonizationis.

B. Petrus Canisius, S. I.

1. Die 29 mart. 1925 sollemniter edictum est tuto procedi posse ad canonizationem B. Petri Canisii e S. I., cum de requisitis miraculis constaret (A. A. S., 1 maii 1925, XVII, 197).

B. Theresiae ab Inf. Iesu.

2. Die 29 mart. 1925, decretum est tuto procedi posse ad sollemnem canonizationem B. Theresiae ad Infante Iesu (A. A. S. 1 maii 1925, XVII, 200).

Ven. Servus Dei V. M. Strambi, cler. Pass.

3. Die 29 mart. 1925, decretum est tuto procedi posse ad sollemnem beatificationem Ven. S. Dei Vinc. Mar. Strambi, e clericis exc. SS. Crucis a Passionis D. N., episcopi olim Ma-

ceratensis et Tolentinatis qui in a. 1824 Romae obiit (A. A. S., 1 Maii 1925, XVII 202).

4. Die 1 maii 1925, decretum est tuto procedi posse ad sollemnem venerabilium Servarum Dei sororum *Iphigeniae et Sociarum* beatificationem, quae martyrium in Gallia exeunte saec. XVIII subiere (A. A. S., XVII, 1925, 249. Nomina cf. supra p. 88). *Ven. Serv. Dei Iphigeniae et sociarum.*

5. Die 1 maii 1925, decretum est constare de duobus miraculis necessariis ad beatificationem Ven. Servae Dei *Michaelae a SS. Sacramento*, fundatricis Congregationis Ancillarum SS. Sacramenti et Caritatis (A. A. S., XVII, 1925, 252). *Ven. S. Dei M. Michaelae a SS. Sacramento*

6. Die 1 maii 1925, decretum est constare de duobus miraculis obtentis intercessione Ven. Servae Dei *M. Bernardae Soubirous*, e Congr. Sororum Caritatis et Institutionis Christianae « de Nevers » (A. A. S., XVII, 1925, 254). *Ven. S. Dei M. Bernardae Soubirous.*

7. Die 19 maii 1925, latum ut decretum tuto procedi posse ad sollemnem beatificationem Ven. Servae Dei *M. Michaelae a SS. Sacramento*, fundatricis Ancillarum SS. Sacramenti et Caritatis (A. A. S., XVII, 1925, 257). *Ven. S. Dei M. Michaelae a SS. Sacramento*

8. Die 9 maii 1925, decretum est constare de duobus miraculis obtentis intercessione Ven. Servi Dei *Petri Iuliani Eymard*, fundatoris Congr. Presb. a SS. Sacramento necnon Instituti. Ancillarum SS. Sacramenti (A. A. S., XVII, 1925, 259). *Ven. S. Dei Petr. Iul. Eymard.*

9. Die 9 maii 1925, decretum est constare de martyrio et causa martyrii Ven. Serv. Dei *Laurenti Imbert*, ep. Capsensis, et sociorum novem et septuaginta; de tribus aliis postulantur ulteriores probationes. Omnes simul in Corea ab idololutris interempti sunt. (A. A. S., XVII, 1925, 261). *Ven. Mart. Laurenti imbert et soc.*

31. — *S. Cong. de Propaganda Fide.*

Decreto 13 maii 1925, Vicariatui Apostolico olim de Unyanyembé in Africa centrali, inditum est in posterum nomen Vicariatus Apostolici Taborensis. (A. A. S. 1 iulii 1925, XVII, 311). *Unyanyembé (Africa centr.)*

32. — *Provisio Ecclesiarum*

Decretis *S. Congregationis Consistorialis*, nominati sunt:

6 apr. 1925, R. P. D. Ernestus Philippi, ep. tit. Sardicensis, ep. Montisregalensis. *Monreale (Sicilia).*

6 apr. 1925, R. D. Gulielmus I. Hafey, ep. Raleighiensis. *Raleigh (Baltimora).*

30 apr. 1925, R. P. D. Gabriel Llompart y Jaume Santandreu ep. Maioriceu. et Ibusen ex ep. Gerundensi. *Maiorca (Isole Baleari.)*

Bari. 5 maii 1925, R. P. D. Augustus Curi ep. Barensis ex ep. Calliensi et Pergulano.

Castellammare di Stabia. 5 maii 1925, R. P. D. Paschalis Ragosta, ep. Castri Maris ex ep. Isclano.

Nacolea. 9 maii 1925, Paschalis Berardi, Archiep. tit. Nacoleensis ex Archiep. Caietano.

Fort-Wayne 12 maii 1925, R. D. Ioannes Noll, ep. Wayne-Castrensis.

Blois. 15 maii 1925, R. D. Georgius Audollent, ep Blesensis.

Le Puy-en Velay 15 maii 1925, R. D. Robertus Rousseau, ep. Aniciensis.

Rodez. 15 maii 1925, R. D. Carolus Challiol, ep. Ruthenensis.

Palencia. 20 maii 1925, R. D. Augustinus Parrado y Garcia, ep. Palentinus.

Portland. 29 maii 1925, R. P. D. Joannes Gregorius Murray, ep. Portlandensis

Cáceres (Isole Filippine). 20 iun. 1925, R. D. Francescus Reyes ep. de Cáceres.

Ponce (Antille) 23 iun. 1925, R. D. Edwinus V. Byrne, ep. Ecclesiae Poncensis nuper erectae in insula Porturicensi.

33. — *Nominationes.*

A. *Brevibus Apostolicis* nominati sunt:

Eritrea. 24 mart. 1925, R. P. Hannibal Cattaneo, e Fr. Min. Cappucinis, ep. tit. Busiriten. Vicarius Apostolicus Erythreae.

Honoi. 12 maii 1925, R. P. Franciscus Chaize, e Societate Parisiensi pro Miss. Exteris, Coadiutor cum iure futurae successionaris Vic. Apostolici de Hanoi in Tunquino.

Kanchow. 12 maii 1925, R. D. Paulus Dumond, ep. tit. Curubitan. Vic. Apost. de Kanchow in Sinis.

Nilo superiore. 13 maii 1925, R. D. Ioannes Campling, e Soc. S. Joseph de Mill-Hill, Vic. Apost. Nili Superioris in Africa Centrali.

Transvaal. 13 maii 1925, R. P. David O' Leary, ex Inst. Oblatorum B. M. V. Immaculatae, Vic. Apost. Transvallensis in Africa Meridionali.

B. Decretis S. *Congregationis de Propaganda Fide* renuntiati sunt:

Langson e Caobang (Inducina). 31 mart. 1925, R. P. Dominicus M. Maillet, O. P. Praefectus Apost. de Langson et Caobang.

Canada. 6 maii 1925, R. P. Ioseph Bastien, Rector Collegii Canadensis in Urbe, adlectus est in Consilium Pontificii Operis a Fidei Propagatione pro dicione Canadensi.

Pilcomayo (Bolivia). 6 maii 1925, R. P. Ioseph Rose, ex Oblatis B. M. V. Immaculatae, Praefectus Apost. de Pilcomayo.

C. Decreto S. *Congregationis pro Ecclesia Orientali* nominatus est:

14 mart. 1925 R. P. Angelus Iosephus Roncalli Archiep. Areopolitanus, Visitator Apostolicus Bulgariae. — *Bulgaria.*

34. — *Necrologium.*

18 mart. 1925, Ill. D. Emmanuel Lagoy Gonzales, archiep. Compostellan. — *S. Giacomo di Compostella.*

12 apr. 1925, Ill. D. Alexander Christie, ep. Oregonopolitan. — *Oregon City.*

13 apr. 1925, Ill. D. Zeno Bustos, ep. Corduben. — *Còrdova (Rep. Argen.)*

13 apr. 1925, Ill. D. Iacobus Stammler, ep. Basileen. — *Basilea.*

27 apr. 1925, Ill. D. Robertus Achilles Razzoli, ep. Potentin. et Marsicen. — *Marsico Nuovo e Potenza.*

19 maii 1925, Ill. D. Augustinus Fischer-Colbrie, ep. Cassovien. — *Cassovia.*

22 maii 1925, Ill. D. Placidus Ferniani, ep. Ruben. et Bituntin. — *Ruvo e Bitonto*

2 iun. 1925, Ill. D. Thomas Kurialacherry, ep. Changanacheren. — *Changanacherry.*

BIBLIOGRAPHIA

Libri

V. Hostachy (Miss. de la Salette), *Joie et Sainteté*. Troisième série. Études d'âmes du IVème siècle. 1 vol. in-16, p. 223. — Lille : Bruges, Desclée, et C.ie 1925.

En Occident. — Eustochium : La joie de la Virginité. — Démétriade : La joie de la vocation. — Mélanie la Jeune : La joie du dépouillement. — Marcelline : La joie de l'amitié fraternelle. — Thérasie : La joie de l'affection conjugale.

M. R. Jeuné (R. D.), *Une Mystique Dominicaine. La Vén. Agnès de Langear* (1602-1634). 1 vol. in-16, XII, 244 p. Paris, Téqui, 1924. Prix : 6 fr.

Première partie : Le pèlerinage terrestre. — Deuxième partie : L'héritage spirituel.

J. B. Aubry (Prêtre des Miss. Étrang.) *Le Radicalisme du Sacrifice*. Méditation. 4. éd. 1 vol. in-16, 60 p. Paris, Téqui 1925. Prix : 1 fr.

J. B. Aubry (Prêtre des Miss. Étrang.), Vocation Virginale. Dialogue entre Jésus et une âme qui veut se donner à Lui par une vocation virginale. 1 vol. in-16, VIII, 116 p. Paris, Téqui 1925. 2. éd. Prix : 2 fr.

M. J. Gerlaud (O. P.), *L'intercession des Saints*. 1 vol. in-16, — IX, 106 p. Paris, Téqui 1925. Prix : 3 fr.

Première partie : Fait de l'intercession. — Deuxième partie : Mode de l'intercession.

X. Repertorium Juridicum Ecclesiasticum seu Pont. Commissionis, Codici i. c. interpretando praepositae, responsiones authenticae itemque Curiae Romanae iurisprudentia universa, post editum Codicem publici iuris facta, ad compendiosas sententias redacta, cum canonum ac rerum omnium indicibus locupletissimis. (fasc. I : 1918-1924). 1 vol. in-8, 44 p. Romae, Ius Pontificium, 1925.

Iean Dermine (R. D. Prof.) *La Doctrine du mariage chrétien*. 1 vol. in-8. 164 p., Bruxelles, Action catholique, 1925.

Chap. 1. La fin primordiale de la famille : la procréation et l'éducation. — Ch. 2. Le sacrement de mariage. — Ch. 3. Les propriétés et les lois du mariage chrétien. — Ch. 4. L'indissolubilité du mariage. — Ch. 5. Le mariage chrétien et le problème de la vie.

I. B. Ferreres (S. I.) *Las Misas Manuales* segun la disciplina vigente. Comentario Canonico moral. Cuarta edición ; primera después del Código, aumentada y completamente refundida. 1. vol. in-8, 346 p. Madrid, Administración de « Razón y Fe ». 1924. Venit 3 Pesetas.

Prológo. — Cánones del Código que son objeto principal de este comentario.

Parte I. Comentario doctrinal (con notas históricas).

Parte II. Aplicaciones practicas.

Appendice I. El privilegio de Orihuela. — Ap. II. Decreto *Ut debita*. — Ap. III. Declaraciones sobre el decr. *Ut debita*, e indultos sobre Misas manuales. — Ap. IV. Decr. *Recenti*. — Ap. V. Rescripto de la S. Penitenciaría sobre un caso. — Ap. VI. Por que fines puede aplicarse la Misa de binación.

G. de Giovanni, S. I. *L'Eugenica e l'Etica cattolica* (Estratto dall' *L'Eugenica*, del P. G. de Giovanni e del Dr. Mario Mazzeo). 1 vol. 16 - IV p. Venit 1, 20 Lira. Interferenze e Contrasti. - Valore eugenico della morale. Append. Voti e proposte sull' Eugenica.

G. Hoornaert (S. I.). *De Strijd om de Kuischheid!* Een boek voor onze twintigjarige jongelingen. Vrij uit het Fransch vertaald door Kan. Dr. **J. Muyldermans** 1 vol. in 12, 438 p. Brussel, Katholieke Werking, 1925.

Een woord vooraf van den vertaler. - Voorrede van A. Vermeersch, S. I. - Een woord tot onze twintigjarige jongelingen.

De Strijd.

Pas Op !

De vijand.

De aanval.

De nederlaag.

De overwinning.

De Triomf.

E. Jombart (S. J.) *Le mariage. Rappel de quelques notions canoniques et morales*, 1 in-24, 84 p. Paris, Téqui, 1935. Venit 3 fr. Fiancailles. - Avant le mariage. - Les empêchements en général. - Empêchements proscibants. - Empêchements dirimants. - Consentement. - Forme de la célébration du mariage. - Mariage de conscience ou secret. - Temps et lieu de la cé-

lébration. - Effets du mariage. - Séparation des époux. - Revalidation du mariage. - Les secondes noces.

Dr. Franz Triebs (R. D. Prof.) *Praktisches Handbuch des geltenden kanonischen Eherechts in Vergleichung mit den deutschen staatlichen Eherecht.* Für Theologen und Iuristen. 1. Teil. in-8 p. 208. Breslau, Schlesische Volkszeitung, 1925.

Begriff, Einteilung des kirchlichen Eherechts. Staatliches Eherecht. - Die Formalquellen. - Urbergangsbestimmungen. - Das Gewonheitsrecht. - Begriff und namen der Ehe. Konkubinat. - Ursprung der Ehe. - Zwecke der Ehe. - Die Ehe als Vertrag. - Die Ehe als Sakrament. - Wesentliche, natürliche und akzidentelle Eigenschaften der Ehe. - Einheit und Unauflöslichkeit im besonderen. - Der favor matrimonii. - Die Iurisdiktion über die Ehe. - Geschichte der Iurisdiktion über die Ehe. - Arten der Ehe. - Die Zivilehe.

Cap. I. — Das Verlöbniss.

Cap. II. — Die rectitliche Vorbereitungen auf die Eheschliessung.

Cap. III. — Die Ehehindernisse in allgemeinen.

Cam. Viglino, *Dell' essenza e dei Limiti del Diritto coniugale in ordine all' unione sessuale.* (Estratto dalla *Rassegna di studi sessuali e di Eugenica, 1925*) *p. 8 - 96.*

E Periodicis

Collationes Brugenses. Ianuar. 1925. G. I. ep. Brug. *Introductio in theologiam mysticam.* Restauratio et perfectio regni supernaturalis. Adventus Christi ; vita eius publica. — A. LEGRAND « De Jubilaeo anni sancti 1925 ». — Mart. G. I. ep. Brug. « Introductio in theol. mysticam ». Restauratio et perfectio regni supernaturalis. Passio et mors Christi eiusque glorificatio. — H. LAMIROY « In lectionem S. Ambrosii apud Breviarium » (I. 8 ad III Noct. plurimorum martyrum, 2. loco).

Collationes Gandavenses. Mart. 1925. A. STANDAERT, « Notae pastorales de choreis ». — I. CLAEYS BOÛÛAERT, « De sensu vocis *operarii* in C. Apostolico Munerî ». — O. LEJOUR. « De iubilaeo anni sancti 1925 » Favores impeditis privilegiatis concessi.

(*Continuabitur*)

PARS ALTERA

MONUMENTA

35. — S. Congregatio S. Officii

Decreta 3 et 30 iulii 1925 — Proscriptiones operum

I DECRETUM 3 IUL. 1925

(A. A. S. 3 aug. 1925, XVII, 378)

Feria IV die 1 iulii 1925

Dies consessus, 1 iul. 1925

In generali consessu Supremae S. Congregationis Sancti Officii, E.mi ac Rev.mi D.ni Cardinales, Fidei et moribus tutandis praepositi, praehabito DD. Consultorum voto, damnaverunt, proscripserunt atque in Indicem librorum prohibitorum inserenda mandarunt:

Opera proscripta.

Volumen: *Die biblische u. die babylonische Gottesidee. Die israelitische Gottesauffassung im Lichte der altorientalischen Religionsgeschichte*, von D. DR. JOHANNES HEHN, o. Prof. an der Universität Würzburg;

atque libellum eiusdem auctoris:

Wege zum Monotheismus. Festrede zur Feier des dreihunderteinunddreissigjährigen Bestehens der Universität zu Würzburg.

Approbatio Pontificia, 2 iul. 1925

Et in sequenti feria V, die 2 eiusdem mensis et anni, Ss.mus D. N. D. Pius Div. Prov. PP. XI, in solita audientia R. P. Adsessori impertita, relatam sibi E.morum Patrum resolutionem approbavit, confirmavit et publicari iussit.

Dies decreti (3 iul. 1925).

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Officii, 3 iulii 1925.

Aloisius Castellano, Supremae S. C. S. O. Notarius.

II. DECRETUM 30 IUL. 1925.

(A. A. S. 3 aug. 1925, XVII, 379)

Dies consessus, 22 iul. 1925

Feria IV, die 22 iulii 1925

E.mi ac R.mi D.ni Cardinales fidei moribusque tutandis praepositi, in generali consessu Supremae S. Congregationis Sancti Officii, praehabito DD. Consultorum voto, proscripserunt, damnaverunt atque in Indicem librorum prohibitorum inserenda mandarunt, cum omnibus eorum editionibus, opera et scripta, quae infra recensentur, edita a Sac. Doct. IOSEPH WITTIG, professore ordinario Historiae Ecclesiasticae, Patrologiae et Archaeologiae christianae in Universitate Wratislaviensi.

Opera proscripta

1. *Die Erlösten,* in: *Hochland,* a. 19, vol. 2 (1922), fasc. 7, pag. 1-26.

2. *Meine " Erlösten „ in Busse, Kampf und Wehr.* Habelschwerdt, Frankes Buchhandlung.

3. *Hergottswissen von Wegrain und Strasse. Geschichten von Webern, Zimmerleuten und Dorfjungen.* Freiburg i. B., Herder.

4. *Das allgemeine Priestertum;* et 5. *Die Kirche als Auswirkung und Selbstverwirklichung der christlichen Seele,* in: *Kirche und Wirklichkeit, ein katholisches Zeitbuch, herausgegeben von* ERNST MICHEL. Jena, Eugen Diederichs, 1923, pag. 21-43 et 189-210.

6. *Leben Jesu in Palästina, Schlesien und anderswo.* 2 voll. Kempten, J. Kösel et F. Pustet.

Approbatio Pontificia, 23 iul. 1921

Et feria V subsequenti, die 23 eiusdem mensis et anni, Ss.mus D. N. D. Pius Div. Prov. PP. XI, in solita audientia R. P. D. Assessori S. O. concessa, relatam sibi E.morum resolutionem approbavit, confirmavit et publici iuris fieri iussit.

Dies decreti (30 iul. 1925).

Datum Romae, ex aedibus Sancti Officii, 30 iulii 1925.

Aloisius Castellano, Supremae S. C. S. O. Notarius.

36. — S. Congregatio S. Officii

Decretum 9 iul. 1925

DAMNATIONEM SACERDOTIS DIVULGANS

(A. A. S. 3 aug. 1925, XVII, 378)

Sacerdos Vincentius Pimentel, e dioecesi Zamorensi, in Republica Mexicana, repetitae apostasiae aliorumque criminum reus, cum pluribus in locis, per quae continuo vagatus est, lapsus poeniientia alternando, gravia fidelibus scandala exhibuerit; Decreto Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii, feria IV die I currentis mensis iulii lato, privatus declaratus est et reapse privatur iure deferendi habitum ecclesiasticum ad praescriptum canonis 2300 Codicis iuris canonici; quae privatio, dum perdurat, secumfert prohibitionem exercendi ministeria quaevis ecclesiastica et privationem privilegiorum clericalium.

Sacerdos

Damnatus

Damnatimis effectus

Datum Romae, ex aedibus S. Officii, die 9 iulii 1925.

Aloisius Castellano, Supremae S. C. S. O. Notarius.

Dies (9 iul. 1925).

37. — S. C. S. Officii

Responsum 1 maii 1925

DE CASU MATRIMONII INTER ORIENTALES (1)

Ad pedes Sanctitatis Vestrae humillime provolutus, expono Saydeh Najeeb Abo Saad, natam in Zahlie, Syriae, 2 Februarii, 1897, quarto aetatis suae mense, baptizatam fuisse in Ecclesia Sancti Eliae in Zahlie, a Reverendo Domino Shaya, sacerdote catholico ritus Orientalis, et a parentibus suis adductam fuisse ni Americam A. D. 1899.

Casus expositio.

In quinto anno aetatis suae, Saydeh Najeeb Abo Saad, ducibus parentibus tuis, coepit adire ecclesiam catholicam ritus Latini, in qua edocta doctrinam Christianam, sacramentaliter confessa est, accessit ad Sacram Synaxim, et Sacro Chrismate uncta fuit. Ecclesiam ritus Latini frequentare nunquam

(1) Ex *The Ecclesiastical Review*, t. 73, sept. 1925, 305.

destitit ab anno 1902, usque ad praesentem diem; neque ei mens est redire ad Ecclesiam ritus Orientalis; statuit enim in hac regione, inter fideles ritus Latini, ipsa Latina, vivere et mori.

Eadem Saydeh Najeeb Abo Saad, 11 Februarii, 1912, matrimonium attentavit cum Essa Assad Lattouf, Graeco-Schismatico, coram Episcopo Graeco-Schismatico Raphael, civitatis Brooklyn, Status Neo-Eboracensis, Statuum Foederatorum Americae Septemtrionalis, et sacerdotibus Graeco-Schismaticis Basilio M. Kerbway et Emmanuele Aba Ratab.

A pluribus vero annis divortio separata est a praedicto viro, nec, ob perversionis et persecutionis religiosae periculum, vitam matrimonialem cum illo iterum instaurare vult.

Quaesita de ritu uxoris et forma matrimonii.

Quaeritur:

1 Utrum Saydeh Najeeb Abo Saad censenda sit ritus Latini vel Orientalis?

2. Si ritus Latini, utrum praedictum matrimonium censendum sit invalidum ob impedimentum clandestinitatis?

3 Si ritus Orientalis, utrum ad contrahendum matrimonium validum tenebatur adire sacerdotem Catholicum ritus Orientalis sub poena nullitatis?

Et Deus....

Addictissimus in Christo famulus
Victor Day, V. G.,
Moderator Actorum matrimonialium
Curiae Helenensis

Helenae, Montanae, Statuum Foederatorum Americae Septemtrionalis, 11 Iunii, 1924.

SUPREMA SACRA CONGREGATIO
SANCTI OFFICII

Romae, 19 Novembris, 1924.

Litterae Em. Card. Secretarii interrogantes de ritu baptismi

Ill.me ac Rev.me Domine,

Relate ad casum matrimonialem Saydeh-Lattouf, de quo sermo est in litteris Amplitudinis Tuae, datis die 11 Iunii currentis anni, haec Suprema Congregatio rogat amplitudinem Tuam, ut ei referre velis in quonam orientali ritu, nempe vel Siro puro, vel Maronita, vel alio, baptizata fuerit mulier, de qua in casu. De qua re postea huic Supremae Congregationi referre ne Te pigeat.

Et fausta cuncta atque felicia Tibi a Domino adprecor.

Amplitudini Tuae Rev.mae
Addictissimus
R. Card. MERRY DEL VAL

Ill.mo et Rev.mo D.no
Episcopo Helenen.

Responsio :

Helenae, Montanae, 20 Decembris, 1924.

Responsio episcopi de ritu.

Eminentissime Princeps,

Litteras Vestras (Num. Protoc. 822, 1924) die 19 Novembris datas, recepi. Diligenti investigatione facta, invenio Saydeh Najeeb Abo Saad, baptizatam fuisse in ritu orientali Graeco-Melchita in oppido Zahleh, Monte Libano, a sacerdote ritus Graeco-Melchitae, Reverendo Shaya.

Omnia bona Tibi a Domino per novum annum adprecor.

Addictissimus,
IOANNES PATRITIUS CARROL
Episcopus Helenensis

Eminentiae Suae
RAPHAELI Card. MERRY DEL VAL
Secretario S. Congr. Sacti Officii
ROMAM

SUPREMA S. C. SANCTI OFFICII
Num. Protoc. 822, 1924

Romae, 1 Maii, 1925.

Litterae Em. Card. Secretarii S. Officii, 1 maii, 1925, continentes responsum S. Congregationis.

Ill.me ac Rev.me Domine,

Casum respicientem matrimonium initum inter catholicam Saydeh Najeeb Abo Saad et schismaticum Essa Assad Lattouf, quem amplitudo Tua ad solutionem proponebas, haec Suprema Congregatio pertractavit. Emi et Rev.mi Patres Cardinales, in Conventu habitu die 21 Aprilis currentis anni, omnibus mature perpensis, nec non circumstantiis concurrentibus consideratis, respondendum mandaverunt:

« Non constare de matrimonii nullitate ».

Dum haec Amplitudini Tuae significo, fausta cuncta atque felicia Tibi a Domino adprecor.

Amplitudini Tuae Ill.mae et Rev.mae
Addictissimus
R. Card. MERRY DEL VAL

Ill.mo et Rev.mo
Domino Episcopo
Helenen.

ANNOTATIONES

I. Observes responsum esse omnino particulare, innixum, ut in ipsis litteris Em. Cardinalis Secretarii Supremae Congregationis scribitur, peculiaribus casus circumstantiis. Quare norma generalis ex huiusmodi responso colligi nequit.

II. Quantum tamen adiuncta in litteris descripta ferunt, responsum, ut nobis videtur, hac ratione explicari potest.

1. *De forma matrimonii servanda apud Orientales.*

a) Post responsum S. C. *Concilii* 1 febr. 1908, constitit ne catholicos quidem ritus Orientalis, inter se contrahentes, teneri servanda forma praescripta decreto *Ne temere*. Die autem 28 martii 1908, eadem S. C. *Concilii* respondit formam istam ad valorem servandam esse si Orientalis cum Latina parte contraheret matrimonium. (Cf. Nostrum *De forma sponsalium et matrimonii post decretum « Ne temere »*. ed. 5, n. 120 et 121.) Non est ambigendum eadem nunc valere de forma Codice praescripta.

b) Ius autem quo Orientales utuntur sic, in eodem opusculo nostro, n. 88 describebamus.

Quia in plerisque Orientalibus partibus specialis promulgatio quae necessaria erat ut decretum *Tametsi* Concilii Tridentini vigeret, omissa est, « Scribere potuit PAPPSZYLAGYI (*Enchiridion iuris Ecclesiae Orientalis catholicae*, p. 464) « certum est ius Orientale « non agnoscere nisi clandestinitatem veteris iuris « (ante-Tridentini), videlicet prohibitionem contrahendi « matrimonium absque publicis caerimoniis ab Ecclesia pro eiusdem celebratione praescriptis, quae qui« dem necessariae sunt ut matrimonii celebratio licita « evadat et non prohibita ». — Nihilo minus caput *Tametsi* est promulgatum inter Ruthenos Galliciae et

fortasse etiam in Syria. Ruthenos autem Gallicianae provinciae (non autem alios) S. C. *de Propaganda Fide* pro negotiis ritus Orientalis, decreto 5 maii 1911, legi *Ne temere* obnoxios fecit.

« Cum ita res se habeant, Orientales territorialem vim c. *Tametsi* non effugiebant ; et si versabantur in communitate latina ubi lex Tridentina vigebat, non secus ac reliqui non poterant valide nisi coram proprio alterutrius sponsorum parocho vel eius delegato ac duobus testibus matrimonio coniungi.

« His praepositis, *vigente iam nova lege* : a. Sponsalia Orientalium valebunt ut antea, quamvis clandestina. b. Plerisque Orientalibus clandestima matrimonia erunt quidem prohibita, sed valor sacramenti minime ob hanc causam nutabit. - *c.* Syri, si inter ipsos decretum *Tametsi* promulgatum sit, regentur iure capitis *Tametsi*, ita ut eorum nuptiae non possint valide celebrari nisi adfuerit, praeter duos testes, parochus qui, ex domicilio vel quasi-domicilio, sit eorum proprius. Parochus iste ut ante, manebit ubique competens, et suam facultatem delegare poterit. Rutheni Galliciae decreto *Ne temere* astriguntur.

2. Vi c. 98 § 1, ritus ad quem quis pertineat caerimoniis baptismi per se definitur.

3. Haec si perpenderis, responsum Supremae Congregationis hoc modo facile explicabis.

a) Actus voluntarii quos secundum ritum Latinum mulier fecit non potuere vim baptismi, regulariter secundum ritum Orientale suscepti, enervare.

Sahydeh igitur ad ritum Orientalem pertinere pergebat.

b) Quia in Syria nata erat, dubium de promulgato ibi decreto *Tametsi* causa fuit cur de ritu baptismi Episcopus Helenensis interrogatus fuerit. Ut verisimile est, cum litterae Episcopi Helenensis demonstrarint eam non in ritu Syro sed in ritu Greco-Melchita

baptizatam esse, simul perspectum est eandem, quamvis ad Ecclesiam catholicam pertinuerit, non fuisse *ad valorem*, astrictam forma sollemni servanda. Hinc negatum est de nullitate matrimonii constare.

c) Addas celebratas esse nuptias in Statibus Foederatis, ubi decretum *Tametsi* non fuit promulgatum, et ubi mulier domicilium habebat.

38. — S. Congr. Consistorialis (1)

Decretum 31 iul. 1925

QUO INTERDICTUM CONFIRMATUR

(A. A. S. 1 sept. 1925, XVII, 451)

CARIATEN.

Decreti occasio.

DECRETUM — Questa Sacra Congregazione Concistoriale, a piena conoscenza della sacrilega aggressione a cui fu fatto segno il venerando Vescovo di Cariati, Monsignor Giuseppe Antonio Caruso, per aver Egli voluta l'osservanza delle sante leggi della Chiesa e rivendicati i diritti del Suo ministero Episcopale, conferma l'interdetto da Lui lanciato sulla Chiesa del Carmine, detta di S. Antonio, in Cariati, e dichiara incorsi nella scomunica, in ispecial modo riservata alla Santa Sede,

(1) I. e. latine: « Haec S. Congr. Consist. probe conscia sacrilegae aggressionis directae contra Ven. Episcopum Cariatensem, Ill. D. Iosephum Antonium Caruso, quia sancta Ecclesiae leges urgere volebat et iura sui ministerii Episcopalis vindicabat, interdictum ab ipso contra ecclesiam Montis Carmeli, dictam a S. Antonio, in civitate Cariatensi pronuntiatum confirmat, declaratque excommunicatione speciali modo S. Sedi reservata affectos quotquot sacrilegae aggressionis rei fuerint, ad tramitem c. 2343 § 3.

Romae, e S. Congr. Consistor. 31 iulii 1925.

tutti coloro che furono rei della sacrilega aggressione, a termini del canone 2343 § 3. *Interdictum confirmatur*

Roma, dalla Sacra Congr., Concistoriale, 31 luglio 1925. *Dies (31 iul. 1925.*

✠ G. Card. De Lai, *Vesc. di Sabina, Segretario.*

L. ✠ S.

† *Fr. Raffaello C., Arciv. di Tessalonica, Assessore.*

Annotationes

I. Haec in dioecesi Cariatensi, quae pars est regionis Calabrensis, acciderunt. Propter turbas et rebellionem Congregationis laicalis quae claves habet ecclesiae de Monte Carmelo, Ill. Episcopus interdictum locale in eam ecclesiam pronuntiaverat. In sacra Paraseceves die, mos ibi est ut processio Christi mortui instituatur. Cum pompa ista ante praedictam ecclesiam transiret, non nulli vesani Pastorem cogere voluerunt ut ecclesiam ingrederetur, quae hac ratione cultui restitueretur. Obstitit Episcopus. Tunc fustibus Antistitem caedere non dubitarunt. Maxime rei auctoritate civili damnati sunt.

II. Cur confirmatio S. Sedis accesserit ignoramus. Per se enim Episcopus interdictum particulare in locum vel personam ferre potest, vi c. 2269 § 1. Fortasse ad S. Sedem factus est recursus, qui praesenti confirmatione repellitur.

III. Nihil cum interdicto commune habet excommunicatio cuius declaratio decreto continetur. Canon enim 2343 § 2, qui allegatur, excommunicationem S. Sedi specialiter reservatam contra eos pronuntiat qui violentas manus in personam.... Episcopi iniecerint.

39. — S. C. De Disciplina Sacramentorum

Responsa 22 iul 1925.

DE FACULTATE BAPTISMUM DOMI CONFERENDI EXTRA MORTIS PERICULUM

(A. A. S. 1 sept. 1925. A. A. S. XVII, 452)

Quaesitum **Romana et aliarum.** — Quaesitum est utrum sit iuri conformis praxis iuxta quam infantes, qui non versantur in periculo mortis, sed non sine periculo ad ecclesiam transferri possunt, *domi solemniter* (i. e. cum omnibus caeremoniis etiam ablutionem praecedentibus) baptizentur a parocho aliove sacerdote de parochi licentia; nam ad ministrum necessitatis et in specie ad obstetricem non potest recurri nisi in necessitate stricte dicta, scilicet cum positive timetur periculum ne infans moriatur (C. S. Off., 11 ian. 1899) et nonnisi in eadem necessitate omittuntur caeremoniae ablutioni praeviae (S. C. Rit., 17 ian. 1914, Cod. iur. can., can. 776 § 1).

Et dubia. Quare propositis dubiis:

« I. Utrum supradicta praxis sit conformis iuri canonico; et, quatenus *negative:*

« II. Quomodo in casu procedi debeat. »

Responsum In Congregatione Plenaria E.morum Patrum, habita die 26 iunii currentis anni, iidem E.mi Patres ita responderunt:

Ad I. Providebitur in secundo.

Ad II. Esse iuri conforme quod, si infans non versatur in periculo mortis, sed sine periculo ad ecclesiam ad normam can. 775 transferri nequit, Ordinarius, vi can. 776 § 1, n. 2, permittere potest, *pro suo prudenti arbitrio et conscientia, iusta ac rationabili de causa, in aliquo casu extraordinario,* quod domi baptismus solemniter administretur; aestimare autem casus extraordinarii gravitatem est remissum prudentiae et conscientiae ipsius Ordinarii in singulis casibus.

Confirmatio SS mi. Facta autem Ss.mo Domino Nostro Pio Papae XI de praemissis relatione ab infrascripto Secretario Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentum, in audientia diei 4 iulii 1925,

Ss.mus D.nus Noster resolutionem E.morum Patrum ratam habuit et confirmavit.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis de Sacramentis, die 22 iulii 1925. *Dies (22 iul. 1925).*

† A. Capotosti, Ep. Thermen., *Secretarius.*

Annotationes

De baptismo domi sollemniter collato S. C. *Concilii*, 20 ian. 1894 in Castrimaris, interrogata ab Episcopo de consuetudine permittendi ut filii primorum civium domi cum omnibus caerimoniis ministraretur, respondit: « Servetur Rituale Romanum, salvis exceptionibus quas *ex rationabilibus causis* Episcopus concedere pro suo prudenti arbitrio censuerit » (1).

S. autem C. de *Sacramentis* 23 dec. 1912, interrogata ad II: « An Ordinarii permittere possint ut parvulis, praeterquam quod instante mortis periculo vel urgente infirmitate, domi baptismatis sacramentum administretur », respondit: « Ad II. affirmative ex iusta et rationabili causa ». Observandum vero est, in hoc posteriore casu, a modo baptismum administrandi, utrum sollemnis sit an privatus, praescindi, ita ut quaestio supersit utrum melius sit caerimonias etiam in domo privata cum baptismo coniungere an eas a baptismo essentiali separare, ut in loco sacro supplendae reserventur.

Dubium quidem nullum est cum agitur de *infante periculose aegrotante*. Tunc enim, ex pluribus responsis et nunc e c. 759, § 1, constat omittendas esse caerimonias quae baptismum praecedunt, addendas autem, si minister sacer adfuerit et tempus supersit, caerimonias quae baptismum sequuntur.

(1) *Analecta Ecc.*, 1924. p. 71.

Contra ac recens auctor autumat (1) praetermissio caerimoniarum quae baptismum praecedunt nobis non videtur explicanda intentione reservandi parocho ius suum sollemniter baptizandi et taxas consuetas percipiendi. Namque ipse parochus, cum statutum sit generale, si periclitantem puerum baptizet, caerimonias istas omittere debet. Verum, ut nobis videtur, tum ipso infantis periculo tum suppressione catechumenatus pro iis qui periculose infirmi erant, res explicanda videtur. Cf. hic supra, p. (101), inter varia quaesita de sacramentis.

Atque observes, contra atque ponebatur in *Ami du clergé,* 1923 p. 157 ss. non esse remotum mortis periculum a proximo distinguendum ; sed quotiescumque propter mortis periculum baptismus domi administratur, solae caerimoniae quae baptismum sequuntur adhibendae sunt.

Quare 23 sept. 1820 (in Calaguritana et Calceaten. *Decr. auth.* n. 2607) parochum S. R. Congr. improbavit qui omnes caerimonias adhibuerat.

Nunc autem c. 759 § 1 modo generali in mortis periculo servandas vult caerimonias quae baptismum sequuntur, si baptismus a sacerdote vel diacono conferatur. Non aliter antea, in instructione 5 sept. 1877 (Coll. P. F. II, 1480), S. Officium de baptismo qui domi conferatur, solummodo distinxit baptismum qui in casu necessitatis domi conferatur (tunc omittendas vult caerimonias quae baptismum praecedunt) et baptismum qui extra mortis periculum domi conferatur (quo casu minister sacer omnes caerimonias quarum copiam habet servare debet.) (Collect. S. C. de P. F. II, 1480) Cf. *Collationes Brugenses* t. XX, 1820, p. 464. 465, et DE SMET, *Tract. dogm. mor. de sacramentis*

(1) Cf. *Monitore Ecclesiastico*, 1925 p. 238. « Nisi omitterentur caerimoniae quae baptismum praecedeunt, baptismus fieret solemnis ; baptismi autem sollemnis administratio est functio paroecialis (c. 462, 1).

in genere, de baptismo et confirmatione (ed. 2) n. 366 ter. nota 2.

Nec dubia est solutio casus si baptismus ministretur extra periculum mortis infanti qui praevidetur non posse nisi post longum tempus deferri ad ecclesiam. Tunc enim omnes caerimonias a ministro sacro adhibendas esse, ex pluribus responsis S. Sedis constat. Cf. v. g. resp. *S. Officii* 28 feb. 1663 (*Collec. de P. F.* I, 151) et S. C. *de P. F.* 21 ian. 1789 (*Collect.* I, 598).

Quid autem si baptismus extra mortis periculum domi conferatur infanti qui possit subinde in ecclesiam deferri. Res ista controversa fuit; atque, in his Periodicis, R. P. SALSMANS S. I. t. VII, p. 68, in hanc sententiam inclinabat caerimonias tunc potius loco sacro reservandas esse. Verum 17 ian. 1914. in Bellun. quod responsum confirmavit 23 ian. 1914 in Versalien. ad III, *S. Rit. Cg.* rescripsit baptismum qui extra mortis periculum et urgentem necessitatem domi conferatur, cum omnibus Ritualis caerimoniis administrandum esse. (A. A. S. VI. (1914) p. 32 et 75.)

N. B. E c. 759 § 3, caerimoniae quavis ratione praetermissae in ecclesia quam primum supplendae sunt.

Quaeri potest utrum in domo privata supplendae sint, si baptizatus ad ecclesiam deferri nequeat nisi post longum tempus. Idque faciendum esse colligimus ex ipsa allegata a S. *Officio* 5 sept. 1877 (*Coll. P. F.* II, 1480) ratione cur supplendae sint, ne baptizati priventur bonis spiritualibus quae istis sacramentalibus coniuncta sunt. Cf. *Coll. Brug.* 1920, p. 467. - Haec tamen intellegas quatenus non habeatur legitima causa solemnitates omittendi. Legitimam causam esse posse temporis defectum, constat ex ipsa resp. S. C. *de P. F.* 21 iam. 1789 ad I. (*Collect.* 1, 598).

Fuit qui negaret caerimonias quae Baptismum praecedunt suppleri posse: quandam blasphemiae ma-

terialis rationem in iis inesse, quatenus iam baptizatus exorcizetur. Verum id nullatenus admittendum esse liquet ex ipso Rituali, quod ordinem supplendi caerimonias istas cum aptis mutationibus exhibet. Cf. *Rev. du Clergé français,* t. 79 (1914) p. 339. 340.

II. Codex canone 773 confirmat proprium baptismi sollemnis locum esse baptisterium in ecclesia vel oratorio publico. Inde domos privatas can. 776 excludit, nisi id rogent, pro filiis vel nepotibus suis, qui supremum populorum principatum actu tenent vel ius succedendi in thronum habent, vel nisi « loci Ordinarius, pro suo prudenti arbitrio et conscientia, iusta ac rationabili de causa, in casu aliquo extraordinario id concedendum censuerit ».

Quia vero c. 755 § 1 iubet ut (nisi agatur de haereticis qui in adulta aetate condicionate baptizantum vel de locis missionum ubi, absente missionario, catechistae baptismum privatum administrare solent) extra mortis periculum baptismus sollemniter administretur, indirecte improbatur mos vigens in quibusdam Galliae partibus, conferendi domi baptismum privatum et supplendi postea caerimonias in ecclesia. Abusum tamen istum prudenter tollendum esse colligere licet ex responso S. C. *Concilii* 14 ap. 1894. Interrogata enim de abusu Augustodunensi, mere respondit *Ad mentem.* (Cf. *Analecta ecclesiastica*, 1894 p. 169, s. Cf. quoque R. P. TRILHE, *Nouv. Rev. Téol.* t. 46 (1914), p. 366.)

III. Quae hactenus praemisimus vim quaestionis motae et responsi dati non parum illustrant.

De casu quo propter peculiares causas, Ordinarius extra mortis periculum baptismum in domo privata permiserit, nihil interrogatur, cum Codex C. 776 § 1, 2 casum istum contempletur et explicite solvat.

Nec dubium moveri potuit de baptismo qui domi periclitanti infanti conferatur.

Sed periculum mortis de quo c. 759 § 1 aliud esse potest atque infantis infirmitas; immo potuit esse non proprium infantis, sed eorum qui deberent infantem ad ecclesiam deferre.

Iam vero, ubi nulla sit infantis infirmitas sed alio mortis periculo delatio infantis ad ecclesiam impediatur, quaesitum est utrum tunc necne omnes baptismi caerimoniae adhibendae essent a ministro competente i. e. a parocho aliove sacerdote (aut diacono) de parochi licentia, saltem rationabiliter praesumpta.

Ac S. Congr. *de disciplina sacramentorum* sapienter respondit esse iuri consentaneum ut tunc infans domi sollemniter baptizetur. Simul tamen innuit petendam Ordinarii licentiam solum in aliquo casu extraordinario concedendam esse.

Si Ordinarius adiri nequeat, eius licentiam in tali periculo praesumi posse per se manifestum esse ducimus.

IV. *Corollarium.* Responso dato generalior quoque quaestio solvitur, utrum praestet baptismum cum caerimoniis extra locum sacrum conferre, an caerimonias ab essentiali baptismo seiungere ut in loco sacro suppleantur. Satius esse iam perspicitur ut ritus sacer totus simul administretur.

40. — S. Congr. Concilii

Decretum 10 iul. 1925

VARIA DUBIA DE SUPPLEMENTIS CONGRUAE CANONICALIS SOLVENS

(A. A. S. 3 aug. 1925, XVII, 381)

Dubiorum occasio

ROMANA ET ALIARUM. — Ad tollendas ambiguitates et difficultates, quae in praxi exorirurae praevidebantur occasione concessionis a laica potestate nuper, licet ad tempus, factae supplementi congruae canonicalis, plures Ordinarii dubia quae

Dubia

sequuntur pro opportuna solutione ad hanc S. Congregationem detulerunt:

De regimine supplementi congruae.

« I. An supplementum congruae canonicalis subsit, necne, « legi canonicae distributionum ad tramitem can. 395, in casu »; et quatenus *affirmative* ad primam, *negative* ad alteram partem:

« II. An sit ab ea lege excipienda summa cumulata a die « quo congruae supplementum decretum est, vulgo *arretrati* ».

Quid de non recognitis Canonicis et Beneficiatis,

« III. An et quomodo Canonici et Beneficiati a civili auctoritate non recogniti, participare debeant de integro congruae « supplemento, in Capitulis ubi viget systema massae communis, vel potius de illa tantummodo parte quae sit ab Episcopo « assignata, sive pro distributionibus quotidianis sive inter « praesentes ».

de quota assignata Dignitatibus et Officiis, horumque participatione.

« IV. An quota peculiariter assignata Dignitatibus et Officiis immitti debeat in massam communem capitularem, in « casu ».

« V. An et qua proportione Dignitates et Officia participare « debeant de parte sibi peculiariter assignata quae sit immissa « in massam communem capitularem in casu ».

« VI. An quota pars, peculiariter assignata Dignitatibus et « Officiis, subsit legi canonicae distributionum ad tramitem « can. 395, §§ 1, 2, in casu ».

Quid ubi praebendae sint separatae.

« VII. Quammam partem de massa communi distributionum « lucrentur inserviendo Dignitates et Officia in capitulis ubi « viget systema praebendarum separatarum in casu ».

Et Sacra eadem Congregatio, omnibus sedulo perpensis, in plenariis E.morum Patrum comitiis, subsignatis diebus in Palatio Apostolico Vaticano habitis, responderi mandavit:

Die 16 maii 1925

Responsa 16 maii 1925 ad tria prlora dubia.

Ad I. *Affirmative* ad primam partem, *negative* ad alteram et ad mentem. *Mens est*: Episcopus, quod spectat ad actualem separationem tertiae partis supplementi et conversionem eiusdem in distributiones quotidianas, utatur iure et munere suo ad normam can. 395 §§ 1 et 2 Codicis iur. can.

Ad II. *Negative* et ad mentem. *Mens est:* Supplicandum SS.mo pro gratia sanationis et condonationis, celebratis una Missa cum cantu, integro adstante Capitulo, et una Missa lecta per singulos Canonicos.

Ad III. Salvis contrariis Capitularibus statutis vel consuetudinibus, *negative* ad primam partem; *affirmative* ad alteram, si pars fuerit ab Episcopo in distributiones conversa.

Die 4 iulii 1925

Responsa 7 iul. 1925 ad cetera dubia

Ad IV. In Capitulis ubi viget systema praebendarum separatarum, *negative;* in Capitulis vero ubi viget systema massae communis *affirmative*.

Ad V. Non minori ea quantitate quam percipiebant ante assignationem supplementi congruae.

Ad VI. *Affirmative*.

Ad VII. Lucrantur eam partem quae proportionabiliter respondet ad id quod de tertia parte suae praebendae detractum est et in distributiones conversum.

Approbatio Pontificis, 2 iun. et 8 int.

Porro Ss.mus Dominus Noster Pius Divina Providentia PP. XI, referente infrascripto eiusdem Sacrae Congregationis Secretario, in Audientiis dierum 2 iunii et 8 iulii 1925, datas ab E.mis Patribus resolutiones approbare et confirmare, atque gratiam sanationis et condonationis ad oblatas preces ut in resolutione ad secundum, benigne concedere et indulgere dignatus est sub conditione ibidem proposita. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Dies (10 iul. 1925)

Datum Romae ex Secretaria S. C. Concilii, die 10 iulii 1925.

DONATUS Card. SBARRETTI, *Praefectus*.

L. ✠ S.

† *Iulius Episc. tit. Lampsacen., Secretarius.*

41. — S. C. de Propaganda Fide.

I. Constitutio Praefecti Missionum, regnante Urbano VIII

Lectores quibus Facultates S. C. Propagandae Fidei commentati sumus non taedebit, in iisdem Periodicis nostris reperire documentum de constitutione Praefecti missionum, quando Formulae Facultatum generalium iam fuere redactae et approbatae (*Cf. Nostrum Commentarium, n.* 11). *Exemplar seu apographum monumenti exscripsimus quod in expositione missionum, in parte historica exhibetur.*

Sanctissimus in Christo Pater et Dominus Noster D. Urbanus div. Providentia Papa Octavus.

Omnium hominum saluti, pro suo Apostolico munere providere cupiens, Te, R. Fratrem Antonium de S. Maria, Ordinis

strictioris Observantiae S. Francisci seu discalceati, Praefectum constituit et deputavit in Chinam seu Sinam, cum duodecim sociis eiusdem Ordinis ab eorum Superioribus approbandis mittere decrevit et mittit, ut cum facultatibus Tibi per alias litteras concedendis, evangelium Domini Nostri Iesu Christi annunties, et gentes illas doceas quaecumque Sancta Mater Ecclesia catholica, Apostolica, Romana praecepit et praesertim ut Iudicium universale futurum eisdem contesteris. Tu itaque rei magnitudinem et Apostolici muneris Tibi commissi gravitatem serio perpendens, imprimis cave ne ad haereticorum, schismaticorum et Infidelium contiones aut ritus quoslibet quovis praetextu vel causa accedas, deinde omnem adhibe curam, ut ministerium tuum digne et fideliter etiam cum sanguinis effusione ac morte ipsa si opus fuerit impleas, ut immarcessibilem coronam a Patre luminum recipere merearis. Datum Romae, ex S. Congregatione de Propaganda Fide, die 20 aprilis 1643, Pontificatus eiusdem Sanctissimi in Christo Patris, anno XX. Fr. ANTONIUS Card. (BARBERINI). *Franciscus Ingolus, Secretarius.*

Sequitur formula qua Notarius, *Ioannes Baptista de Morales,* O. Pr. fidelitatem exemplaris testatur, die 2 septembris, 1648.

II. **Facultas ad decennium concessa Vicario Apostolico,** 1. iul. 1920.

« Dispensandi super impedimento disparitatis cultus cum neophitis qui, privilegio Paulino uti cupientes, conversi, interpellatione facta et coniuge infideli discedente, gravibus de causis ab ipsis Ordinariis cognoscendis et probandis, mulierem catholicam ducere nequeant, ut cum coniuge pagano rite contrahere possint, servatis condicionibus can. 1065 et 1071 ».

ANNOTATIONES

I. Opportunitas istius facultatis inde elucet, quod fidelis baptizatus cuius coniux infidelis discessit alias nuptias quidem contrahere potest, sed cum altera parte fideli.

Nuptiae enim cum parte haeretica illicitae forent; cum infideli vero forent invalidae propter impedimentum disparitatis cultus.

Neque, ad solvendum hunc casum, possint missionarii uti sua communi facultate dispensandi super hoc impedimento, sed peculiaris potestas necessaria est, qualis per modo memoratum indultum est concessa. F. nostrum *De Casu Apostoli*, n. **62**.

II. Condicio « mulierem catholicam ducere nequeant » intellegenda est de morali impotentia. Talis habebitur v. g. in regione ubi omnino pauci sint catholici.

Immo, cum addatur: « qui... gravibus de causis mulierem catholicam ducere nequeant » clausula denique tandem huc recidit ut graves causae obstent quominus mulierem catholicam ducant. Graves causae esse possunt, praeter difficultatem reperiendi mulierem catholicam, moralis obligatio educandae prolis conceptae ex infideli, spes seria conversionis partis infidelis, utilitas pro religione. Ceterum aestimatio causae in arbitrio Ordinarii posita est.

Usui facultatis minime obstat copia matrimonii cum baptizata *haeretica*: sufficit difficultas nubendi cum parte *catholica*. Ceterum non caro magis expedit ut matrimonium cum parte infideli quam cum haeretica ineatur.

III. Causae cognitio ipsi Ordinario reservatur. Non possit igitur missionario dare condicionatam facultatem dispensandi si ipse missionarius causas graves subesse existimaverit.

ACTA SUMMATIM RELATA

42. — *SS. D. N. Pius Pp. XI*

A. *Canonizationes et beatificationes.*

1 *Canonizationes.*

Bullae canonizationis

Iam publicantur apud A. A. S. bullae canonizationum de quibus relatum est supra (*Period., XIV*, 1925, p. 87) scilicet: *S. Teresiae a Iesu infante* (A. A. S., XVII, 3 aug. 1925, 337); *S. Petri Canisii* (*ibid.*, 349); S. *Mariae Magdalenae Postel* (A. A. S., XVII, 1 sept. 1925, 401); *S. Magdalenae Sophiae Barat* (*ibid.*, 419); *S. Ioannis B. Mariae Vianney* (A. A. S. XVII, 1 oct. 1925, 465); *S. Ioannis Eudes* (ibid. 482).

2. *Beatificationes.*

Laurentius Imbert eiusque socii

Brevi 5 iul. 1925 beati renuntiantur ven. Dei famulus *Laurentius Imbert*, episcopus titularis Capsen. e Societate Parisiensi Missionum ad exteras gentes, eiusque socii, martyres, numero septuaginta novem, qui in ditione Coreana, anno 1839-1846 ob Christi fidem interempti sunt (A. A. S., XVII, 3 aug. 1925, 366).

Petr. Iulian. Eymard.

Brevi 12 iul. 1925 beatus pariter renuntiatur ven. Dei famulus *Petrus Iulianus Eymard*, fundator congregationis Presbyterorum a SS. Sacramento atque instituti Ancillarum SS. Sacramenti (A. A. S., XVII, 3 aug. 1925, 370).

B. *Litterae de dioecesibus.*

Sorocaba, in Brasilia.

1. Bulla 4 iul. 1924, a dioecesi Botucatuensi dismembratum territorium constituitur dioecesis *Sorocabana*, in Brasilia.

Santos, in Brasilia.

Iisdem litteris, ex parochiis distractis ab archidioecesi S. Pauli et a dioecesi Taubatensi et Botucatuensi erigitur dioecesis de *Santos*, in Brasilia.

Episcopalis mensa.

« Episcopalem mensam constituent Curiae emolumenta et ceterae oblationes quae a fidelibus in quorum bonum dioeceses erectae sunt, praeberi solent, praeter ea quae ad hoc iam collecta sunt » (A. A. S. XVII, 1 oct. 1925, 498.)

2. Bulla 11 nov. 1924, ex territoriis separatis ab archidioecesi de Plata, in Bolivia, eriguntur dioecesis de *Oruro*, de *Tarija*, *Potosi*. Episcopales mensae constituuntur ut supra. *Oruro in Bolivia. Tarija, ibidem. Potosi, ibidem.*

3. Bulla 21 nov. 1924, a dioecesi Portoricensi dismembratum territorium erigitur in novam dioecesim *Poncensem*; *insulae* autem quae *Virgines* appellantur, a dioecesi Rosensi distractae, attribuuntur antiquae dioecesi Portoricensi, cui in posterum nomen erit *Sancti Ioannis Portoricensis* (A. A. S., XVII, 1 sept. 1925, 441). *Ponce Portorico*

C. *Litterae de vicariatibus et praefecturis apostolicis.*

1. Litteris 12 maii 1925, territorium a Vicariatu Apostolico de Changsha (in Sinis) dismembratum, erigitur in praefecturam apostolicam de *Shenchow* Ordini Fratrum Minorum concreditam (A. A. S., XVII, 1 sept. 1925, 444). *Shenchow.*

2. Litteris 12 maii 1925, novi statuuntur fines vicariatibus apostolicis de *Birmania* orientali et septemtrionali (A. A. S., XVII, 1 sept. 1925, 445). *Birmania*

3. Litteris 12 maii 1925, territorium dismembratum a praefectura apostolica de Katanga (Congo belg.) erigitur in praefecturam apostolicam de *Luapula superiore*, religiosis Salesianis commissam (A. A. S., XVII, 1 sept. 1925, 446). *Luapula superior.*

4. Litteris 13 maii 1925, nomen vicariatus apostolici de *Unjanyembe* (Africa centr.) mutatur in *Tabora* (A. A S., XVII, 1 sept. 1925, 447). *Tabora.*

D. *Litterae de ecclesiis.*

1. Bulla 4 nov. 1924, in Collegiatam ad honorem erigitur ecclesia paroecialis Sancti Ioseph in civitate Serenio, archidioecesis Mediolanensis (A. A. S., XVII, 1 sept. 1925, 438). *Seregno.*

2. Brevi 19 maii 1925, ad dignitatem basilicae minoris evehitur ecclesia cathedralis Campaniensis (Italia) sub titulo Reginae Pacis (A. A. S., XVII, 1 sept. 1925, 448). *Campagna.*

3. Brevi 5 iun. 1925, titulo et privilegiis basilicae minoris honestatur ecclesia ad S. Martini, civitatis Turonensis. (A. A. S. XVII, 1 oct. 1925, 504). *Tours.*

43. — *S. Congr. Consistorialis*

1. Decreto 7 aug. 1925, duae domus paroeciae *Spital*, dioecesis Linciensis, tribuuntur paroeciae *Liezen*, dioecesis Seccoviensis. (A. A. S. XVII, 1 oct. 1925, 507). *Lincien-Seccoviensis.*

2. « Pro norma Ordinariorum, praesertim Amer. Merid. Sacerdos Aloisius Mattei, dioecesis Camerinensis, declaratur suspensus a divinis ». (A. A. S. XVII, 1 oct. 1925, 508). *Sacerdos declaratur suspensus.*

44. — *S. Congregatio Concilii*

1. Die 9 iunii 1923.

Parochus quasi domicilii est proprius, quod ad funera.

Ardachaden. de parocho proprio circa funera. — Cum in synodo Armacana 1908 statutum esset ut si quis extra fines paroeciae *suae* moreretur, clerus *domicilii* tres partes perciperet oblationum occasione funeris collatarum ubicumque funus celebraretur, post Codicem dubitari coeptum est num qui moreretur in paroecia quasi-domicilii censeretur extra *suae* paroeciae fines vita functus. Frustra autem dubitatum est cum. c. 94 § 1 apertissime dicat: « Sive per domicilium sive per quasi-domicilium, *suum* quisque parochum et Ordinarium sortitur. »

Quocirca ad dubium: « An, post datum Codicem iuris canonici etiam paroecia quasi-domicilii sit paroecia propria defuncti ad effectum percipiendi emolumenta funeraria in casu »

S. Congregatio, in plenariis comitiis, die 9 iun. 1923, respondendum censuit *affirmative*.

Quam resolutionem SS. D.nus, die 11 iunii approbare et confirmare dignatus est (A. A. S. XVII, 1 oct. 1925, 508).

2. Die 9 iunii 1923

Canonicus Paenitentiarius, qua docens theol. mor. distributiones non percipit.

Oxomen. Quaesitum est utrum Canonicus Paenitentiarius cathedralis ecclesiae, qui theologiam moralem docet in Seminario, censeretur, pro cotididianis distributionibus lucrandis, praesens in choro, horis quibus legit, an solos praebendae fructus perciperet tamquam mere excusatus a choro, ad normam c. 421 § 1. S. Congregatio, in plenariis comitiis, 9 iun. 1925, ad dubium « An Canonicus Paenitentiarius praesens in choro censeatur ad effectum lucrandi distributiones cotidianas, horis quibus theologiam moralem docet, in casu » responderi mandavit: « *Negative* et servetur praescriptum can. 421, § 1 Codicis ».

Quam resolutionem SS. D.nus, die 11 iunii approbare et confirmare dignatus est.

Ratio responsi sat manifesta videtur. Ad normam c. 420, Canonicus Paenitentiarius tunc tantum praesens in choro censetur quando confessiones audit; sed quando theologiam moralem docet, applicandus est c. 421 § 1, 1° qui de professoribus theologiae explicite agit. E iure particulari Hispaniae aliter responderi potuisset nisi in desuetudinem abiisset. (A. A. S. XVII, 1 oct. 1925, 510.)

45. — *S. Congr. Rituum.*

Causae beatificationis et canonizationis.

1. Die 22 iul. 1925, signata est commissio introductionis causae beatificationis et canonizationis servae Dei *Placidae Viel*, secundae superiorissae generalis congregationis sororum Scholarum christianarum a Misericordia, natae 26 sept. 1815, in dioecesi Constantiensi (Gallia), defunctae 4 mart. 1877 (A. A. S., XVII, 3 aug. 1925, 387). *Placida Viel, 22 iul. 1925.*

2. Die 27 mai 1925, signata est commissio introductionis causae servae Dei *Aemiliae de Vialar*, fundatricis congregationis sororum a S. Joseph de Apparitione, natae 12 sept. 1797 in Guillac (Gallia), defunctae 24 aug. 1856 (A. A. S., XVII, 1 sept. 1925, 454). *Aemilia de Vialar, 27 maii 1925.*

3. Die 27 maii 1925, ratum habuit SS.mus rescriptum S. Congr. Rituum, datum 19 maii 1925, quo confirmatur sententia iudicis delegati Wladislaviensis super cultu ab immemorabili tempore exhibito servo Dei *Bogumilo*, archiepiscopo Gnesnensi, beato vel sancto nuncupato. Constat igitur de casu excepto atque ad ulteriora procedi potest (cf. can. 2131) (A. A. S., XVII, 3 aug. 1925, 384). *Bogumilus, 27 maii 1925.*

46. — *Provisio Ecclesiarum*

Decretis *S. Congregationis Consistorialis* nominati sunt:

1 maii 1925, R. D. Henr. Mourao, ep. Camposinus (Brasilia). *Campos*

1 maii 1925, R. D. Anton. Bezena de Menezes, ep. Barrensis de Rio grande (Brasilia). *Barra do Rio grande.*

1 maii 1925, R. D. Andr. Arcoverde de Albuquerque Cavalcanti, ep. Valenciensis (Brasilia). *Walencia*

1 maii 1925, R. P. Basil. Pereira, ep. Amazonensis seu de Manâos (Brasilia). *Amazones.*

18 mai 1925, R. P. D. Ios. Chartrand, archiep. Cincinnatensis (Stat. foed. Amer. Sept.) ex ep. Indianapolitano. *Cincinnati.*

18 maii 1925, R. P. D. Ioan. Tim. Mac Nicholas, ep. Indianapolitanus (Stat. foed. Amer. sept.) ex ep. Duluthensi. *Indianapolis.*

30 iun. 1925, R. D. Ios. Ambühl, ep. Basileensis et Luganensis (Helvetia). *Basel e Lugano.*

Indianapolis. 30 iun. 1925, R. P. D. Ios. Chartrand, ep. Indianapolitanus (Stat. feod. Amer. Sept.) ex archiep. electo Cincinnatensi.

Cincinnati. 8 iul. 1925, R. P. D. Ioan. Tim. Mac Nicholas, archiep. Cincinnatensis (Stat. foed. Amer. Sept.) ex ep. electo Indianapolitano (1).

Ruvo e Bitonto 24 iul. 1925, R. P. D. Domin. Del Buono, ep. Rubensis et Bituntinus (Italia) ex ep. titulari Augilensi.

Wilmington. 24 iul. 1925, R. D. Edm. F. Fitzmaurice, ep. Wilmingtoniensis (Stat. foed. Amer. Sept.).

Kalocsa 31 aug. 1925, R. P. D. Iulium Zichy, arch. Colocensem ex ep. Quinquecclesiensi (Hungaria).

Decreto *S. Congregationis de Propaganda Fide* nominatus est:

Iassy. 7 maii 1925, R. D. Mic. Robu, ep. Iassiensis (Romania).

47. — *Nominationes.*

Brevibus Apostolicis nominati sunt:

Promontorium Bonae Spei. 15 iul. 1925, R. D. Bernardus Cornelius O'Riley, Vicarius Ap. Districtus Occidentalis. Promontorii Bonae Spei.

Africa insularis. 15 iul 1925, R. P. Iacobus Leen, e Cong. a S. Spiritu, coadiutor cum iure futurae successionis episcopi Portus Ludovici in Africa insulari.

Ucayali. 15 iul. 1925, R. P. Franciscus Irasola, O. F. M. Vic. Apost. de Ucayali, in Peruvia.

Decretis *S. Congregationis de Propaganda Fide* nominati sunt:

Buca. 26 iun. 1925, R. P. Petr. Rogan, e Soc. S. Ioseph de Mill-Hill, Praef. Ap. de Buca (Africa occid.).

Luapula. 14 iul. 1925, R. P. Ios. Saak, e Pia Soc. Salesiana, Praef. Ap. de Luapula (Congo belg.).

Hudson Bay. 15 iul. 1925, R. P. Arsen. Turquetil, O. M. I., Praef. Ap. de Sinu Hudsoniano (Amer. septemtr.).

Schenchow. 16 iul. 1925, R. P. Dom. Langenbacher, e Congr. Passionistarum, Praef. Ap. de Shenchow (in Sinis).

Wuchang. 17 iul. 1925. R. P. Silv. Espelage, O. F. M., Praef. Ap. de Wuchang (in Sinis).

---

(1) Fac observes, Ill. D. Chartrand, vix (18 maii 1925) electum archiep. Cincinnatensem, iam 30 iun. eiusdem anni suae sedi Indianapolitanae restitutum esse, dum eius successor in hac sede, Ill. D. Mac Nicholas ad archiepiscopalem sedem Cincinnatensem promotus est.

Decretis *S. Congregationis pro Ecclesia Orientali* nominati sunt :

3 iun. 1925, R. D. Iac. Kallarakel, administrator dioec. Changanacherriensis ritus siro-malabarici. *Changanacherry.*

25 iul. 1925, R. P. Pasch. Robinson, O. F. M., visitator apostol. pro Palaestina. *Palaestina.*

48. — *Necrologium.*

19 iul. 1925, Em. D. Card. Lud. Nazar. Bégin, archiep. Quebecen. (Canada). *Québec.*

19 iul. 1925, Ill. D. Luc. Pappafava, ep. Pharen. (Dalmatia). *Lesina.*

BIBLIOGRAPHIA

Ex Libris

Eug. Duplessy (Chan.). — *Apologétique. Livre III. Démonstration du Catholicisme* - Paris, 5, rue Bayard, 1925. I vol. in-8, 516 p.

Première partie : Ce que la raison nous enseigne sur l'Église - Ch. I. L'institution divine de l'Église. - Ch. II. L'oeuvre divine de l'Église.

Deuxième partie. Ce que l'Église nous enseigne sur elle-même. - Ch. I. Les membres de l'Église. - Ch. II. L'autorité dans l'Église.

I. Brys (D.r Prof.). - *De dispensatione in iure canonico,* praesertim apud Decretistas et Decretalistas, usque ad medium saec. XIV. 1 vol. in-8, VIII - 275 p. (Dissertatio ad gradum Dris Lovanii consequendum). - Brugis, Beyaert, 1925.

Praeliminaria : Sensus vocis. Materia tractanda. Scriptores. Divisio operis.

Pars I. Dispensationes usque ad s. IX. Sectio I. Existentia, Notio, Obiectum, Causa dispensationum. - Sectio II. Auctor dispensationum.

Pars II. Dispensationes a s. X ad Decr. Gratiani. - Sectio I. Quid scriptores docuerint. Mutationes in praxi et in methodo scientifica. Sectio II. Praxis a s. X ad Decr. Gratiani.

Pars III. Dispensationes a Dec. Gratiani ad Glossam ordinariam. Sectio I. Doctrina in Decreto. Sectio II. Doctrina apud Decretistas.

Pars IV. Dispensationes apud Decretalistas usque ad Io. Andreae inclusive. Praenotanda de Decretalibus, de scriptis Doctorum, de methodo Decretalistarum. Divisio partis. Sectio I. Doctrina de notione, divisione, causa, obiecto, subiecto et effectibus dispensationis. Sectio II. De auctore dispensationum.

Appendix. Doctrina theologorum de dispensatione ecclesiastica eorumque influxus in canonistas et vicissim.

Conclusio quartae partis.

Index alphabeticus RR. PP. et scriptorum usque ad medium saec. XIV.

Al. De Smet (D.r) *Tractatus dogmatico moralis de Sacramentis in genere, de Baptismo et Confirmatione*, ed. altera, 1 vol. in-8, XX-331 p. Brugis, Beyaert 1925.

Prolegomena de Fontibus. Index bibliographicus.

Lib. I. Sacramenta in genere. Notio ; constitutio physica ; efficacia ; institutio ; numerus et ordo ; minister ; subiectum. - *Appendix:* Sacramentalia. Sacramenta Veteris Legis.

Lib. II Baptismus. Notio ; existentia ; materia et forma ; effectus ; necessitas ; minister ; subiectum. *Appendix I.* Institutio ad clerum de erudiendis obstetricibus. *App. II.* Caerimonial. *App. III.* Inscriptio in registro.

Lib. III. *Confirmatio.* Existentia ; materia et forma ; effectus ; necessitas ; minister ; subiectum ; caerimoniae ; inscriptio. *Documenta.*

Nikolaus Paulus (D.r). *Geschichte des Ablasses im Mittelalter.* Vom Ursprunge bis Zur Mitte des 14 Jahrhunderts. Zweiter Band in-8, 364 p. - Am Ausgange des Mittelalters. in-8, XII-558 p. Paderborn, Ferdinand Schöningh, 1923. Tom I/II veniunt 24 G. M. ; Tom. III (religatus) 27 G. M.

Tom. II. Päpstliche Ablässe für Almosen und Kirchenbesuch von 1216-1350. - Die Kreuzzugablässe von 1216-1350. - Bischöfliche Ablässe von 1216-1350. - Zum Verständniss eigentümlicher Ablassurkunden. - Der Jubiläumsablass. - Vollkommene Ablässe auf Grund des sogenannten Ablässes von Schuld und Strafe. - Die Anfänge des Sterbeablasses. - Der Ablass für die Verstorbenen. - Die Lehre vom Kirchenschatz. - Wesen und Wirksamkeit des Ablasses. - Hauptbedingungen zur gültigen Erteilung und zur Gewinnung der Ablässe. - Besondere Ablasswerke. Der Ablass als Kulturfaktor. - Die Quästoren oder Almosensammler als Verkündiger von Ablässen. - Berühmte doch unechte Ablässe. - Gegner des Ablasses. Wertschätzung des Ablasses. - Religiös-sittliche Folgen des Ablasses.

Tom. III. Der Ablass bei den Theologen ; bei den Kanonisten ; in den Predigten und Erbauungsbüchern. - Päpstliche Ablässe für Almosen und Kirchenbesuch. - Jubilaumsablässe. - Kreuzzugsablässe. - Ablässe von Bischöfen, Kardinälen und Legaten. - Die Ablässe der religiösen Genossenschaften ; berühmter Kirchen und Wallfahrtsorte. - Der Ablass in den Gebetbüchern. - Vollkommene Ablässe auf Grund des sogenanaten Beichtbriefes. - Der sogenannte Ablass von Schuld und Strafe. - Der Ablass in Verbindung mit dem Busssakrament. - Der

Ablass für die Verstorbenen. - Wesen und Wirksamkeit des Ablasses. Erforderliche Bedingungen. - Mannigfaltige Ablasswerke. - Der Ablass als Geldquelle. - Missbraüche in der Ablasspraxis. - Die mit dem Ablass verbundenen Privilegien. - Gegner des Ablasses. - Religiös-sittliche Folgen des Ablasses.

C. Telch (Exprof.) *Epitome Theologiae moralis* universae per definitiones, divisiones et summaria Principia pro Recollectione Doctrinae moralis et ad immediatum usum confessarii et parochi excerpta e Summa Theol. mor. R. P. Hier. Noldin. ed. 6. 1 vol. in 16, X - 411-571 p. Oeniponte (Innsbruck) Rauch, 1924.

Cyrillus Pionteh (D.r et Prof. O. F. M.). *De indulto exclaustrationis necnon saecularizationis, Dissertatio canonica.* 1 vol. in-8, XXIV - 279 p. Green Bay, Wisconsin U. S. **A.** 1925.

Pars I. De utroque indulto. Notio, divisio, finis, origo. Restrictiones regressus in saeculo, historice.

Pars II. De exclaustrationis indulto. Auctor ; effectus.

Pars III. De saecularizationis indulto. Auctor ; effectus.

Appendix de recusatione rescripti.

A. Ehl. (Pfarrer). *Schwesternseelsorge*, 1 vol. in-8, VIII-304 p. ed. 2. Paderborn, Ferdinand Schöningh, 1925. Venit 5 Mk. (rel. 6, 80). Vorwort. Einleitung.

I. Teil. Die Grundfragen der Schwesternseelsorge.

II. Teil. Die hauptsächlichsten Mittel.

III. Teil. Die Seelsorge bestimmter Gattungen von Schwestern.

IV. Teil. Seelsorgerliche Behandlung auscheidender und ausgeschiedener Schwestern.

V. Teil. Seelsorge hinsichtlich der Ordensberufe.

VI. Teil. Wissenswerte kirchenrechtliche Bestimmungen.

Ben. Valuy S. I. *Le Gouvernement des Communautés religieuses*, ed. 8, revue et corrigée par **J. F. Vulliez-Sermet**, S. I. 1 vol. in-8, 711 p. Paris, A. Tralin, 1925. Venit 30 fr.

Livre I. De la Supériorité en général : difficultés, dangers, avantages, qualités requises, devoirs lors des elections.

Livre II De la Sainteté du Supérieur : esprit d'oraison, humilité, régularité, charité.

Livre III. De la Prudence : nécessité ; politique religieuse et politique mondaine ; conditions essentielles de la prudence religieuse.

Livre IV. De l'alliance de la douceur avec la fermeté : Nécessité ; critères ; affabilité ; gravité ; attentions paternelles ; vigilance ; modèles.

Livre V. De la Correction : Obligation ; justice ; discretion ; charité. Réforme à introduire.

Livre VI. De la formation des sujets: Choix des sujets; noviciat; direction spirituelle; confesseur.

Livre VII. De la patience dans les contradictions: contradictions inévitables; avantageuses. Conduite à tenir.

A. Vermeersch, S. I. *Religions and ecclesiastical vocation.* Translated from the Latin by **Joseph G. Kempf.** - 1 vol. in-12, VI - 90 p. St Louis and London, B. Herder, 1925.

Part. I. Religious Vocation: in Holy Scripture; according to the Fathers; according to the Theologians. Correct explication of religious vocation.

Part. II. Ecclesiastical vocation. The true idea; Vocation to the Priesthood; who are called to the Priesthood. Individual Consultation on this Subject. Supplement. Lahitton 's Book.

Conclusion on the various states of christian Life. Index.

J. B. Thibaut, des Augustins de l'Assomption. *La liturgie romaine.* La Liturgie primitive et le grand Nallel. — Liturgie romaine grecque. — Liturgie romano-africaine. — Liturgie romaine latine. Paris, Bonne presse, 1925. Gr. in-8, 128 pp. Prix: 5 fr.

M. Radaeli, S. J. Nic. Avancino S. J. *Vita e Dottrina di N. S. Gesù Cristo. Meditazioni per tutti i giorni dell' anno,* riviste dal Sac. Zollner. Trad. italiana sul testo francese del sacerdote Crolet, arrichita di meditazioni per *Esercizi spirituali* e di un indice analitico - alfabetico. Tre volumi in-16 XII-318, 446 et 590 p. Torino, Marietti, 1925. Prezzo dei tre vol. L. 25.

Fernand Beaudhuin (Dr. iuris et sc. pol.). *Le Capital de la Belgique et le rendement de son industrie avant la guerre,* vol. in - 8, 232 p. Louvain, René Fonteyn, 1924 (Collection de l'école des sciences Pol. et Soc. de l'Université de Louvain).

Prem. Partie. Étude sur la richesse nationale avant la guerre.

Deus. Partie. Le rendement du capital industriel.

Conclusions. Bibliographie. Tableaux - Annexes.

V. Honnay, S. I. *Les cercles sociaux de doctrine catholique.* Guide théorique et pratique. Préface de Mgr. Ladeuze. 232 - CLXXXII p. Louvain secrétariat de l'A. C. G. B. 1925. Prix. 12, 50 fr.

Collèges et oeuvres paroissiales. Les oeuvres. Théorie raisonnée du Cercle de doctrine. Programme, conditions de succes, prolongements.

L'Étude des Encyliques. Systématisation des lectures - Édu-

cation et Politique. - Catholiques de droite et catholiques de gauche. Bibliographie.

C. É. de collège et Université.

N. B. Opus est autographice exaratum.

Oscar Renz (Dr. Prof.). *Das Dienstverhältuis*. Ein Beitrag zum Familienrecht und zur Arbeiterfrage. *(Ex Xenia Thomistica)*, in - 434 p. Typ. Vaticana, 1924.

I. Das Recht. II. Die Entstehung des Dienstvehältnisses. III. Die Rechtliche Wirkungen. - Schluss.

Charles Turgeon (Prof.). I. Introduction à l'étude de la valeur. — II. Réflexions préliminaires sur la valeur. — III. Critique de la loi de l'offre et de la demande. — IV. Valeur d'usage et valeur d'échange. — V. La rareté économique et l'école mathématique. — VI. Critique de l'utilité finale ou marginale. — VII. Éloges, rapports et discours. 1 vol. in-8. 464 p. (Travaux juridiques et économiques de l'Université de Rennes, P. IX) Rennes, Plihon et Hommay, 1925. Prix, 25 f.

H. Bouxeard, *Le sang des prêtres de France*. Paris, 5, rue Bayard, 1925. In 12, 80 p.

L. Picard (Chan. de Lyon). *Emilie de Vialar, fondatrice des religieuses S. Joseph de l'apparition*. Paris, 5, rue Bayard, 1925. In-8, XVI - 342 p.

E Periodicis

Collationes Brugenses. Iul. Aug. 1925. G. I. ep. Brug. Regnum aeternum Christi in coelis. - E. HOSTEN, de iis quae oratione peti possunt. - A. LEGRAND, Commutatio indulgentiarum. - A. VAN der HEEREN, Consultatio de indulto circa abstinentiam.

Collationes Gandavenses. Iun. Oct. 1925. F. CLAEYS BOUUAERT, *De lege* mere poenali (cf. antea p. 20.). - Les trois derniers concordats conclus par le S. Siége. - Quaenam sibi successerint vocis « ius gentium » acceptiones. - A. STANDAERT, an parocho licet nuptiis assistere indigni.

Commentarium pro religiosis, 1925. A. LARRAONA, commentarium Codicis, c. 498, p. 13; c. 499, p. 75. 127. 180; c. 500, p. 291.

De iure quo Congregatio nostra regitur, 330.

D. RAMOS, De exemptione saecularium in domibus religiosorum, 28. 82. 136. 187. 325.

G. OESTERLE, De ratione studiorum in religionibus clericalibus. 141. 191. 296.

Ius Pontificium, 1925. A. CRNICA, O. M. De metu gravi ut causa eximente a poenis l. s. 9. - CAPPELLO, S. I. De praescriptione. - A. IANSSEN, De lege mere poenali, 24. - A. TOSO, De criterio codificatorum I. C. quoad beneficiorum collationem, 33. - B. OIETTI, S. I. Ex infidelium matrimonio legitimo an affinitas oriatur, 71. - G. ARENDT, De absoluta habilitate sterilium ad matrimonium, 77. Appendix De recentissima disquisitione circa impotentiam mulieris irreparabiliter occlusae, 99. - I. CREUSEN, S. I. De oneribus missarum suscipiendis, 100.

Il Monitore Ecclesiastico 1925. Voto di povertà nei religiosi di voti semplici, p. 11. - La preghiera per le intenzioni del Papa, nell'acquisto delle indulgenze, 36. - Sanazione in radice di matrimonii civili, 38. - Limitazione di confessori religiosi, 82. - Applicazione del Codice agli Orientali, 101. - Dei libri o registri parrocchiali, 142. - Uso delle facoltà di dispensa matrimoniale, coi pellegrini, 204. - Sul supplemento di congrua concesso ai capitoli d'Italia, 244. - Circa l' *Omnia parata* del can. 1045, 297.

Nederlandsche Katholieke Stemmen, 1925. D.r MULDER, De beteekenis van « Acatholici » in den Codex, 8. - VAN GRINSVEN, C. SS. R. De licita matrimonii assistentia, 20. - circa legem abstinentiae, 79. - ratio excusans a reddendo debito coniugali, 181. - confessarius occasionalis et suppletio in dubio, 307. - error Communis, 215. - F. VAN DE LOO, Eenige opmerkingen over peter en meter bij het H. Doopsel, 34. - Dr. A. C. M. S. Toepassing van het Privilegium Paulinum, 53. Toepassing van can. 1127, 105. Gewichtig punt bij het onderricht voor het huwelijk volgens can. 1033, 123. De foro competenti super rato, 86. - Dr. H. BEIJERSBERGEN, S. I. Eenige practische vragen en bemerkingen omtrent aflaten, 141. 195. 291. - H. METS, Omtrent de Concelebratio, 185; absolutie in reservato, 270. - J. L. JANSEN, C. SS. R. De Roeping tot het Priesterschap, 174. - J. S. Biecht « per telefoon »?, 260. - W. KOENRAADT, Wat is liegen, 297.

Nouvelle Revue Théologique, 1925. J. DE VIGNERON (Miss. de Scheut) La durée de la S. Messe d'après les auteurs, 27. E. JOMBART, S. I. Les Supérieures de Moniales, 92.

R. BROUILLARD, S. I. Vin de Messe. Un procédé nouvean de preparation, 89.

J. B. BORD, Iustification sacramentelle et extrasacramentelle, 213. 292.

J. CREUSEN, S. I. Baptême douteux et mariage indissoluble, 227. - L'empêchement de disparité de culte, 495.

J. SALSMANS, S. I. Bien mél acquis ne peut se garder,

298. - La direction spirituelle des jeunes gens, 412. La cessation du contrat de louage, 482. - L'abolitionisme, 551.

E. HOCEDEZ, S. I. Pour la modestie chrétienne, 396.

J. MARÉCHAL, Les lignes essentielles du Freudisme, 537.

Pastor bonus, 1925. D.r IOS. ENGERT. Zur Psychologie und Pädagogik der Erstkommunion, 35. - Prof. D.r HAMM, Copula ad orificium vaginae et dimidiata, und Die Entscheidung des H. Offiziums vom nov. 1922, 91. - VAN ACKEN, S. I. Hausgeistlicher an Krankenhäusern, 97. - De Confessario occasionali, 206. - Spender der feierlichen Taufe, 303. - Pfr. D.r ZIMMER, Der Rückgang im Empfange der H. Kommunion, seine Ursachen und die Mittel, ihn zu beheben, 195. - HILTERSCHEID, Zum Thema: Der Rückgang im Empfange der H. Kommunion, 351.

Le Recrutement sacerdotal, 1925. G. CH. La conscience professionnelle cléricale et sa formation au « For interne » dans les Petits Séminaires. La Direction spirituelle, 8. 38. - J. PINAULT. Séminaristes et préparation aux oeuvres, 3. - P. J. DELBREL, S. I. A - t - il la vocation?, 45. - M. RICARD. Pour les vocations, une oeuvre complémentaire, 49: - S. LAGRANGE, Les vocations tardives, 57. 96. 123. (Une religieuse) L'oeuvre des Stanislas, 63. - Bibliographie de la vocation, 70, 101. 129. 134.

Revue ecclésiastique de Liége, t. 16. E. LEROUX, De lege pure poenali, 233. - Le sujet des lois ecclésiastiques, 329 - G. KISELSTEIN, De vi et metu irritantibus matrimonium, 237. - Les modes indécentes, 275. - De condicione repugnante substantiae matrimonii. - Finis qui in contrahendo matrimonio intendi debeat vel possit, 367.

T. 17. E. LEROUX, De condicionibus iuramenti liciti, 34. - G. KISELSTEIN, Notio personae moralis, 39. De eius capacitate possidendi bona, 113. - Mariage et Crainte révérentielle, 69.

PARS ALTERA

MONUMENTA

49. — SS. D. N. Pii Pp. XI

Litterae Encyclicae « *Quas primas* » 11 dec. 1925

DE FESTO D. N. I. C. REGIS CONSTITUENDO

(A. A. S. 28 dec. 1925, XVII, 593)

PIUS PP. XI

VENERABILES FRATRES

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Memoratis primis litteris enc. quibus pacem Christi in regno Christi *quaerendam monuit, ipse instaurando Christi imperio operam dare proposuit.*

Quas primas post initum Pontificatum dedimus ad universos sacrorum Antistites Encyclicas Litteras, meminimus in iis Nos aperte significasse — cum summas persequeremur earum calamitatum causas, quibus premi hominum genus conflictarique videremus — non modo eiusmodi malorum colluviem in orbem terrarum idcirco invasisse quod plerique mortalium Iesum Christum sanctissimamque eius legem cum a sua ipsorum consuetudine et vita, tum a convictu domestico et a re publica submoverant; sed etiam fore nunquam ut mansurae inter populos pacis spes certa affulgeret, usque dum et homines singuli et civitates Salvatoris Nostri imperium abnuerent ac recusarent. Itaque *pacem Christi* ut quaerendam *in regno Christi* monuimus, ita Nos, quantum licuisset, praestituros ediximus: in regno Christi, inquimus, quippe Nobis videbamur ad pacem redintegrandam stabiliendamque non posse efficacius, quam, Domini Nostri imperio instaurando, contendere. Haud obscuram

Ideo, exspectationem meliorum temporum ex crescentibus studiis populorum in Christum eiusque Ecclesiam;

quidem exspectationem meliorum temporum Nobis interea moverunt studia populorum illa in Christum inque eius Ecclesiam, unam salutis effectricem, aut primum conversa aut longe excitata acrius: unde etiam apparebat, multorum, qui, contempto Redemptoris principatu, quasi regno extorres facti erant, parari auspicato et maturari ad officia obedientiae reditum.

dein, per annum, expositionem sacrarum missionum, multitudinem peregrinorum,

At quicquid, vertente Anno sacro, evenit actumve est, perpetua sane recordatione ac memoria dignum, nonne inde Conditori Ecclesiae, Domino ac Regi summo, plurimum honoris accessit ac gloriae? Etenim, sacrarum Missionum rebus publice ad spectandum propositis, nimium quantum mentes hominum sensusque pepulere sive data ab Ecclesia continenter opera regno Sponsi sui cotidie latius in omnes terras insulasque — vel per oceanum remotissimas — proferendo, sive magnus regionum numerus, summo cum sudore ac sanguine, a fortissimis invictisque missionalibus nomini catholico adiunctus, sive quae reliquae sunt locorum magnitudines, salutari benignaeque Regis nostri dominationi subiiciendae. Porro quotquot, sacri temporis decursu, in Urbem undique, Antistitum sacerdotumve suorum ductu, concessere, quid iis omnibus consilii fuit, nisi ut, expiatis rite animis, ad Apostolorum sepulcra et coram Nobis, se in imperio Christi et esse et futuros profiterentur? Atque hoc ipsum Servatoris nostri regnum nova quadam luce tum splendere visum est, cum Nosmet sex confessoribus virginibusque, comprobata praestantissimarum virtutum laude, sanctorum caelitum honores decrevimus. O quantum voluptatis animum Nostrum incessit, quantum solacii, cum, in Petriani templi maiestate, post latas a Nobis decretorias sententias, ab ingenti fidelium multitudine, inter gratiarum actionem, conclamatum est: *Tu Rex gloriae, Christe*. Namque, dum homines civitatesque a Deo alienae, per concitatas invidiae flammas intestinosque motus, in exitium atque interitum aguntur, Ecclesia Dei, pergens spiritualis vitae pabulum humano generi impertire, sanctissimam, aliam ex alia, virorum feminarumque subolem Christo parit atque alit, qui, quos sibi fidissimos in terreno regno subiectos parentesque habuit, eosdem ad aeternam regni caelestis beatitatem advocare non desinit. Exeunte praeterea inter lubilaeum maximum millesimo sexcentesimo ab habita Synodo Nicaena anno, saeculare eventum eo libentius celebrari iussimus et Nosmet ipsi in Vaticana Basilica commemoravimus, quod ea Synodus Unigeniti cum Patre consubstantialitatem sanxit ad credendumque catholica fide proposuit, itemque, verba « cuius regni non erit finis » in suam fidei

honores Sanctorum decretos sex confessoribus et virginibus,

commemorationem millesimi sexcentesimi anni ex quo Nicaena synodus habita est, quae Verbum consubstantiale cum Patre definivit

formulam seu Symbolum inserendo, regiam Christi dignitatem affirmavit.

et in suum symbolum verba : « cuius regni non erit finis », inseruit :

Cum igitur Annus hic sacer non unam ad inlustrandum Christi regnum habuerit opportunitatem, videmur rem facturi Apostolico muneri in primis consentaneam, si, plurimorum Patrum Cardinalium, Episcoporum fideliumque precibus, ad Nos aut singillatim aut communiter delatis, concedentes, hunc ipsum Annum peculiari festo D. N. Iesu Christi Regis in ecclesiasticam liturgiam inducendo clauserimus. Quae agitur causa sic Nos delectat, ut de ea vos, Venerabiles Fratres, aliquantum affari cupiamus: vestrum postea erit, quicquid de Christo Rege colendo dicturi sumus, ad popularem intellegentiam et sensum ita accommodare, ut decernendam annuam sollemnium celebritatem multiplices excipiant ac sequantur in posterum utilitates.

velut tot opportunitates considerans, Pontifex e munere suo esse duxit, ut concedens plurimis precibus, annum instituto festo D. N. I. C. Regis clauderet.

De hoc argumento *affaturus est Antistites quorum opera sollemnitas annua multiplices fructus ferre debebit.*

Ut translata verbi significatione rex appellaretur Christus ob summum excellentiae gradum, quo inter omnes res creatas praestat atque eminet, iam diu communiterque usu venit. Ita enim fit, ut regnare is *in mentibus hominum* dicatur non tam ob mentis aciem scientiaeque suae amplitudinem, quam quod ipse est Veritas, et veritatem ab eo mortales haurire atque obedienter accipere necesse est; *in voluntatibus* item *hominum*, quia non modo sanctitati in eo voluntatis divinae perfecta prorsus respondet humanae integritas atque obtemperatio, sed etiam liberae voluntati nostrae id permotione instinctuque suo subiicit, unde ad nobilissima quaeque exardescamus. *Cordium* denique *rex* Christus agnoscitur ob eius *supereminentem scientiae caritatem* (1) et mansuetudinem benignitatemque animos allicientem: nec enim quemquam usque adeo ab universitate gentium, ut Christum Iesum, aut amari aliquando contigit aut amatum iri in posterum continget. Verum, ut rem pressius ingrediamur, nemo non videt, nomen potestatemque regis, propria quidem verbi significatione, Christo homini vindicari oportere; nam, nisi quatenus homo est, a Patre *potestatem et honorem et regnum* accepisse (2) dici nequit, quandoquidem Dei Verbum, cui eadem est cum Patre substantia, non potest omnia cum Patre non habere communia, proptereaque ipsum in res creatas universas summum atque absolutissimum imperium.

Christus rex translata verbi significatione : *in mente, in voluntate, in corde ;*

Christus rex propria verbi significatione,

(1) *Eph.* III, 19.
(2) DAN., VII, 13-14.

demonstratur Scripturis Veteris Testamenti,

Christum esse Regem nonne in Scripturis sacris passim legimus? Ipse enim dicitur dominator de Iacob oriturus, (1) qui a Patre constitutus est rex super Sion montem sanctum eius, et accipiet gentes hereditatem suam et possessionem suam terminos terrae; (2) nuptiale autem carmen, quo, sub regis ditissimi potentissimique specie ac similitudine, verus, qui futurus erat, rex Israel celebrabatur, haec habet: *Sedes tua, Deus, in saeculum saeculi; virga direct onis, virga regni tui.* (3) Ut multa id genus praetereamus, alio quidem loco, quasi ad Christi lineamenta clarius adumbranda, praenuntiabatur fore ut regnum eius, nullis circumscribendum finibus, iustitiae et pacis munera locupletarent: *Orietur in diebus eius iustitia, et abundantia pacis... Et dominabitur a mari usque ad mare: et a flumine usque ad terminos orbis terrarum.* (4) Huc vel uberiora accedunt prophetarum oracula, illudque in primis Isaiae pervagatissimum: *Parvulus... natus est nobis, et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum eius; et vocabitur nomen eius Admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri saeculi, princeps pacis. Multiplicabitur eius imperium, et pacis non erit finis: super solium David, et super regnum eius sedebit: ut confirmet illud et corroboret in iudicio et iustitia, amodo et usque in sempiternum.* (5) Nec sane aliâ atque Isaiae sententia ceteri prophetae vaticinantur: ut Hieremias, praedicens *germen iustum* ab stirpe David oriundum, qui quidem Davidis filius *regnabit rex et sapiens erit: et faciet iudicium in terra;* (6) ut Daniel, qui regnum praenuntiat a Deo caeli constituendum, quod *in aeternum non dissipabitur..... stabit in aeternum;* (7) et haud multo post subiicit: *Aspiciebam in visione noctis et ecce cum nubibus caeli quasi filius hominis veniebat, et usque ad antiquum dierum pervenit, et in conspectu eius obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem et honorem et regnum, et omnes populi, tribus et linguae ipsi servient; potestas eius, potestas aeterna, quae non auferetur, et regnum eius, quod non corrumpetur.* (8) Zachariae autem praedictum illud de Rege mansueto, qui, *ascendens super asinam et super pullum asinae,*

(1) *Num.*, XXIV, 19.
(2) *Ps. II.*
(3) *Ps. XLIV*
(4) *Ps. LXXI.*
(5) ISAI., IX, 6-7.
(6) HIER., XXIII, 5.
(7) DAN., II, 44.
(8) DAN., VII, 13-14.

Hierosolymam *iustus et salvator*, gestientibus turbis, ingressurus erat, (1) nonne sancti evangeliorum scriptores impletum agnoverunt et comprobarunt? — Eadem ceteroqui de Christo Rege doctrina, quam Veteris Testamenti libris consignatam delibavimus, tantum abest ut in Novi paginis evanescat, ut, contra, magnifice splendideque confirmetur. Qua in re, ut Archangeli nuntium vix attingamus, a quo Virgo docetur, se filium parituram, cui dabit... Dominus Deus sedem David patris eius et qui regnabit in domo Iacob in aeternum et regni eius non erit finis, (2) Christus de suo ipse imperio testatur: sive enim in postremo ad populum sermone de praemiis poenisve locutus est, quibus in perpetuum iusti vel rei afficiendi forent, sive Praesidi romano respondit, publice ex ipso utrum rex esset percontanti, sive, postquam resurrexit, Apostolis munus docendi et baptizandi omnes gentes commisit, oblata opportunitate, et sibi regis nomen attribuit, (3) et se regem esse palam confirmavit, (4) et sollemniter edixit, datam sibi esse omnem potestatem in caelo et in terra: (5) quibus profecto verbis quid aliud, quam eius magnitudo potestatis et infinitas regni, significatur? Num igitur mirari licet, si, qui a Ioanne dicitur *princeps regum terrae*, (6) idem, quemadmodum apostolo in visione illa futurorum apparuit, *habet in vestimento et in femore suo scriptum: Rex regum et Dominus dominantium?* (7) Etenim Christum Pater *constituit heredem universorum;* (8) oportet autem ipsum regnare, donec, in exitio orbis terrarum, ponat omnes inimicos sub pedibus Dei et Patris. (9) Qua ex communi sacrorum Librorum doctrina sequi profecto oportuit, ut catholica Ecclesia, quae est Christi regnum in terris, ad omnes homines terrasque universas utique producendum, Auctorem Conditoremque suum, per annuum sacrae liturgiae orbem, Regem et Dominum et Regem regum, multiplicato venerationis officio, consalutaret. Istas sane honoris significationes, unum idemque per mirificam vocum varietatem sonantes, ut in veteri psallendi ratione atque in antiquis Sacramentariis adhibuit, sic in publicis divinae maiestati precibus cotidie admovendis, inque immo-

et Novi Testamenti;

plurima consalutatione Ecclesiae.

(1) ZACH., IX, 9.
(2) LUC., I, 32-33.
(3) MATH., XXV, 31-40.
(4) IO., XVIII, 37.
(5) MATTH., XXVIII, 18.
(6) *Apoc.*, I, 5.
(7) *Apoc.*, XIX, 16.
(8) *Hebr.*, I, 1.
(9) I *Cor.*, XV, 25.

landa immaculata hostia, in praesenti adhibet; in hac vero laudatione Christi Regis perpetua pulcherrimus nostrorum et orientalium rituum concentus facile deprehenditur, ut etiam hoc in genere valeat illud: *Legem credendi lex statuit supplicandi.*

Regiae dignitatis fundamenta;

Quo autem haec Domini nostri dignitas et potestas fundamento consistat, apte Cyrillus Alexandrinus animadvertit: *Omnium, ut verbo dicam, creaturarum dominatum obtinet, non per vim extortum, nec aliunde invectum, sed essentia sua et natura;* (1) scilicet eius principatus illâ nititur unione mirabili, quam hypostaticam appellant. Unde consequitur, non modo ut Christus ab angelis et hominibus Deus sit adorandus, sed etiam ut eius imperio Hominis angeli et homines pareant et subiecti sint: nempe ut vel solo hypostaticae unionis nomine Christus potestatem in universas creaturas obtineat. — At vero quid possit iucundius nobis suaviusque ad cogitandum accidere, quam Christum nobis iure non tantum nativo sed etiam quaesito, scilicet redemptionis, imperare? Servatori enim nostro quanti steterimus, obliviosi utinam homines recolant omnes: *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis:... sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi et incontaminati.* (2) Iam nostri non sumus, cum Christus *pretio magno* (3) nos emerit; corpora ipsa nostra *membra sunt Christi.* (4)

unio hypostatica;

hominum redemptio.

Principatus explicatio: continet potestatem legislativam, iudiciariam exsecutivam.

Iamvero, ut huius vim et naturam principatus paucis declaremus, dicere vix attinet triplici eum potestate contineri, qua si caruerit, principatus vix intellegitur. Id ipsum deprompta atque allata ex sacris Litteris de universali Redemptoris nostri imperio testimonia plus quam satis significant, atque est catholica fide credendum, Christum Iesum hominibus datum esse utique Redemptorem, cui fidant, at una simul legislatorem, cui obediant. (5) Ipsum autem evangelia non tam leges condidisse narrant, quam leges condentem inducunt: quae quidem praecepta quicumque servarint, iidem a divino Magistro, alias aliis verbis, et suam in eum caritatem probaturi et in dilectione eius mansuri dicuntur. (6) Iudiciariam vero potestatem sibi a Patre attributam ipse Iesus Iudaeis, de Sabbati requiete per mirabilem debilis hominis sanationem violata criminantibus, denuntiat: *Neque enim Pater iudicat quemquam, sed omne iudicium*

---

(1) *In Luc.*, X.
(2) I PETRI, I, 18-19.
(3) I *Cor.*, VI, 20.
(4) Ibid., 15
(5) Conc. Trid., Sess. VI, can. 21.
(6) IO., XIV, 15; XV, 10.

dedit Filio. (1) In quo id etiam comprehenditur — quoniam res a iudicio disiungi nequit — ut praemia et poenas hominibus adhuc viventibus iure suo deferat. At praeterea potestas illa, quam executionis vocant, Christo adiudicanda est, utpote cuius imperio parere omnes necesse sit, et eâ quidem denuntiatâ contumacibus irrogatione suppliciorum, quae nemo possit effugere.

Praecipue tamen est spirituale et ad spiritualia pertinens.

Verumtamen eiusmodi regnum praecipuo quodam modo et spirituale esse et ad spiritualia pertinere, cum ea, quae ex Bibliis supra protulimus, verba planissime ostendant, tum Christus Dominus sua agendi ratione confirmat. Siquidem, non una data occasione, cum Iudaei, immo vel ipsi Apostoli, per errorem censerent, fore ut Messias populum in libertatem vindicaret regnumque Israel restitueret, vanam ipse opinionem ac spem adimere et convellere; rex a circumfusa admirantium multitudine renuntiandus, et nomen et honorem fugiendo latendoque detrectare; coram Praeside romano edicere, regnum suum *de hoc mundo* non esse. Quod quidem regnum tale in evangeliis proponitur, in quod homines poenitentiam agendo ingredi parent, ingredi vero nequeant nisi per fidem et baptismum, qui, etsi est ritus externus, interiorem tamen regenerationem significat atque efficit; opponitur unice regno Satanae et potestati tenebrarum, et ab asseclis postulat, non solum ut, abalienato a divitiis rebusque terrenis animo, morum praeferant lenitatem et esuriant sitiantque iustitiam, sed etiam ut semet ipsos abnegent et crucem suam tollant. Cum autem Christus et Ecclesiam Redemptor sanguine suo acquisiverit et Sacerdos se ipse pro peccatis hostiam obtulerit perpetuoque offerat, cui non videatur regium ipsum munus utriusque illius naturam muneris induere ac participare? Turpiter, ceteroquin, erret, qui a Christo homine rerum civilium quarumlibet imperium abiudicet, cum is a Patre ius in res creatas absolutissimum sic obtineat, ut omnia in suo arbitrio sint posita. At tamen, quoad in terris vitam traduxit, ab eiusmodi dominatu exercendo se prorsus abstinuit, atque, ut humanarum rerum possessionem procurationemque olim contempsit, ita eas possessoribus et tum permisit et hodie permittit. In quo perbelle illud: *Non eripit mortalia, qui regna dat caelestia*. (2) Itaque principatus Redemptoris nostri universos complectitur homines; quam ad rem verba immortalis memoriae decessoris Nostri Leonis XIII Nostra libenter facimus:

Rerum civilium imperio, quod habebat, non est usus.

Principatuss omnes homine complectitur;

(1) Io., V, 22.
(2) Hymn. *Crudelis Herodes*, in off. Epiph.

« Videlicet imperium eius non est tantummodo in gentes catholici nominis, aut in eos solum, qui, sacro baptismate abluti, utique ad Ecclesiam, si spectetur ius, pertinent, quamvis vel error opinionum devios agat, vel dissensio a caritate seiungat: sed complectitur etiam quotquot numerantur christianae fidei expertes, ita ut verissime in potestate Iesu Christi sit universitas generis humani ». (1) Nec quicquam inter singulos hac in re et convictiones domesticas civilesque interest, quia homines societate coniuncti nihilo sunt minus in potestate Christi quam singuli. Idem profecto fons privatae ac communis salutis: *Et non est in alio aliquo salus, nec aliud nomen est sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri;* (2) idem et singulis civibus et rei publicae prosperitatis auctor germanaeque beatitatis: *Non enim aliunde beata civitas, aliunde homo; cum aliunde civitas non sit, quam concors hominum multitudo.* (3) Nationum igitur rectores imperio Christi publicum reverentiae obtemperationisque officium per se ipsi et per populum praestare ne recusent, si quidem velint, sua incolumi auctoritate, patriae provehere atque augere fortunam. Namquae, Pontificatus initio, de valde imminuta iuris auctoritate verecundiaque potestatis scribebamus, ea ad praesens tempus haud minus apta dixeris ac congruentia: « Deo et Iesu Christo — ita conquerebamur — a legibus et re publica submoto, iam non a Deo derivata sed ab hominibus auctoritate, factum est, ut.. ipsa auctoritatis fundamenta convellerentur, principe sublatâ causa, cur aliis ius esset imperandi, aliis autem officium parendi. Ex quo totam oportuit concuti societatem humanam, nullo iam solido fultam columine et praesidio ». (4)

omnes singulos et etiam societates domesticas ac civiles.

Agnitio istius imperii fuerit maxime beneficia civitatibus.

Itaque, si quando regiam Christi potestatem homines privatim publiceque agnoverint, incredibilia iam beneficia, ut iustae libertatis, ut disciplinae et tranquillitatis, ut concordiae et pacis, civilem consortionem pervadere omnem necesse est. Regia enim Domini nostri dignitas, quemadmodum humanam principum ac moderatorum auctoritatem religione quadam imbuit, sic civium officia atque obtemperationem nobilitat. Quamobrem Apostolus Paulus, licet uxoribus et servis praeciperet, ut in viro suo, ut in suo domino Christum vererentur, monuit tamen, ut non iis tamquam hominibus obedirent, sed unice

Confirmando religione auctoritatem,

nobilitando oboedientiam ;

(1) Enc. *Annum Sacrum*, d. 25 maii 1899.
(2) *Act.*, IV, 12.
(3) S. AUG., *Ep. ad Macedonium*, c. III.
(4) Enc. *Urbi arcano*.

quia Christi gererent vicem, cum homines a Christo redemptos dedeceret hominibus servire: *Pretio empti estis, nolite fieri servi hominum.* (1) Quodsi principibus et magistratibus legitime delectis persuasum erit, se, non tam iure suo, quam divini Regis mandato ac loco imperare, nemo non videt, quam sancte sapienterque auctoritate sua usuri sint et qualem in legibus ferendis urgendisque rationem communis boni et humanae inferiorum dignitatis sint habituri. Hinc tranquillitas ordinis profecto efflorescet ac stabit, quavis seditionis causa remota: quod enim in principe ceterisque rei publicae gubernatoribus civis homines spectaverit sibi natura pares aut aliqua de causa indignos ac vituperabiles, non idcirco eorum recusabit imperium, quando in iis ipsis propositam sibi Christi Dei et Hominis imaginem auctoritatemque intuebitur. Ad concordiae autem pacisque munera quod attinet, liquet omnino, quo latius regnum producitur atque ad universitatem humani generis pertinet, eo magis mortales sibi eius communionis conscios fieri, qua inter se copulantur: quae quidem conscientia, cum frequentes conflictiones praevertat ac praeoccupet, tum earundem asperitatem omnium permulcet ac minuit. Eccur, si Christi regnum omnes, ut iure complectitur, sic reapse complectatur, de ea pace desperemus, quam Rex pacificus in terras intulit, ille, inquimus, qui venit *reconciliare omnia*, qui *non venit ut ministraretur ei, sed ut ministraret*, et, cum esset *Dominus omnium*, humilitatis et se praebuit exemplum et legem statuit praecipuam cum caritatis praecepto coniunctam; qui praeterea dixit: *Iugum meum suave est et onus meum leve?* O qua frui liceret beatitate, si a Christo et singuli homines et familiae et civitates se gubernari sinerent. « Tum denique — ut verbis utamur, quae decessor Noster Leo XIII ante annos quinque ac viginti ad universos sacrorum Antistites adhibuit — licebit sanare tot vulnera, tum ius omne in pristinae auctoritatis spem revirescet, et restituentur ornamenta pacis, atque excident gladii fluentque arma de manibus, cum Christi imperium omnes accipient libentes eique parebunt, atque omnis lingua confitebitur quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris ». (2)

Iamvero, quo optatissimae eiusmodi utilitates uberius percipiantur et in societate christiana stabilius insideant, cum regiae Salvatoris nostri dignitatis cognitionem disseminari quam latissime oporteat, ad rem nihil magis profuturum videtur quam

procurando sapientem usum potestatis;

inde tranquillitas ordinis,

augendo, ex conscientia communis regis, concordiam animorum etiam inter gentes:

Quanta felicitate fruerentur omnes!

Utilitas festi peculiaris ad disseminandam regiae Salvatoris nostri dignitatis cognitionem.

(1) I *Cor.*, VII, 23.
(2) Enc. *Annum Sanctum*, d. 25 maii 1899.

si dies festus Christi Regis proprius ac peculiaris instituatur. Etenim in populo rebus fidei imbuendo per easque ad interiora vitae gaudia evehendo longe plus habent efficacitatis annuae sacrorum mysteriorum celebritates quam quaelibet vel gravissima ecclesiastici magisterii documenta; siquidem haec in pauci res eruditioresque viros plerumque cadunt, illae universos fideles percellunt ac docent; haec semel, illae quotannis atque perpetuo, ut ita dicamus, loquuntur; haec mentes potissimum illae et mentes et animos, hominem scilicet totum, salutariter afficiunt. Sane, cum homo animo et corpore constet, debet is exterioribus dierum festorum sollemnibus ita commoveri, atque excitari, ut divinas doctrinas per sacrorum varietatem pulcritudinemque rituum copiosius imbibat, et, in sucum ac sanguinem conversas, sibi ad proficiendum in spirituali vita servire iubeat.

Ita celebritates festorum institutae prout christianae plebis necessitas vel utilitas postulabat:

Est, ceteroqui, litterarum monumentis proditum, celebritates eiusmodi, decursu saeculorum, tum, aliam ex alia, inductas esse, cum id christianae plebis necessitas utilitasve postulare visa est: nempe cum debuit populus aut in communi roborari discrimine aut ab serpentibus haeresum erroribus muniri aut ad recolendum maiore cum studio pietatis aliquod fidei mysterium beneficiumve divinae bonitatis permoveri acrius atque incendi. Itaque, inde a prioribus reparatae salutis aetatibus, cum christiani acerbissime vexarentur, coepti sunt sacris ritibus Martyres commemorari, ut *sollemnitates martyrum* — teste Augustino — *exhortationes* essent *martyriorum;* (1) qui autem sanctis Confessoribus, Virginibus ac Viduis delati postea sunt liturgici honores, ad exacuenda in christifidelibus virtutum studia, vel quietis temporibus necessaria, mirifice ii valuerunt. At potissimum quae in Beatissimae Virginis honorem institutae sunt festorum celebritates, effecere illae quidem, ut populus christianus non modo Dei Genetricem, praesentissimamque Patronam, religiosius coleret, sed etiam Matrem sibi a Redemptore quasi testamento relictam amaret ardentius. In beneficiis vero a publico legitimoque Deiparae et sanctorum caelitum cultu profectis non postremo illud loco numerandum, quod haeresum errorumque luem Ecclesia a se nullo non tempore depulit invicta. Atque hoc in genere Dei providentissimi consilium admiremur, qui, cum ex ipso malo bonum elicere soleat, passus identidem est aut fidem pietatemque popularium remittere aut falsas doctrinas veritati catholicae insidiari, eo tamen

festa martyrum,

confessorum, virginum ac viduarum;

ac potissimum festa B. M. V.

(1) Sermo 47, *De Sanctis.*

exitu, ut haec novo quodam splendore colluceret, illa autem e veterno experrecta ad maiora ac sanctiora contenderet. Nec dissimilem profecto duxere ortum nec fructus peperere dissimiles quae in annuum liturgiae cursum recepta sunt, minus remotis aetatibus, sollemnia: ut, cum Augusti Sacramenti reverentia et cultus deferbuisset, institutum Corporis Christi festum, ita peragendum, ut magnificus pomparum apparatus et supplicationes in octo dies productae populos ad Dominum publice adorandum revocarent; ut Sacratissimi Cordis Iesu celebritas tum inducta, cum, lansenistarum tristitia ac morosa severitate debilitati atque abiecti, animi hominum frigerent penitus et a Dei caritate fiduciaque salutis absterrerentur.

festum Corporis Domini;

SS. Cordis.

Iam si Christum Regem ab universitate catholici nominis coli iusserimus, eo ipso et horum temporum necessitati prospecturi et pesti, quae societatem hominum infecit, praecipuum quoddam remedium adhibituri sumus. Pestem dicimus aetatis nostrae laicismum, quem vocant, eiusdemque errores et nefarios conatus: quod quidem scelus, Venerabiles Fratres, nostis non uno maturuisse die cum iam pridem in visceribus civitatum lateret. Christi enim in omnes gentes imperium negari coeptum; negatum, quod ex ipso Christi iure exsistit, ius Ecclesiae docendi humanum genus, ferendi lèges, regundi populos, ad aeternam utique beatitatem perducendos. Tum vero paulatim Christi religio aequari cum falsis in eodemque genere, prorsus indecore, poni; deinceps civili potestati subiici arbitrioque principum ac magistratuum fere permitti; ulterius ii progredi, qui naturalem quandam religionem, naturalem quendam animi motum pro divina religione substitui oportere cogitarent. Nec civitates defuere, quae censerent, posse se Deo carere et religionem suam in impietate neglegentiaque Dei esse positam. Acerbissimos sane, quos eiusmodi a Christo et singulorum civium et civitatum defectio tulit tam frequenter tamque diu, fructus in Litteris Encyclicis *Urbi arcano* conquesti equidem sumus iterumque hodie conquerimur: scilicet sata ubique discordiarum semina easque invidiae flammas simulatesque inter populos conflatas, quae tantam adhuc reconciliandae paci moram inferunt; cupiditatum intemperantiam, quae haud raro specie publici boni caritatisque patriae obteguntur, atque inde profecta, cum civium discidia, tum caecum illum et immodicum sui amorem, qui cum nihil aliud, nisi privata commoda et emolumenta, spectet, hisce prorsus omnia metitur; eversam funditus officiorum oblivione ac neglegentia domesticam pacem; familiae communionem stabilitatemque labefactatam; concussam

Institutio festi Christi Regis suadetur temporum necessitate et impugnanda peste laicismi.

Is variis stadis invaluit.

Mala exorta ex ista peste.

denique atque in interitum actam hominum societatem. Quae futurum ut ad amantissimum Salvatorem redire auspicato properet, agenda posthac annua Christi Regis celebritas spem Nobis optimam commovet. Catholicorum utique foret, hunc actione operaque sua maturare ac celerare reditum; verum ex iis bene multi nec eum videntur in convictu, ut aiunt, sociali obtinere locum nec ea valere auctoritate, quibus carere eos dedecet qui facem praeferunt veritatis. Id fortasse incommodi bonorum est lentitudini vel timiditati tribuendum, qui ab repugnando se abstinent vel mollius obsistunt; unde adversarios Ecclesiae necesse est maiorem capere temeritatem atque audaciam. At si quidem fideles vulgo intellegant, sibi sub signis Christi Regis et fortiter et perpetuo militandum esse, iam, concepto apostolatus igne, abalienatos rudesve animos Domino suo reconciliare studeant eiusque iura tueri incolumia nitantur.

Deploranda quoque timiditas catholicorum atque imminuta actio.

Conscii de militia agenda sub signis Christi Regis igne apostolatus comprehendentur.

Atque praeterea nonne publicae eiusmodi defectioni, quam laicismus cum tanto societatis detrimento genuit, accusandae et aliquo pacto resarciendae celebrata ubique gentium quotannis Christi Regis sollemnia summopere conducere videntur? Etenim quo indigniore suavissimum Redemptoris nostri nomen in conventibus inter nationes habendis et in Curiis silentio premitur, eo altius illud conclamari et regiae Christi dignitatis potestatisque iura latius affirmari oportet.

Decet quoque festiva solemnitate compensare iniquum silentium de Christo servatum in Vita publica.

Quid quod ad hanc diei festi celebritatem instituendam, inde ab exeunte superiore saeculo, viam feliciter egregieque munitam esse conspicimus? Nemo enim ignorat, quam sapienter luculenterque is vindicatus sit cultus plurimis, qua late orbis terrarum patet, editis magna linguarum varietate libris; itemque Christi principatum et imperium pia illa agnitum esse consuetudine inducta, ut paene innumerabiles familiae se Sacratissimo Cordi Iesu dedicarent ac dederent. Verum non modo familiae id prestitere, sed civitates quoque et regna: immo ipsa universitas generis humani, Leone XIII auctore ac duce, eidem divino Cordi, Anno Sancto millesimo nongentesimo vertente, consecrata auspicato est Neque illud silentio praetereundum, regiae huic Christi in consortionem humanam potestati sollemniter affirmandae mirum in modum profuisse frequentissimos Eucharisticos Conventus aetate nostra cogi solitos, eo nimirum spectantes, ut vel singularum dioecesium et regionum et nationum vel universi orbis populi, ad Christum Regem sub Eucharisticis velis delitescentem venerandum colendumque convocati, per habitas in coetibus inque templis contiones, per communem Augusti Sacramenti publice propositi adorationem,

Festum est ab exeunte superiore saeculo praeparatum scriptis libris et consecrationibus et congressibus eucharisticis.

per magnificas pompas, Christum sibi Regem divinitus datum consalutent. Iure meritoque dixeris, christianam plebem, divino quodam instinctu actam, Iesum illum, quem impii homines, in sua cum venisset, recipere noluerunt, e sacrarum aedium silentio ac veluti latebra triumphantis more per vias urbium eductum, in regalia omnia iura velle restituere.

Annus sanctus dat opportunitatem temporis, sicut ab initio dictum est.

Iamvero, ad consilium, quod memoravimus, Nostrum perficiendum eam habet Annus Sanctus, qui ad exitum properat, opportunitatem, qua nulla profecto maior videatur, cum fidelium mentes animosque ad bona caelestia, quae exsuperant omnem sensum, evocatos, benignissimus Deus aut gratiae suae dono iterum auxit aut, novis adiectis ad aemulanda charismata meliora stimulis, in recto itinere pergendo confirmavit. Sive igitur tot Nobis adhibitas preces attendimus, sive ea respicimus quae Iubilaei maximi spatio evenere, suppetit profecto unde coniiciamus, diem tandem aliquando, omnibus optatissimum, adesse, quo Christum totius humani generis Regem proprio ac peculiari festo colendum esse pronuntiemus. Hoc enim Anno, ut exordiendo diximus, Rex ille divinus, vere *mirabilis in sanctis suis*, novo militum suorum agmine caelitum honoribus aucto, *gloriose magnificatus est;* hoc item Anno, per inusitatum rerum ac paene laborum conspectum, admirari omnibus licuit partas ab evangelii praeconibus Christo victorias in regno eius proferendo; hoc denique Anno per saecularia Concilii Nicaeni sollemnia vindicatam commemoravimus Verbi Incarnati cum Patre consubstantialitatem, qua eiusdem Christi in omnes populos imperium, tamquam fundamento suo, nititur.

Quare Pontifex festum instituit, eique diem assignat postremum dominicum Octobris; simul praecipit ut illo die renovetur consecratio generis humani SS. Cordi.

Itaque, auctoritate Nostra apostolica, festum D. N. Iesu Christi Regis instituimus, quotannis, postremo mensis Octobris dominico die, qui scilicet Omnium Sanctorum celebritatem proxime antecedit, ubique terrarum agendum. Item praecipimus, ut eo ipso die generis humani Sacratissimo Cordi Iesu dedicatio quotannis renovetur, quam s. m. decessor Noster Pius X singulis annis iterari iusserat; hoc tamen anno dumtaxat, eam die tricesimo primo huius mensis peragi volumus, quo die Nosmet pontificali ritu in honorem Christi Regis sacris operabimur et coram Nobis eandem fieri consecrationem iubebimus. Neque Annum Sanctum posse Nos melius aptiusque concludere videmur, nec Christo *Regi saeculorum immortali* ampliorem exhibere grati animi Nostri significationem — in quo gratas quoque totius catholici orbis voluntates interpretamur — ob beneficia tempore hoc sacro in Nos, in Ecclesiam universumque catholicum nomen collata.

Cur festum separetur ab aliis quae similia videntur; et cur dominicus dies electus sit, et postremus dominicus Octobris

Neque est cur vos, Venerabiles Fratres, diu multumque doceamus, qua de causa festum Christi Regis ab reliquis illis distinctum agi decreverimus, in quibus quaedam inesset regiae ipsius dignitatis et significatio et celebratio. Unum enim animadvertere sufficit, quod, quamquam in omnibus Domini nostri festis materiale obiectum, ut aiunt, Christus est, obiectum tamen formale a regia Christi potestate ac nomine omnino secernitur. In diem vero dominicum idcirco indiximus, ut divino Regi non modo clerus litando ac psallendo officia praestaret sua, sed etiam populus, ab usitatis occupationibus vacuus, in spiritu sanctae laetitiae, obedientiae servitutisque suae praeclarum Christo testimonium daret. Visus autem est ad celebrationem longe aptior, quam reliqui, postremus mensis Octobris dominicus dies, quo fere cursus anni liturgici claditur; ita enim fit, ut vitae Iesu Christi mysteria ante per annum commemorata sacris Christi Regis sollemnibus veluti absolvantur et cumulentur, et, ante quam Omnium Sanctorum gloriam celebremus, Illius praedicetur efferaturque gloria, qui in omnibus Sanctis et electis triumphat. Itaque hoc vestrum, Venerabiles Fratres, esto munus, vestrae hae partes sunto, ut annuae celebritati praemittendas curetis, statis diebus, ad populum e singulis paroeciis contiones, quibus is de rei natura, significatione et momento accurate monitus atque eruditus, sic vitam instituat ac componat, ut iis digna sit, qui divini Regis imperio fideliter studioseque obsequuntur.

Munus Antistitum curandi ut aptis contionibus festum fiat vere populare.

Speratae ex festo utilitates:

Placet interea vobis, Venerabiles Fratres, in extremis hisce Litteris breviter declarare, quas demum publico ex hoc Christi Regis cultu utilitates, cum in Ecclesiae et civilis societatis, tum in singulorum fidelium bonum, Nobis spondeamus ac polliceamur.

1. Inculcata natura Ecclesiae societatis perfectae, plene immunis a civili potestate; et consequenter etiam libertas praestanda professoribus sanctitatis evangelicae, i. e. religiosis.

Hisce profecto honoribus dominico principatui deferendis in memoriam hominum redigi necesse est, Ecclesiam, utpote quae a Christo perfecta societas constituta sit, nativo sane iure, quod abdicare nequit, plenam libertatem immunitatemque a civili potestate exposcere, eandemque, in obeundo munere sibi commisso divinitus docendi, regundi et ad aeternam perducendi beatitatem eos universos qui e regno Christi sunt, ex alieno arbitrio pendere non posse. Immo haud dissimilem debet praeterea respublica libertatem iis praestare religiosorum utriusque sexus Ordinibus ac Sodalitatibus, qui, cum adiutores Ecclesiae Pastoribus adsint validissimi, tum in regno Christi provehendo stabiliendove quam maxime elaborant, sive tripli-

cem mundi concupiscentiam sacrorum religione votorum oppugnantes, sive ipsa perfectioris vitae professione efficientes, ut sanctitas illa, quam divinus Conditor insignitam Ecclesiae notam esse iussit, perpetuo auctoque in dies splendore ante oculos omnium emicet et colluceat.

2. Monitio facta civitotibus ut Christo pareant, et Eum ut iudicem timeant.

Civitates autem ipsa diei festi celebratio, annuo renovata orbe, monebit, officio Christum publice colendi eique parendi, ut privatos, sic magistratus gubernatoresque teneri; hos vero revocabit ad extremi illius iudicii cogitationem, in quo Christus non modo de publica re eiectus, sed etiam per contemptum neglectus ignoratusve, acerrime tantas ulciscetur iniurias, cum regia eius dignitas id postulet, ut respublica universa ad divina mandata et christiana principia componatur cum in legibus ferendis, tum in iure dicendo, tum etiam in adulescentium animis ad sanam doctrinam integritatemque morum conformandis.

3. Efficax hortatio ut fideles vere Christum in vita sua regnare sinant.

At praeterea mirum quantum haurire vis atque virtutis ex harum commentatione rerum christifidelibus licebit, ut animos suos ad germanum christianae vitae institutum effingant. Nam si Christo Domino data est omnis potestas in caelo et in terra; si mortales, pretiosissimo eius sanguine empti, novo quodam iure ipsius dicioni subiiciuntur; si denique potestas eiusmodi humanam naturam complectitur totam, clare intellegitur, nullam in nobis facultatem inesse, quae e tanto imperio eximatur. Regnare igitur illum oportet in hominis mente, cuius est, perfecta sui demissione, revelatis veritatibus et Christi doctrinis firmiter costanterque assentiri; regnare in voluntate, cuius est divinis legibus praeceptisque obsequi; regnare in animo, cuius est, naturalibus appetitionibus posthabitis, Deum super omnia diligere eique uni adhaerere; regnare in corpore eiusque membris, quae tamquam instrumenta vel, ut Apostoli Pauli verbis utamur (1), tamquam *arma iustitiae Deo*, interiori animarum sanctitati servire debent. Quae quidem omnia si christifidelibus penitus inspicienda ac consideranda proponantur, multo iidem facilius ad perfectissima quaeque traducentur. Fiat utinam, Venerabiles Fratres, ut suave Christi iugum et externi ad salutem suam appetant atque accipiant, et omnes, quotquot, misericordi Dei consilio, domestici sumus, non gravate, sed cupide, sed amanter, sed sancte feramus: vitâ autem nostrâ ad regni divini leges compositâ, laetissimam bonorum fructuum copiam percipiamus, et, servi boni ac fideles a Chris-

Votum Pontificis.

(1) *Rom.*, VI, 13.

to habiti, in caelesti eius regno sempiternae cum ipso efficiamur beatitatis gloriaeque compotes.

Benedictio. Sit quidem hoc omen et votum Nostrae erga vos, Venerabiles Fratres, paternae caritatis, adventante D. N. Iesu Christi Natali die, documentum: et divinorum munerum conciliatricem accipite apostolicam benedictionem, quam vobis, Venerabiles Fratres, et clero populoque vestro peramanter impertimus.

Dies (11 dec. 1925). Datum Romae apud Sanctum Petrum die XI mensis Decembris anno Sacro MDCCCCXXV, Pontificatus Nostri quarto.

PIUS PP. XI

ANNOTATIONES

I. Consilium S. Pontificis obtinendi ut per festum *Christi Regis* animis pellantur errores isti qui modernam *laicismi* pestem genuerunt, non uno indicio proditur. Huc spectant:

a) Ipsa sollemnitas festi quod, ut constat ex decreto S. Rituum Congregationis 12 dec. 1925, non solum ritu duplici primae classis celebrari voluit sed simul *festum primarium* Domini Nostri Iesu Christi esse iussit; quodque etiam officio omnino proprio, propria missa cum propria praefatione dotavit;

b) Sollemnis renovatio consecrationis generis humani SS. Cordi Iesu, quae a PIO X pro festo annuo SS. Cordis Iesu imperata, nunc in sollemnitatem Christi Regis transfertur;

c) Hortatio facta ad Antistites ut significationem istius novi festi per populum sibi commissum late divulgare satagant.

II. Ista pestis *laicismi* dici potest consummatio apostasiae publicae ab Ecclesia, a Christo, ab ipso Deo; et professio atheismi in Legibus, in Parlamentis, in Curiis, in omnibus publicis institutis, in ipsa institutione puerorum, adolescentium et iuvenum.

Huc paulatim adductae sunt civitates Europae, ex quo Protestantismus saeculi XVI rem publicam christianam labefactavit. Tunc, negata suprema potes-

tate Ecclesiae, principibus permissum est ut rem religiosam ipsi ordinarent, ita ut aliquamdiu in Germania tyrannicum principium promulgatum sit: *cuius regio, illius religio*; mox, ita statuente politica auctoritate, tres, ut dicebatur, confessiones religiosae eodem regimine publico, eadem libertate et protectione donatae sunt; ab aequalitate variarum religionum deventum est ad aequiperandam religionem et infidelitatem; a negato supernaturalis ordinis beneficio perventum est ad contemnendam etiam religionem naturalem, qua, per aliquod tempus, se contentos esse praedicabant. Tum repudiata est omnis socialis manifestatio religiosa, ut religio ad rationem persuasionis privatae detruderetur; ac bellum indictum est sic dicto « *clericalismo* » quem a religione prius distinguere conati sunt, ut omnis publica auctoritas Ecclesiae ignoraretur vel condemnaretur tamquam iniusta invasio dominii politici, donec tandem personae, mores et res omnes profanarentur, et atheismus in novam religionem Status practice erigeretur.

III. *Festa primaria* sunt festa principaliora Christi vel Sanctorum. Dum eam qualitatem tribuit Festo Christi Regis, S. Pontifex nos docet celebrationem istam in nulla alia hactenus contineri.

Qualitas ista praecipue attendenda est in concurrentiis et occurrentiis cum aliis festis. Ita, quia Festum SS. Cordis non est primarium, ei praefertur festum primarium S. Ioannis Baptistae, si eodem die occurrat. Simile quidpiam festo Christi Regis accidere nequit. Etenim, cum simul sit primarium, Ecclesiae Universalis et dignissimae Personae, omni alii festo Ecclesiae anteponendum est. Numquam igitur in aliam diem erit transferendum. (Cf. HAEGY, C. S. Spir. *Manuel de liturgie et cérémonial selon le rit Romain*, ed. 12, I, p. 84 et 91, note; J. BRAUN, S. I. *Liturgisches Handlexicon*, verbo *Festa*.)

IV. *De sollemni renovatione dedicationis generis humani SS. Cordi Iesu*, observes formulam a LEONE XIII paucis verbis adauctam esse. Etenim, pro sententia: « Rex esto denique eorum omnium qui in vetere gentium superstitione versantur, eosque e tenebris vindicare ne renuas in Dei lumen et regnum » — successit nunc haec altera: « Rex esto eorum omnium, qui in tenebris idololatriae aut Islamismi adhuc versantur, eosque in lumen regnumque tuum vindicare ne renuas. Respice denique misericordiae oculis illius gentis filios, quae tam diu populus electus fuit; et Sanguis qui olim super eos invocatus est, nunc in illos quoque, redemptionis vitaeque lavacrum descendat. »

V. S. Pontifex diserte hortatur ut locorum Ordinarii, quidquid ipse in Encyclicis litteris de Christo Rege colendo dicturus sit « ad popularem intelligentiam et sensum ita *accommodent*, ut decernendam annuam sollemnitatem multiplices excipiant ac sequantur in posterum utilitates ».

Cum tam multi Eminentissimi Cardinales et Praesules institutionem novi festi a Sanctissimo Domino postularint, sane Ipse confidere potest ut haec pauca Eius verba sufficiant ad accendendum zelum, sine quo sperati institutionis fructus non colligerentur.

VI. Restat iam ut brevem ***summam*** demus Litterarum encyclicarum.

Introductio. Tum consilium initio Pontificatus susceptum, tum temporis adiuncta, tum vota Pastorum et populi fidelis movent Pontificem ut instituto Festo de Christo Rege annum sanctum claudat.

Argumentum.

Affirmatio. Christus obtinet regnum *metaphorice* in mente, in voluntate, in corde hominum. — Praeterea, est, ut homo, rex *proprio nomine*.

Probatio. Id demonstrant paginae utriusque Te-

stamenti et sacra Liturgia; demonsrat quoque ratio theologica quae regnum fundatum ostendit in divina filiatione Verbi et redemptione hominum.

Explicatio. *a*) Tamquam Rex, Christus fert leges, iudicat et imperative curat exsecutionem praeceptorum.

b) Regnum quidem istud est maxime spirituale; sed simul habet Christus imperium rerum civilium, permittens tamen principibus terrenis procurationem rerum temporalium.

c) Regnum istud complectitur omnes homines tam singulos quam societate coniunctos, sive haec domestica sive civilis intellegatur.

Beneficia agniti regni Christi. Religione auctoritas principum confirmatur, oboedientia honestatur, prudentior gubernatio inculcatur; tranquillitas ordinis stabilitur, atque, inter homines communi Regi omnium oboedientes, concordia instauratur.

Utilitas festi. Per peculiare festum cognitio regiae Christi dignitatis diffunditur. Quotannis inculcatur quod encyclicae litterae semel tantum docere possunt. Historia demonstrat per opportunas festorum institutiones utilitati populi Christiani consultum esse. Hodie autem festum Christi Regis postulant: necessitas liberandi gentes peste laicismi usque magis invadentis populos cum tanto rerum publicarum detrimento; — deponenda nimia timiditas catholicorum, qui in societate hodierna non explent istas partes ad quas vocati sunt; — compensatio iniuriarum Maiestati divinae tam audaci impietatis conatu inflictarum.

Opportunitas temporis. Ad instituendum festum via munita est per multa scripta, per multas dedicationes privatas et familiarum, per sollemnem consecrationem generis humani Christo; per congressus eucharisticos. Annus quo tot beneficia divinae Munificientiae recolenda sunt melius concludi non possit.

Decretum. Quare Pontifex instituit festum Christi Regis, quotannis celebrandum ultima dominica octobris, cum renovanda tunc consecratione generis humani. — Ratio simul redditur cur separatum festum instituatur et cur dies in fine mensis octobris, et quidem dominicus electus fuerit.

Commendatio facta Antistitibus divulgandi significationem et momentum Festi.

Speratae utilitates: maiore luce manifestata natura Ecclesiae ut est societas perfecta et independens; et consequenter instantius vindicata libertas religiosorum; — documentum traditum societati civili ut Christum honoret et iudicem timeat; — maior sanctitas fidelium supplicantium Christo ut intime in ipsis regnare dignetur.

Optatum Pontificis. **Benedictio.**

50. — SS. P. N. Pii Pp. XI

Bulla "*Servatoris*" 25 dec. 1925

IUBILAEI ANNI 1925 EXTENSIO AD UNIVERSUM ORBEM

(A. A. S. 28 dec. 1925, XVII, 611)

PIUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI UNIVERSIS CHRISTIFIDELIBUS PRAESENTES LITTERAS INSPECTURIS SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Gratiis Deo actis de optimo et fructuosissimo iubilaei praeteriti exitu. Pontifex re ipsa movetur ut, morem secutus decessorum suo-

Servatoris IESU CHRISTI benignitati habemus ex animo gratiam, quod per Annum sacrum, quem usitato heri sollemnissimoque Romanae Ecclesiae ritu conclusimus, et Nobis paene infinitos iucunditatis fructus potiundos permiserit, et ad ingentem mortalium numerum gratiae veniaeque suae divitias misericors protulerit. Etenim ad centena millia, ex quovis civitatum

ordine, fideles vel ex disiunctissimis omnium regionibus in Almam hanc Urbem peregrini convenere: qui quidem advenae non tam civibus romanis, eodem ceteroqui studio sacrae indulgentiae fruendae inflammatis, quam catholico nomini universo et ipsis hominibus ab Ecclesia alienis mirabile fidei pietatisque suae visi sunt praebere spectaculum, voluntatesque praeterea suas cum Apostolica Sede et Nobiscum, arctius, si quidem necesse erat, copulaverunt. Optimo autem fructuosissimoque praeteriti Iubilaei exitu, quem tam crebris flagrantibusque precibus Deo per sacri temporis decursum admotis acceptum referimus, commovemur atque impellimur, ut, more institutoque decessorum Nostrorum, qui patuit Romae ad hesternum usque diem amplissimus veniae thesaurus, eundem universitati fidelium ubique terrarum, proximo anno, patere iubeamus. Hanc sane veniam indulgentiamque ut quam plurimi participent, Venerabiles Fratres Episcopi curent, ut in singulis dioecesis cuiusque suae locis per divini verbi praedicationem, per sacras expeditiones vel spirituales exercitationes ad culpas suas populus deflendas eluendasque permoveatur et ad poenarum remissionem, quae sibi proposita est, impetrandam rite praeparetur: quod ut, in tanta cleri utriusque penuria, commodius fieri possit, a superiore consuetudine Nobis recedendum esse putamus, ex qua Iubilaeum extra Urbem non ultra semestre spatium producebatur. Iidem praeterea Episcopi fideles sibi commissos doceant, ad eandem mentem Nostram, quam in Iubilaeo pro Urbe indicendo aperuimus, idest pro evangelicae fidei propagatione, pro populorum pace et concordia, pro congruenti Ecclesiae catholicae iuribus ordinatione Sanctorum Palaestinae Locorum, eos potissimum orare Nobiscum ipsis oportere.

rum, thesaurum amplissimae veniae universitati fidelium patere iubeat.

Fructus curis episcoporum praeparandi sunt.

Propter cleri penuriam iubilaeum ultra semestre spatium protrahitur.

Mens Pontificis, ad quam orandum est eadem est atque in superioris anni Iubilaeo.

Itaque, auctoritate omnipotentis Dei, beatorum apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, Iubilaeum maximum, quod in hac sacra Urbe celebratum est, ad universum catholicum orbem per has Litteras extendimus et in totum futurum annum prorogamus, ita scilicet ut lucrifieri possit a primis vesperis proximi diei festi Circumcisionis Domini ad plenum diem tricesimum primum mensis Decembris futuri anni MDCCCCXXVI.

Formalis extensio per totum annum 1926.

Quamobrem omnibus utriusque sexus christifidelibus ubique terrarum, extra Urbem huiusque suburbium, exsistentibus, etiamsi anno sacro proxime elapso Iubilaei veniam lucrati iam sint, apostolica auctoritate Nostra largimur, ut plenissimam peccatorum indulgentiam ac remissionem adipisci bis queant, idest primum aut sibi aut animis defunctorum expiandis, secundo autem in horum tantummodo levationem, dummodo rite con-

Extra Urbem eiusque suburbium exsistentibus fidelibus offertur lucrandus bis: secundo tamen in solam levationem animarum defunctorum.

Condiciones.

fessi ac sacra synaxi refecti — quam ad rem confessio annua et Paschalis communio minime suffragabuntur, — intra futurum annum MDCCCCXXVI, ecclesiam loci praecipuam tresque alias ecclesias vel oratoria publica ad hoc designanda, semel in die, per quinque continuos vel seiunctos dies, cum naturales tum ecclesiasticos, ad canonum normam computandos, pie inviserint et ad mentem Nostram supplices Deo preces adhibuerint. Iidem locorum Ordinarii sive per se ipsi sive per vicarios foraneos et parochos aliosve ecclesiasticos viros, quibus hanc potestatem, etiam, si libuerit, per integrum anni spatium utendam, permiserint, designabunt, praeter cathedralem ecclesiam in civitate episcopali et praecipuam in ceteris dioecesis locis, tres alias tam in illa quam in istis a quibusvis fidelibus visitandas: quodsi quattuor alicubi ecclesiae vel oratoria publica desint, Ordinarii, pro suo prudenti arbitrio, aut per se ipsi aut per suos delegatos decernere poterunt, ut in minore aedium sacrarum numero, et vel in una, ubi una tantummodo adest, quattuor illas diurnas visitationes agi liceat.

Designatio ecclesiarum visitandarum permissa Ordinariis.

Mitigatio

Ut autem iis consulamus, qui in peculiari rerum locorumque condicione versentur, haec statuimus quae sequuntur.

1. Concessa constanter navigantibus vel iter facientibus;

I. Qui per annum fere semper navigant iterve faciunt, iis fas esto, cum ad certam se stationem receperint, ibi iubilaeum semel lucrari, ea lege ut, ceteris simul parendo praescriptis, praecipuam loci ecclesiam uno tantummodo die quinquies invisant.

2. commissa Ordinariis per se vel per alios, quod ad impeditos.

II. Ordinarii locorum aut per se ipsi aut per vicarios foraneos, per praelatos regulares quod ad eorum subditos, per parochos vel confessarios in dioecesi adprobatos, quibus huiusmodi fecerint potestatem — vel habitualiter atque extra confessionem exercendam, — possint, si qui impediantur ne imperatas visitationes obeant, harum numerum, pro rerum personarumque necessitate, contrahere et reducere; concedere, ut visitationes, nulla habita unius eiusdemque diei ratione, seiungi pro lubitu queant; cum vero res postulaverit, eas dispensando commutare in alia religionis, pietatis caritatisve opera, ad singulorum condicionem accommodata, quae tamen aliunde non sint sub peccato debita. — Impeditos autem heic intellegi volumus moniales, sorores religiosas, tertiarias regulares, pias feminas et puellas aliasve personas in gynaeceis seu Conservatoriis degentes; item anachoretas monasticum regularemve Ordinem profitentes et potius contemplationi quam actioni vitae deditos, ut Cistercienses Reformatos B. M. V. de

Quinam sint impediti.

Trappa, Eremitas Camaldulenses et Carthusianos; praeterea eos, qui aut captivi sunt aut in carceribus custodiuntur, et ecclesiasticos vel religiosos viros, qui in coenobiis aliisve domibus, emendationis causa, detinentur. Impediti ii quoque censeantur, qui aut domi aut in nosocomiis sive morbo sive imbecilla valetudine laborant, et quotquot aegrotis adsunt, et generatim ii omnes, qui certo impedimento prohibentur quominus statutas visitationes obeant: aequo autem iure esse volumus operarios, quos in Constitutione *Apostolico muneri*, die xxx mensis Iulii superiore anno data, descripsimus, et senes qui septuagesimum aetatis annum excesserint.

Quod ad collegiales vel huiusmodi, aut collective ecclesias visitantes;

III. Ordinariis locorum pariter liceat — etiam per delegatos quos supra memoravimus eademque ratione — minorem visitationum numerum praestituere, *a*) conlegiis auctoritate ecclesiastica adprobatis sive clericalibus sive religiosis; *b)* confraternitatibus, piis unionibus, atque iis tantummodo laicorum consociationibus, quarum sit catholica opera provehere; *c*) adulescentibus qui in conlegiis vivunt vel conlegia, institutionis educationisque gratia, aut cotidie aut statis diebus celebrant; *d*) christifidelibus omnibus, qui, duce parocho, vel sacerdote quem parochus delegarit, visitationes peracturi sunt. — Ea tamen lege Ordinarii visitationum minuant numerum, ut hi omnes, quos nominavimus, pompa instituta, etiam sine suis insignibus, ad invisendas aedes sacras incedant.

Vel, ubi plus fieri nequeat, sollemniter communiterque intra saepta.

IV. Ubicumque autem, quavis de causa, ita incedendi per publicas vias copia non erit, Ordinario loci eiusve delegatis liceat, ut supra, visitationum numerum contrahere et reducere, modo intra aedis sacrae saepta aut pompa ducatur aut saltem visitatio sollemniter communiterque fiat ab omnibus ibi una congregatis. Ordinarius autem loci eiusve delegati ab obligatione confessionis et sanctae Communionis nullum alium exsolvant, nisi quem ab alterutra gravis morbus prohibeat.

Facultates confessariorum.

Ad facultates quod attinet, confessariis, ceteroquin ad iuris normam adprobatis, tribuendas, quas in excipienda iubilaei confessione salutariter adhibeant haec, quae sequuntur, decernimus.

Conservatis facultatibus aliae cumulate exerceri possunt cum iis qui sincera lucrandae indulgentiae intentione confiteantur.

I. Confessariis illae integrae sunto facultates absolvendi, dispensandi, commutandi, quascumque ab hac Apostolica Sede vel in perpetuum vel ad tempus, quoquo pacto, legitime impetrarint; immo simul cumulateque, ad iuris praescriptum, et pluries pro eodem poenitente sive iis omnibus sive his, quae mox concessuri sumus, uti valide et licite possint. Qualicumque autem

poenitens, cum confessionem iubilaei sincera lucrandae indulgentiae intentione instituit, absolutione, dispensatione, commutatione donatus erit, si postea, mutata voluntate, a complendis reliquis praescriptis operibus destiterit, eadem non idcirco irrita erit.

Electio confessarii semel permissa monialibus et religiosis Sororibus.

II. Monialibus aliisque feminis, quarum ad confessiones excipiendas, ex Codicis praescripto, specialis Ordinarii adprobatio requiritur, fas esto hanc dumtaxat iubilaei confessionem apud quemvis confessarium ab eodem loci Ordinario pro utroque sexu adprobatum peragere: qua semel completa, iam nulla confessarius iste in eandem poenitentem iurisdictione gaudeat, nisi ad Codicis leges.

Potestas data in reservata.

III. Confessarius eos omnes, pro quibus ab Ordinario loci vel a Nobis adprobatus sit, in confessione iubilaei excipienda, absolvere possit, in foro sacramentali tantum, a quavis censura a iure vel ab homine inflicta, occulta vel publica, aut ab Ordinario sibi reservata aut a iure Apostolicae Sedi simpliciter specialive modo vel Ordinariis reservata: itemque a quovis peccato, utcumque gravi et Ordinariis vel S. Sedi reservato; iniuncta tamen salutari poenitentia aliisque de iure iniungendis. — A nulla ex censuris Apostolicae Sedi specialissimo modo reservat's absolvere queat, praeterquam a crimine absolutionis complicis a peccato turpi non plus semel vel bis attentatae. At confessario poenitenti praecipiat, *a*) ut complicem, si forte ad confitendum redierit, moneat cum de absolutionis a se impertitae invaliditate, tum de eiusmodi confessionibus apud alium confessarium iurisdictione munitum necessario iterandis; *b*) ut, occasione relapsus remota, abstineat se in posterum ab audienda complicis confessione, etsi a peccato complicitatis alias absoluti, quoad sine scandali et infamiae periculo fieri poterit. — Confessarius si quem a censura publica vel ab homine inflicta in foro sacramentali tantum absolverit, eum iubeat in foro externo se gerere ad praescriptum can. 2251; caveat autem confessarius ne quemquam publica censura irretitum in foro conscientiae Deo reconciliet, nisi is paratus sit intra sex menses Ecclesiae satisfacere et scandalum damnumque reparare.

Non tamen in specialissime reservata, si absolutionem complicis non plus semel vel bis attentatam excipias.

Quid de censura publica aut ab homine inflicta.

Excipiuntur duo alii casus et quaedam personae.

IV. Confessarius ne in foro quidem interno, nisi ad praescriptum can. 2254, eos absolvat, qui, aut in censuram aliquam incurrerint a Pio X per Constitutionem *Vacante Sede Apostolica* Romano Pontifici reservatam, aut secretum S. Officii alterumve simile violaverint; itemque praelatos cleri saecularis ordinaria iurisdictione in foro externo praeditos superioresque maiores

religionis exemptae, qui in censuram Romano Pontifici speciali modo reservatam publice inciderint.

Quid de haereticis et sectartis?

V. Haeretici, praesertim qui fuerint publice dogmatizantes, ne absolvantur, nisi, abiurata saltem coram ipso confessario haeresi, scandalum, ut par est, reparaverint. Similiter quicumque sectis massonicis aliisque id genus vetitis notorie adscripti sint, ne absolvantur, nisi praemissa coram confessario abiuratione aliisque servatis de iure servandis, a secta recesserint et scandalum, quantum licuerit, removerint.

De iis qui sine venia bona vel iura ecclesiastica acquisierint.

VI. Qui bona vel iura ecclesiastica sine venia acquisiverint, iis ne impertiatur absolutio, nisi Ecclesiae satisfecerint vel saltem sincere promiserint se quam primum satisfacturos.

De reo falso denunciantis sollecitantem.

VII. Qui falsam sollicitationis denuntiationem admiserit, is ne absolvatur, nisi aut eam formaliter retractaverit, aut saltem ad eam quamprimum retractandam atque ad sarcienda calumniae damna serio paratum se praebeat.

De Votis.

VIII. Confessarius in ipsa tantummodo iubilaei confessione, ex iusta et probabili causa, omnia et singula vota privata, etiam Sedi Apostolicae reservata, iurata quoque, in alia pia opera dispensando commutare possit. Votum autem castitatis perfectae et perpetuae, etiamsi ab origine publice emissum sit in professione religiosa — neutiquam, contra, si poenitens fuerit in Ordine sacro lege caelibatus adstrictus, — subinde tamen, aliis eius professionis votis per dispensationem sublatis, firmum atque integrum manserit, similiter possit, ex iusta et probabili causa, in alia pia opera dispensando commutare. Votum vero a tertio acceptatum ne remittat neve commutet, nisi is, cuius interest, libenter expresseque consenserit. Votum denique non peccandi aliave poenalia vota ne commutet nisi in opus, quod, non minus quam ipsum votum, a peccando refrenet.

De irregularitate.

IX. Idem confessarius in excipienda iubilaei confessione dispensare possit, pro solo conscientiae foro, atque ad hoc unice ut poenitens Ordines iam susceptos sine infamiae vel scandali periculo exerceat, a quavis irregularitate ex delicto prorsus occulto; item ab irregularitate ex homicidio voluntario aut abortu, de qua in can. 985 § 4°; sed in hoc homicidii voluntarii et abortus casu, poenitenti onus imponat, sub poena reincidentiae, recurrendi intra mensem ad S. Poenitentiariam et standi eius mandatis.

De impedimentis matrimonialibus.

X. Similiter in solo foro conscientiae et sacramentali liceat confessario dispensare: *a*) ab impedimento prorsus occulto consanguinitatis in tertio vel secundo gradu collaterali, etiam attingente primum, quod ex generatione illicita proveniat, solum-

modo ad matrimonium convalidandum, imperata tamen consensus ad iuris normam renovatione, minime vero ad contrahendum vel in radice sanandum; *b*) ab occulto criminis impedimento — neutro tamen machinante — sive de matrimonio contracto agatur sive de contrahendo; iniuncta, in primo casu, privata renovatione consensus, secundum canonem 1135; imposita, in utroque, gravi diuturnaque salutari poenitentia.

Clausulae. Itaque haec omnia, quae per has Litteras constituimus ac declaravimus, volumus firma et valida exsistere et fore, ad effectum iubilaei ad universum catholicum orbem proferendi, non obstantibus contrariis quibuslibet. Earum autem exemplis atque excerptis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate constituti munitis, eandem iubemus adhiberi fidem, quae hisce adhiberetur Litteris, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli igitur liceat paginam hanc Nostrae concessionis et voluntatis et declarationis infringere vel ei, ausu temerario, contra ire. Quod si quis attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Dies (25 dec. 1925). Datum Romae apud Sanctum Petrum die xxv mensis Decembris, in festo Nativitatis D. N. Iesu Christi, anno MCMXXV, Pontificatus Nostri quarto.

O. Card. CAGIANO,
S. R. E. Cancellarius.

A. Card. FRUHWIRTH,
Poenitentiarius Maior.

IOANNES ZANI-CAPRELLI, *Protonotarius Apostolicus.*
DOMINICUS SPOLVERINI, *Protonotarius Apostolicus.*

Loco ✠ Plumbi.

Reg. in Canc. Ap. vol. XXXIII, n. 4.

N. R. Pro annotationibus seu commentariis, videas Dissertationem supra in priore parte, p. (125) et ss.

51. — SS. P. N. Pii Pp. XI

Allocutio in secreto Consistorio 14 dec. 1925

(A. A. S. 28 dec. 1925, XVII, 633)

N. B. *Allocutio ista, quae vere de Urbe et Orbe dici potest, tanti nobis visa est momenti, ut eam plene in his Periodicis exscribendam esse putaverimus.*

VENERABILES FRATRES

Laetitia et gratus Deo animus de successu anni sancti.

Iam annus, ob lubilaei tertii ac vicesimi celebrationem sacer, ad exitum properat: miramque illam Nobiscum reputantes continuationem seriemque rerum et eventorum, quibus Nostrum fuit cotidie non interesse solum sed praeesse, quamvis aliorum tot filiorum absentia aliaeque vel acerbiores cogitationes Nostram animi temperent iucunditatem, facere non possumus, quin magno, supra quam verbis consequi et exprimere licet, gaudio perfundamur. Superant autem hoc gaudium in Nobis sensus grati animi erga omnium bonorum omnisque doni perfecti datorem Deum Dominum nostrum, tum erga eos universos, qui, paternis obsecuti invitamentis optatisque Nostris, effecerunt, ut tam prosperum tamque multiformem res successum haberet. Multiformem, inquimus, quandoquidem, si impetranda animorum expiatio principem, hoc temporis sacri decursu, locum obtinuit, providentissimum Dei numen cum lubilaeo maximo talia coniunxit, quae gravitatem ac splendorem, ut ab eo mutuata sunt, sic eidem sine ulla dubitatione contulere: intellegi volumus cum honores beatorum sanctorumque caelitum praestantissimis virtutum laude viris feminisque decretos, tum etiam res sacrarum Missionum publice ad spectandum exhibitas, tum denique ob sextum decimum a Synodo Nicaena plenum saeculum instaurata in hac Alma Urbe et paene ubique gentium sollemnia.

Pontifex facta recordatur,

praecipue decretos honores Beatorum et Sanctorum,

Nobis enim felicitate quadam contigit, ut hoc anno, qui, ut Sanctus appellari consueverat, ita suo ipse nomine fideles omnes ad haurienda vocabat *e fontibus Salvatoris* multiplicia sanctitatis dona, quae tam copiosa iis largitate praeberentur, catholico nomini sive colendos imitandosque sive deprecatores apud Deum adhibendos tot proponeremus tamque variae sanctitudinis heroas, quot, divinae benignitatis consilio, longe plu-

res solito, in beatis sanctisque caelitibus numerare licuit, ab S. Teresia ab Infante Iesu ad S. Petrum Canisium Ecclesiae Doctorem, a beato Antonio M. Gianelli ad beatum Petrum Iulianum Eymard. Quod cum fecimus, huc praeterea spectavimus, ut filii Nostri omnes et recolerent et clare perspicerent et sentirent acrius quam sit iucunditatis solaciique plenum illud fidei nostrae caput de Communione Sanctorum, quo quidem docemur, in unitate corporis mystici Iesu Christi et in maximis gratiae me itorumque thesauris, qui eo ipso continentur, fontes profecto inveniri, unde Annus Sacer tam abunde eam remissionis veniaeque haurit facultatem, qua christianus populus et lustratur et ad assequendam vitae sanctimoniam mirifice utitur.

Spirituales quidem eiusmodi thesauri ille ante omnes aestimare potest quanti sint, qui aut eos participat aut penitus ipsos considerat; praeterea vero earundem gratiarum pretium et christianae vitae humanitatisque beneficia numquam fortasse magis apparent, quam cum cernimus quam misere infeliciterque se habeant quotquot iis destituuntur, et comperimus una simul quam magnum, quam laboriosum et mirabile sit facinus eos evangelicâ doctrinâ excolere atque expolire.

expositionem Missionariam;

Utramque profecto rem Expositio Missionaria, quam vocant, planam quoquo pacto fecit atque ante oculos eorum posuit, qui undique peregrini in Urbem confluxere, ut lubilaei maximi veniam indulgentiamque adipiscerentur. Ea enim quantum valeret Expositio, habita non modo ratione evangelii et Regni D. N. Iesu Christi, cum animarum salute, proferendi latius — quod quidem maius digniusque est — sed etiam utilitatis, quae inde ad civilem cultum et ad disciplinarum profectum accederet, mirabundi sane agnoverunt et professi amplissime sunt omnes ex quavis orbis natione, qui tantam rerum dispositam copiam inviserant. Quos igitur uberes, illud consilii ineuntes, Nobis spondebamus fructus, eos videmur plene assecuti: adspectantibus in quasi magno quodam theatro quae quantaque et missionales utriusque sexus et indigenae eorum adiutores gerere consuevissent, summam omnibus admirationem iniectam; homines ad tam ingens, tam sanctum, tam frugiferum opus provehendum impulsos vehementer; excelsis quibusque animis admotos stimulos ad apostolatum eius generis generose fortiterque ineundum; commonstratam per res et facta Ecclesiae universitatem atque unitatem, itemque actionem et fecunditatem, in infidelibus Christo adiungendis perpetuam.

Spem de missionibus conceptam;

Fatemur equidem, ex hoc sacrarum Missionum conspectu, ut facile est et successus habitos et copiosos salutis fructus ab

apostolicis operariis perceptos intellegere, ita id quoque exstare, quantum adhuc nobilissima in hac causa agendum supersit. Verum laetam Nobis spem facit cum Dei gratia, qui amat animas adeo ut suo eas sanguine redemerit, tum catholicorum studiosa voluntas; etenim multiplicari videmus et crebrescere in dies tot pulcherrima et ad sacras expeditiones iuvandas sancte providenterque instituta ab sodalitatibus piisque consociationibus bene multis, quae, in clero populoque excitatae, quemadmodum consiliis cogitationibusque Nostris egregie respondent, ita Nos in pontificalis exercitatione muneris in primis consolantur.

Saecularem commemorationem Concilii Nicaeni;

Huc haud minus opportuna accessit saecularis Nicaenae Synodi commemoratio, quam, ante diem tertium calendas Apriles huius anni, in amplissimo consessu vestro, Venerabiles Fratres, mox agendam nuntiaveramus: cuius quidem commemorationis sollemnia, Servatoris nostri numine atque auxilio, conspirantibus Nobiscum filiorum voluntatibus, in orientis obeuntisque solis partibus, at potissimum in hoc quasi centro catholici nominis, celeberrimo non indigna evaserunt evento, quod Athanasius ille, Nicaeni Concilii, ut ita dicamus, heros, fidei haeresum victricis columnam ac monumentum nuncupavit (1). At vero quid Nobis fieri poterat optatius, quam ut pontificali ritu, coniunctissime cum Venerabilibus ex Oriente Fratribus et filiis, sacris iis sollemnibus adstaremus, quae ad formam divinae Ioannis Chrysostomi liturgiae, prope Patris ac Doctoris huius magni sepulcrum, in Petriano templo, pluribus et civium romanorum et peregrinorum milibus conferto ac stipato, primum pie sunt magnificeque peracta? Quamquam gaudium Nostrum non ab maerore aliquo seiungebatur, cum subita Nobis Ecclesiaeque morte praereptum doleremus Venerabilem Fratrem Demetrium Cadi, Patriarcham Graecorum Melchitarum Antiochensem, quem ad religiosissimam celebritatem primum invitaveramus; sed ea Nos aliquantum recreavit cogitatio, ipsum a Deo in caelos, ut suarum virtutum recteque factorum praemia referret, vel etiam « ut non videret mala gentis suae », vocatum esse. Splendidissimo autem aptissimoque ad percellendos animos unitatis vere catholicae et romanae spectaculo, quam ipse unitatem mirifice diligebat fovebatque, Nos quidem impellebamur, cum ad impetrandam vehementius desideratissimo Antistiti aeternam beatitatem, tum ad precem illam Chris-

(1) *Ep. ad Afros Episcopos*, *P. G.*, XXIV, 1047; *Ep. ad Epictetum*, l. c., 1051.

ti Pastorum Principis ex animo iterandam: *Fiat unum ovile et unus pastor.*

Multitudinem peregrinorum qui undique advenerunt, personae omnis generis, ut Christum in Vicario suo audirent, atque Ecclesiam Matrem visitarent, reseratis indulgentiae fontibus fruerentur,

Diximus, in Annum Sacrum opportune et auspicato saecularem Nicaenae Synodi natalem incidisse. Etenim cum piacularis annus catholicorum ad celebritatem eiusmodi comparasset animos effecissetque ut sollemni graeci ritus sacro, una eademque fide, uno caritatis aestu coniuncti, tot adessent cum incolis advenae, iidemque ex remotissimis variisque gentibus, quot Petrianum templum, etsi tam amplum, raro admodum vidit, is natalis, — in memoriam omnium redigens propositam ad credendum, quasi per triumphum ex haeresi actum, Verbi Incarnati consubstantialitatem divinamque Christi naturam — cogitationes omnium revocavit ad petram angularem, qua quicquid supra naturam est, nititur, et ad fontem ipsum causamque principem omnium gratiarum et meritorum, omnis reconciliationis et sanctitatis, omnis apostolatus et mirae eius fecunditatis: a Petri apostolatu et illorum, qui legationem ab eo primi accepere, ad apostolatum missionalium, quos Nosmet, qui postremi in Petri locum successimus, bene precando postremos misimus, ut per evangelii nuntium dissitis gentibus salutem afferrent.

Videri potest, Spiritus Dei per orbem catholicum veluti circumvolitando fideles longe lateque diffusos afflatu suo tetigisse: atque inde factum, ut ii Divinum Pastorem ac Redemptorem animarum suarum audirent loquentem et agnoscerent in eius servulo et Vicario, a quo, per indictum sibi annum reconciliationis et gratiae, devocabantur ad romanos fontes, ad Ecclesiam omnium Ecclesiarum Matrem, ad communem Patrem, ut reseratis eo tempore divinae clementiae thesauris fruerentur. Secus haud facilia explicatu sunt ea omnia, quae Nobis per Annum Sanctum, hoc sane dignissimum nomine, cernere licuit, cum in admirationem novam perpetuo raperemur novoque afficeremur solacio.

Etenim singulatim catervatim, terra marique, alii alio vectionis genere, alii, ut veteres romaei, pedibus plurium hebdomadum mensiumve iter facientes, confluxere peregrini undique, qua late orbis terrarum patet, ab ultima Thule ad Bonae Spei Promontorium, ab Scandinavia ad Australiam, ab Canadensibus ad Chilenses regiones. Advenerunt ii quidem ad centena milia, ex omnibus gentibus, linguis et nationibus, ex summis et infimis humanae societatis ordinibus: Episcopi et sacerdotes, optimates et populares, oratores legibus ferendis et viri rei publicae regundae periti, milites et nautae, scriptores et artifices, ma-

gistri et adulescentium educatores, datores operum et operarii, fabricatores et agricolae, venerabiles senes et alacres iuvenes; iuvenes, inquimus, carissimi qui, cum a variis diversisque regionibus in Almam hanc Urbem gregatim coivissent et gregatim heic incederent, festivitatem et robur, studiorum laborisque ardorem, fidem pietatemque suam magnifice prae se ferentes, oculos ad se omnium convertebant. Mutuum vero in exemplum, piae peregrinorum pompae per easdem Urbis vias inter se occurrere, in easdem Basilicas congredi, circa eadem altaria congregare sese; in gravibus sanctissimisque cogitationibus defixi, incensis ad paenitendum et expiandum atque ad singularem pietatem religionemque animis, non terrenas quaerere opes, quibus homines dissociantur, sed spiritualia bona, quibus inter se coniunguntur; una simul orare, unusquisque pro omnibus et pro unoquoque omnes, vel qui paulo ante hostiliter inter se egerant, nunc tamen fraterna iterum necessitudine copulati atque in communis Patris, qui est in caelis, imploratione concordes. Iidem deinde Nos invisebant in hac Nostra domo, immo in sua atque omnium quotquot habemus in universa familia catholica filios; huc sane ad centena, ad milia conveniebant, ut in paternam domum filii, quae iis cotidie perpetua vice succedentibus complebatur, Nobis incredibili quadam renovataque continenter voluptate gestientibus; porrectam autem a Nobis paternam praesentibus dextram, iidem et oblinebant osculis et saepissime lacrimis respergebant. Licuit praeterea pro iis et cum iis ipsis orare, dum sacra mysteria participarent, commonentes semetipsos psalmis, hymnis et canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus suis Deo (1); licuit eorum delectari pietate, cum ab ore Nostro penderent, et benedictionem Nostram, tamquam ipsius Christi, positis genibus acciperent.

atque in paterna domo communem Patrem viderent, Eius dextram osculantur, qui pro ipsis et cum ipsis oraret;

En quot quamque praeclara Nobis gaudia et solacia miserentissimus Deus tempore hoc sacro impertivit, sane eo pluris habenda, quo firmiores dignioresque sunt christianae vitae fructus, quibuscum illa coniunguntur. Revixit scilicet in plerisque operosa fides in rebus quam maxime spiritualibus, ut in anima, ut in misericordiae gratiaeque thesauris, qui possunt uni eam et locupletare et facere aeternae compotem salutis: fides cum de potestate Ecclesiae adspectabilisque eius Capitis in eosdem gratiae veniaeque fontes, tum de Ecclesiae ipsius unitate, universitate et sanctitate, quae quidem insignitae notae

Collectos spirituales fructus;

(1) *Coloss.*, III, 16.

in conspectu orbis terrarum quasi fulgore novo hinc cotidie emicuerunt, ubi Petrus in suo successore superstes apostolicam illius originem demonstrat. Nec fides tantum, sed excitata etiam est apparuitque fraterna ea caritas, quam proprium ac peculiare discipulorum suorum insigne Christus et esse voluit et fore edixit, simulque pietas illa in Romanam Ecclesiam et in communem fidelium omnium Patrem, quae est vinculum et signum unitatis. Qua ex tanta faustitate rerum bona utique, eademque certa, spes oritur, futurum, ut non modo haud parum gloriae Dei animarumque saluti accedat incrementi, sed etiam — addere liceat — multiplicia suppetant adiumenta ad veram pacem in populis atque inter populos provehendam, quam, praeter alia, mens Nostra fuit ut catholici universi, Anno sacro, precibus suis a Domino implorarent.

Conceptam spem de firmanda pace.

Hoc ideo addidimus, quia nulli obscurum putamus, pacem populis restitui facilius aptiusque non posse, quam ipsis Deo reconciliatis; quo in genere divina illa verba Nostra facimus: « misit me praedicare... annum Domini acceptum; (1) ut praedicarem annum placabilem Deo (2) ». Neque minus in comperto est, res et eventa, mirabili profecto congruentiâ, divinitus gubernari; cum Annus sacer populos caritate Christi Ecclesiaeque devinxerit precesque ex iis elicuerit ad pacem Christi in regno Christi assequendam, tum, pactis conventis initis, haud mediocriter eâ incessum est pacificationis viâ, qua incedere oportere Christi Iesu Vicarius, ut communis omnium Pater, et monuit omnes et nulla unquam occasione monere destitit.

Quod ad Apostolicae Sedis condicionem; laudat servatum ordinem publicum;

Haec quidem commemoratu iucunda, atque etiam verissima factisque comprobata; non item illa, quae de huius Apostolicae Sedis condicione a nonnullis nec legitime nec veritati congruenter iactata publice sunt. Omnia fluxerunt, scilicet, hoc anno fauste ac feliciter; et quae ad civilis vitae commoditates pertinent, eo processerunt ordine omnia ac sine ulla paene exceptione, — idque cum multiplices nationem premerent difficultates — ut publicis et officiis et officialibus meritam sane laudem peregrini atque advenae tribuendam esse senserint.

Atque is rerum civilium ordo ne tum quidem defecit, cum nefarium illud tentatum est facinus, cuius ipsa Nos recordatio hodieque perturbat, nisi quod ob superatum Dei beneficio discrimen et dolorem laetitia commutavimus et debitas Deo

(1) Luc., IV, 19.
(2) Is., LXI, 2.

gratias egimus: quod utrumque, vel dolere vel laetari, eo magis Nos decuit, quo Nos celsiore in loco constituti conscientiâ apostolici muneris admonemur « reprobare malum et eligere bonum » (1).

grati animi sensa exprimit pro opera collata, et pro iis quae in religionis Ecclesiaeque bonum gesta sunt et geruntur;

Ii nimirum, quos penes summa rerum erat, satis ostenderunt se sentire quanto premerentur onere officii erga humani generis universitatem, quae ex omni terrarum plaga peregrinos in Italiam atque adeo in Urbem submitteret; iidemque egregie confirmarunt quam et ea acriter perspicerent et recte aestimarent omnia, quaecumque sive nationis sive Urbis decus atque utilitates postulabant. Iis igitur, pro egregia opera in huius Anni sancti faustum felicemque exitum collata, in hoc amplissimo conventu vestro, placet grati animi sensa publice profiteri; item pro iis quae in religionis Ecclesiaeque bonum legitime vel non ita pridem gesta sunt vel geruntur: quae profecto minime dissimulamus, quamquam non satis ea sunt nec esse possunt ad iniurias omnes compensandas ac resarcienda detrimenta eidem Ecclesiae ac religioni antea illata, qua illa quidem cum mentium animorumque perturbatione, qua praeterea cum iactura praestantissimorum catholicae gentis bonorum, nullus est, nisi oculis captus, quin perspicue videat.

Sed omnes cognoscere potuere Supremum Ecclesiae Moderatorem non eam quae ipsi deberetur condicionem obtinere.

Verumtamen illud adiungimus, nunquam alias tam multos christifideles, ex omnibus fere orbis regionibus huc advectos, oculis ipsos suis et agnoscere potuisse et facto ipso cognovisse, aliam longe esse supremi Ecclesiae catholicae Moderatoris condicionem quam quae universali eiusdem auctoritati necessario legitimeque debeatur, in ea quidem societate quae sit et suapte natura universalis et suo ipsa in genere perfecta, qualis est constituta divinitus Ecclesia.

Quod vero edicimus, idem Nosmet ipsi multis confirmari testimoniis et coram audivimus et procul, nec e privatis tantum, sed e publicis etiam documentis litterisque didicimus. Nam si vere possunt ac debent advenae ac peregrini testari, licuisse sibi tutis expeditisque et Urbem, orbis catholici caput, circumire totam et sacras item Basilicas invisere, non eos tamen fugere potuit, id ipsum nequaquam licuisse Patri ac Pastori suo, Iesu Christi vicario, cuius quidem adeundi et conspiciendi non fuit sibi facta facultas nisi limina ingressi quae ipse pro conscientia officii nequit transgredi quoad haec rerum condicio perseveret.

Ipsi non licet, pro conscientia officii, limina transgredi palatii Vaticani.

Videtis igitur, Venerabiles Fratres, quam merito ab initio

(1) ISAI., VII, 15.

dixerimus, anni sancti laetitiam curarum acerbitate fuisse permixtam. At vero, quam modo attigimus sollicitudinis causam, ea profecto non una fuit. Etsi enim tanti aestimamus, quanti aestimari oportet, id omne, quicquid excogitatur et fit, ut contentiones inter civium ordines exolescant vel saltem minuantur, utque cives universi in commune bonum vires conferant operamque suam, illud tamen displicet, quod, cum in re oeconomica et sociali, quam vocant, novae hisce diebus leges conderentur, visum est, plenam haberi rationem non posse et catholicae in hoc genere doctrinae et actionis catholicae, cuius partes sunt ut hanc ipsam doctrinam explanando evolvat atque in usum deducat, in eo quidem campo, in quo utraque, et doctrina et actio, est in primis necessaria ac salutaris.

Dolet quoque quod novae leges in re oeconomica et sociali non potuerint plenam rationem habere doctrinae et actionis catholicae.

Quaedam nimirum sunt libertatis iura, quae Ecclesia, sui ratione officii, facere non potest quin tueatur ac vindicet. Ipsa enim, doctrina institutoque suo, alienissima sane est, cum ab licentia illa rerumque perturbatione, in quam damnati a se liberalismi et socialismi, ut aiunt, errores quoquo pacto societatem huminum abripiunt, tum ab omni alia de rebus politicis notione, quae teneat, civitatem seu statum sibi ipsum, veluti finem extremum, sufficere: unde expedite, immo etiam necessitate quadam, civitas eo pertrahitur, ut privata iura labefactet atque absumat, cum exitu, quemadmodum facile intellectu est, haud minus tristi atque acerbo.

Iam si ab hac veluti specula longius omnes respexerimus orbis terrarum tractus, bona item multis permixta malis ita in certa quadam rerum eventorumque serie conspicamur, ut in hoc sollemni consessu Nos de iis silere dedeceat.

Sicut in Urbe, ita in Orbe mixta bona malis:

Atque primum Chilensis respublica, quacum optimae antea Apostolicae Sedi rationes intercedebant hodieque intercedunt, ea nunc *regimen* quoddam *separationis*, ut aiunt, ineundum decrevit. Quod quidem regimen nec doctrinae Ecclesiae, nec hominum aut civilis consortii naturae, luce fidei catholicae illustratae, satis congruit: id nihilo minus in usum tam amice deducitur, ut, potius quam discidium, amicus convictus videatur, in quo nimirum Ecclesiae catholicae licebit, ut confidimus, virtutem operamque suam in omnem vitae usum profundere, pro illius carae Nobis gentis felicitate: quae gens, quamvis longissime dissita, duabus tamen peregrinantium turmis Romam dimissis, locum sibi vindicavit non mediocrem inter populos per huius sacri lubilaei tempus in Urbem confluentes, et fidem suam ac pietatem eximiam in Ecclesiam omnium Ecclesiarum Matrem et Sedem hanc Apostolicam mirifice confirmavit.

Chilensis respublica regimen separationis ineundum decrevit;

At in Mexicana republica condicio rei catholicae multo est deterior ac luctuosior. Quamquam enim minime defuerunt aut a Nobis paterna cura ac sollicitudo cum patientia et moderatione coniuncta, aut ab Episcopis cleroque universo flagrans animarum studium — quod iisdem perlibenter gratulamur praecipua hac loci et temporis opportunitate, — aut denique a populo Nobis carissimo interior fides ac religio, omni maior praeconio, spem tamen meliorum temporum concipere animo haud possumus nisi e praesentiore aliquo Dei miserentis auxilio, quod supplices cotidie imploramus, atque e concordi quadam laborum disciplina ad actionem catholicam in populo ipso promovendam.

Deterior condicio rei catholicae in republica Mexicana;

Nondum vero nubes in nonnullis rebuspublicis disiiciuntur, ut in Argentinensi, ut in Bohemica seu Cecoslovacica, ut in iugoslavico regno: ubi quid aliud egimus, nisi Dei gloriam, nisi sacra Ecclesiae catholicae iura — quae item Dei ipsius iura sunt et animarum — vindicavimus? Id ipsum acturi in posterum sumus, exspectantes, dum debita eorum iurium ratio habeatur, tranquilla quidem spe et immutata erga omnes benevolentia, quemadmodum Patrem decet christifidelium.

Nubes nondum disiciuntur in republica Argentinensi, in Bohemica seu Cecoslovacica.

Ecce autem in finitima Gallia, veluti in tantorum compensationem malorum, eventa nonnulla, non minus iucunda quam gravia, aut celebrata aut commemorata solemniter sunt, quorum alia ad actionem catholicam alia ad altiorum disciplinarum instituta pertinebant. Quas quidem celebritates non modo cum magna animi voluptate probavimus, sed, datis quoque litteris et Legato dimisso e Purpuratis Patribus uno, participare voluimus, iterum Dei providentis numen admirati, qui opportunam hanc veluti occursionem rerum, eodem sacri lubilaei tempore, disposuisset. Per eiusmodi sane eventa dixeris Deum loqui ipsum et Venerabilibus Fratribus et strenuis sacerdotibus ac fidelibus eorum procurationi concreditis, quinquaginta paene annis elapsis ab publici impietate magisterii in Galliam invecta, denuntiare velle, quem iuventutis instituendae campum leges, quas laicas vocant, pervastarunt, in eundem oportere ut fortior constantiorque, unitis viribus, acies illa hominum, cui est ab *actione catholica* nomen, novis in dies militibus aucta et sapientissimis ducibus instructa, ad strenue dimicandum pro aris et focis, pro patria demum ipsa, prosiliat.

Iucunda quaedam eventa in Gallia: celebritates institutorum disciplinarum altiorum; acies hominum qui ab actione catholica *nominantur.*

Est autem cur in eventis, de quibus, causa omni perpensa, laetari licet, illa numeremus pacta conventa, quae, Dei munere et coniunctis complurium virorum studiis, cum Bavaria et Polonia inivimus; quae si quidem fideliter ac sincere ad effectum

Laetatur quoque de pactis conventis cum Bavaria et Polonia.

deducantur, dubitari non potest quin fructus afferant uberrimos in iis praesertim maximi momenti rebus, quae ad religionis ac civitatis incrementum summopere conducunt.

Pontifex extensionem iubilaei nuntiat;

Anno interea sancto ad exitum, ut diximus, properante, quod per Nos ipsi vel per Legatos Nostros sacras in Urbe portas Basilicarum clauserimus, non idcirco Iubilaei ipsius beneficia desinent ad singulos fideles item atque ad populos universos pertinere. Post evocatas gentes ad hoc Ecclesiae quasi centrum, post tam mirabilem earum Nostris invitamentis obtemperationem, thesauri illi divini, quos Ecclesia ex infinita Conditoris sui meritorum copia haurit, *communione sanctorum* cumulati, hinc in partes omnes quamvis maxime remotas eiusdem Iesu Christi corporis mystici salubriter redundabunt. Idque in annum prorogari volumus, nova profecto largitate, aliis etiam largitatibus augenda, ut censemus, quo efficacius temporibus respondeamus atque ut aliquid praemii pietati rependamus populorum, qui generose votis obsecuti sunt Nostris.

laetus auspicatur festa centenaria S. Francisci Assisiatensis.

Huiusmodi autem *effusionis spiritus gratiae et precum* vehementer gaudemus, Venerabiles Fratres, deprecatorem se ac veluti praeconem exhibere et praestare seraphicum illum virum Franciscum Assisiatem. Huius enim suavissimi Caelitis denuntiatur natalis, anno Sacro absoluto, celebrandus septies centesimus; in eaque celebratione apparanda mirum quantum ubique piarum mentium certamen exortum est. Atqui nulla optatior profecto ac dignior celebratio, quam si acrius in omni terrarum orbe paenitentiae, pacis ac sanctitatis studia renoventur, quos esse praecipuos et Francisci spiritus et anni Sacri fructus nemo unus ignorat. Altera igitur celebratio alteri proderit, atque inde multa, cum in singulos homines, tum in populos universos beneficia defluent.

Ut gratum animum significaret, proposuit innumerabilia vota exaudire quibus rogatur instituere festum Christi Regis.

Tantis enimvero tamque iucundis largitatis divinae muneribus mirifice affecti, id saepenumero cogitabamus qua demum ratione Nobis liceret Nostrum Deo significare gratum animum, omnium item christifidelium interpretem, et cum Vate sanctissimo precabamur: *Quid retribuam Domino pro omnibus quae retribuit mihi?* (1) Responsum, ut ita dicamus, subiecit magnus ac paene incredibilis precum numerus, quae undique, ex omni fere homnium coetu, sacro vestro, Venerabiles Fratres, praeeunte Collegio, ad Nos delatae sunt, ut in honorem Iesu Christi Regis proprius dies festus institueretur. Utique visum Nobis est, et piorum hominum votis sanctissimis diuturnisque obse-

(1) *Ps. 115*, 3.

cundandi iam tempus advenisse, et per earum precum veluti concentum vocem ipsam Ecclesiae Matris, mysticae Regis divini Sponsae, ad aures Nostras perferri.

Primitias nuncii communicat de paratis encyclicis litteris, missa et officio Festi et decreto.

Id vero pergratum vobis fore, Venerabiles Fratres, existimamus, si huius veluti primitias nuncii ad vos primum ac publice detulerimus: in promptu scilicet esse, paucisque post diebus in lucem edendas, Encyclicas de re Litteras novum festum promulgantes, eiusdemque vim, significationem, rationes explanantes: in promptu de eodem festo et Missae et Officii sacri exemplum; in promptu decretum ipsum, quod Patres Consilii sacris Ritibus moderandis, inusitatis licet per annum pressi laboribus, accurate sapienterque confecerunt.

Laetus primum in Christi Regis honorem litabit extremo anni die. Christus Rex benignus coronam liturgicam excipiet; ac Pontifex simul ei deferet immensam cordium coronam per instauratam generis humani Consecrationem SS. Cordi.

Illa igitur Nobis et novae et suavissimae laetitiae causa - pro Regis divini bonitate atque clementia infinita - aderit, ceterisque huius sancti Anni gaudiis fastigium quodammodo imponet, ut primi in Christi Regis honorem litemus: quod quidem ad Principis Apostolorum sepulcrum facturi sumus sollemniter die anni exeuntis extremo, qui dies profecto *benedictionis* erit, idemque gratiis Deo agendis dicatus pro innumerabilibus eximiisque beneficiis, hoc vertente Anno, in Nos universamque Ecclesiam conlatis. Atque hoc item novum erit Regis divini benignitatis erga Nos testimonium, quod ipse a Nostra tenuitate atque humilitate excipere velit, quam eidem deferemus, liturgicam coronam. Atque aliam ei deferemus coronam, quae pergrata profecto ipsi accidet, immensam scilicet cordium coronam per instaurandam, eo ipso die, generis humani Sacratissimo eius Cordi dedicationem. Quae quidem omnia habens accepta, quasi magna quadam benedictione, divinus amabilissimusque Rex Noster hunc absolvat et compleat annum, a bonitate eius appellandum: ***Benedices coronae anni benignitatis tuae*** (1).

Obstructionem portarum sanctarum ordinat.

Ad extremum, ut, quod anni piacularis celebritas postulat, Portae Basilicarum sanctae tradito a maioribus ritu obstruantur, id Nos quidem ad continentem aedem Petrianam perfecturi, Deo opitulante, sumus pridie Natalis Domini; ad reliquas autem Basilicas ut eodem die sacra caeremonia peragatur, eligimus ac deputamus Legatos Nostros a latere Venerabiles Fratres Nostros Caietanum S. R. E. Cardinalem De Lai, Episcopum Sabinensem, Sacri Conlegii Subdecanum, qui Portam Sanctam Basilicae Sancti Pauli Apostoli Nostro nomine claudat; item Basilium S. R. E. Cardinalem Pompilj, Episcopum Veliternum, Basilicae Lateranensis Archipresbyterum, qui Portam Sanctam

(1) *Ps. 64*, 12.

eiusdem Basilicae Nostro nomine claudat: denique Vincentium S. R. E. Cardinalem Vannutelli, Episcopum Ostiensem et Praenestinum, Sacri Collegii Decanum, et Liberianae Basilicae Archipresbyterum, qui Portam Sanctam eiusdem Basilicae Nostro nomine claudat. In nomine Patris † et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

---

52. — S. C. S. Officii

Litterae 8 april. 1925

RESPONSA AD DUBIA DE MATRIMONIIS ACATHOLICORUM

Romae, die 8 aprilis 1925.

Ad quemnam missae litterae.

Illustrissime ac Reverendissime Domine (1)

Dubia.

In Congregatione generali S. R. et U. Inquisitionis, propositis sequentibus dubiis ab A. T. expositis, utrum nempe:

Possitne de matrimoniis acatholicorum iudicare tribunal ecc.um; et quodnam.

1) Tribunal ecclesiasticum iudicare possit de validitate matrimonii duorum acatholicorum, instante parte acatholica, quae nempe cum catholico contrahere vult, aut parte catholica acatholico nupturiente, aut utraque, aut solo Promotore iustitiae?

2) Quod tribunal competens sit eiusmodi causae, an loci, in quo matrimonium celebratum est, vel domicilii aut quasi-domicilii partis acatholicae, vel catholicae instantis?

Responsa

E.mi et R.mi Patres una mecum Inquisitores Generales respondendum mandarunt:

Ad 1.

Ad 1) Recurrendum in singulis casibus.

Ad 2.

Ad 2) Ut in Collectanea de Propaganda Fide (pars II n. 2170).

Approbatio SS.i.

Quam E.morum Patrum resolutionem Ss.mus approbare dignatus est.

Et fausta cuncta atque felicia Tibi a Domino apprecor,

A. T. R.mae addictissimus.

℟. Card. MERRY DEL VAL.

---

(1) Ill.mo et R.mo D. Archiepiscopo Friburgen.

ANNOTATIONES

I. Responsum ad 1 demonstrat fieri posse ut S. Sedes examen causae permittat, maxime si alterutra pars cum parte catholica nubere voluerit.

II. Responsio ad II nos remittit ad decretum S. Officii 30 iun, 1892, quod rem ita ordinat: In causis mixtarum nuptiarum, attendendum est domicilium (1) partis catholicae; domicilium vero mariti, si per conversionem partis acatholicae ambo iam sint catholici. Quando vero agitur de matrimonio mixto contrahendo cum acatholico separato ab acatholica parte per divortium civile, competens est episcopus domicilii partis catholicae.

Casus ubi utraque pars acatholica sit non praevidetur. Sed in recursu qui in singulis casibus fieri iubetur, tribunal competens designari poterit, vel applicari poterit c. 1964 qui competentem declarat iudicem loci in quo matrimonium celebratum est.

53. — S. C. S. Officii

Significatio 10 dec. 1925

SUBMISSIONIS DECLARATIO

(A. A. S. 23 dec. 1925, XVII, 654.)

Auctor. Rev. D. Ioannes Hehn, decreto Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii Feria IV, die 1 iulii huius anni edito, quo proscripta et in Indicem librorum prohibitorum inserta sunt opera, quibus tituli: *Die biblische und die babylonische Gottesidee, Die israelitische Gottesauffassung im Lichte der altorientalischen Religionsgeschichte* et *Wege zum Monotheismus*, se subiecit, ac damnatos libros reprobavit. *Submissio.*

Dies (10 dec. 1925). Datum Romae, ex aedibus Sancti Officii, die 10 decembris 1925.

A. Castellano, *Supremae S. C. S. O. Notarius.*

(1) Vel quasi domicilium, ad normam c. 1964.

54. — S. Congr. Concilii

Resolutio 13 - 20 iun. 1925

DE VESTE CHORALI EPISCOPORUM AUXILIARIUM

(A. A. S. 5 nov. 1925 XVII, 538)

Dubiorum auctor.

Omolucen. SPECIES FACTI. — R. P. D. Archiepiscopus Olomucen. litteris die 16 decembris 1924 ad Pontificiam Commissionem Codicis canonibus authentice interpretandis praepositam datis, haec referebat:

Praescripta canonum.

« In numero canonicorum Metropolitanum Capitulum meum constituentium duo in praesenti sunt Episcopi auxiliares. Iuxta can. 409, § 1, qui in dignitate episcopali sunt constituti in choro vestem episcopalem deferre debent. Ceteros autem omnes, qui episcopali non fulgent dignitate, canonicos et beneficiarios vestem sibi competentem in choro deferre oportere canon citatus edicit, adiecta sanctione: « secus censeantur tamquam absentes ».

Usus metropolitanae ecclesiae

« In metropolitana ecclesia mea haec praxis observatur: Canonici capitulares, Episcopis auxiliaribus non exceptis, *in sacello chorali*, ubi officia divina diebus feriatis et Dominicis ac festivis, necnon Missae sacrae diebus feriatis persolvuntur, uti solent mozetta super superpelliceo. Quando autem *in ecclesia metropolitana* diebus Dominicis et festivis Missae sacrificio assistunt vel ibidem officia divina persolvunt, adhibere solent cappam super rochetto, tempore hiemali cappam cum armellino et insignibus capitularibus.

immemorabilis.

« Hic modus inde ab immemorabili semper observatur et statutis capitularibus cappae super rochetto usum praescribentibus indiscriminatim tam canonicis capitularibus et dignitariis, qui Episcopi non sunt, quam eis, qui auxiliares Episcopi exsistunt, permittitur.

« Rogo nunc, ut benigne respondeatur ad quaestiones:

Quaestio de sensu canonis.

« I. Pertinetne sanctio: « secus censeantur tanquam absen-« tes » ad utrumque, quod in canone 409, § 1, adducitur, « praescripti membrum, ita ut non tantum canonici vestem « praescriptam in choro non deferentes, sed etiam Episcopi « auxiliares, veste episcopali in choro non induti, censendi « sint tanquam absentes? »

« II. Suntne praescripto statutorum capitularium supra ad- *De statutis contrariis.*
« ducto Episcopi auxiliares excusati a deferenda in choro veste
« episcopali ?

« III. Possuntne Episcopi auxiliares, qui in choro, pro *De consuetudine.*
« episcopali veste, tantum capitulari utuntur, provocare ad
« immemorabilem consuetudinem in Capitulo observatam ?

« IV. Potestne Episcopis auxiliaribus dum in choro Eccle- *De vestibus extra stalla.*
« siae metropolitanae et non in sacello chorali in stallis assis-
« tunt, permitti usus cappae super rochetto, tempore hiemali
« cum armellino ? »

Quum Pontificia Commissio pro authentica Codicis inter- *Pont. Commissio remittit ad S. Congr.*
pretatione, Archiepiscopi Olomucensis litteras ad Sacram hanc Congregationem transmisisset, de eorumdem dubiorum solutione in praesenti agendum est.

ANIMADVERSIONES. — Ad rectam vero dubiorum solutionem *Solutionum principia.*
haec breviter atque perspicue animadvertenda sunt :

1. Etiam ante Codicem praescriptum erat, ut capitulares in dignitate episcopali constituti deferrent in choro vestem episcopalem. Unde S. R. Congregationi sequens dubium propositum fuit : « Petro Francisco Episcopo Lacedemoniae suffra-
« ganeo et auxiliario Archiepiscopi Hispalensi demisse suppli-
« cante declarari : An ipsi, uti archidiacono et canonico ecclesiae
« metropolitanae Hispalensi, liceat ingredi chorum et capitulum
« cum superpelliceo et habitu canonicali ». Et S. R. C. in *Hispalen.*, 24 nov. 1703 respondit : « Teneri incedere cum habitu episcopali » (*Decreta auth.*, n. 2121).

2. Quinam vero sit habitus adhibendus ab Episcopo in choro, ipsa S. R. C. declaravit in *Mediolanen.*, 16 mart. 1833, ad 1 et 2, hisce verbis : « Ratione episcopatus posse et debere
« uti habitu ordinario quo utuntur Episcopi in Romana Curia,
« id est rocchetto supra subtanam et mantelletto violacei colo-
« ris » (*Decreta auth*, n. 2706).

3. Statuta capitularia, quae in hac re adversantur decretis S. R. C. et hodie praescripto can. 409, § 1, sunt profecto corrigenda ad normam can. 410.

4. Consuetudo contraria, nempe ut capitularis deferens vestem non debitam censeatur *praesens in choro* (quae profecto versatur in re disciplinari, non in re liturgica), si immemorabilis vel centenaria sit, eatenus tolerari potest, quatenus, ad normam can. 5, Ordinarius pro locorum ac personarum adiunctis existimet eam prudenter submoveri non posse. Stylus autem huius S. Concilii est ut, nulla existente peculiari causa

tolerantiae, standum sit iuri Codicis. Si centenaria vel immemorabilis consuetudo non sit, ex praescripto can. 5 abrogata manet.

5. Verba can. 409, § 1, « secus censeantur tamquam absentes » referuntur profecto ad omnes capitulares, nimirum tum ad eos qui charactere episcopali carent, tum ad illos qui constituti sunt in dignitate episcopali. Sensus verborum perspicuus elucet. Ita etiam in iure antiquo. Cfr. Cappello, *De visitatione SS. Liminum*, I, p. 603 ss. Ita omnes interpretes Codicis, qui nullam faciunt distinctionem inter capitulares Episcopos et alios ad praefatam iuris sanctionem quod attinet. Cfr. v. g. Wernz-Vidal, *Ius canonicum ad normam Codicis*, II, n. 678.

Quibus mature perpensis, nullo negocio constabit quomodo dubia proposita a R. P. D. Archiepiscopo Olomucensi sint singillatim dimittenda.

Conventus plenarius 13 iun 1925.

RESOLUTIO. — Porro in plenario conventu Sacrae Congregationis Concilii die 13 iunii 1925 ad Vaticanum habito, propositis litteris R. P. D. Archiepiscopi Olomucensis, ad singulas quaestiones E.mi Patres respondendum censuere ut sequitur:

Responsa.

Ad I. Ad I. *Affirmative.*

Ad II. Ad II. *Negative.*

Ad III. Ad III. *Affirmative* ad normam can. 5, si Ordinarios existimet huiusmodi consuetudinem immemorabilem prudenter submoveri non posse.

Ad IV. Ad IV. *Negative*, seu standum esse decreto S. R. C. in *Mediolanen.*, 16 mart. 1833 ad I et II (n. 2706) vel petendum indultum a Sacrorum Rituum Congregatione.

Approbatio Pontificis. Facta autem de praemissis Ss.mo D.no Nostro Pio div. Prov. PP. XI relatione per infrascriptum Sacrae Congregationis Secretarium, Sanctitas Sua, in audientia diei 20 eiusdem mensis et anni, datas resolutiones approbare et confirmare dignata est,

† *Iulius, Episc. tit. Lampsacen., Secretarius.*

ANNOTATIONES

I. Quod Pontificia Commissio dubia ad se missa remiserit ad S. Congregationem, hoc probabile saltem indicium est agi de re quae litterali canonis expositione potius quam proprie dicta interpretatione solvi possit ac debeat. Et re veraut observatur in animad-

versionibus, canon 409 § 1 ita interpungitur ut sanctio finalis ad omnes quibus vestis induenda assignatur manifesto referatur.

Sic enim habet: « § 1. In unaquaque ecclesia, tam cathedrali quam collegiali, qui in dignitate episcopali sunt constituti, deferant in choro vestem episcopalem; ceteri omnes, dignitates, canonici et beneficiarii, vestem sibi in bulla erectionis assignatam vel apostolico indulto concessam; secus censeantur tamquam absentes ».

II. Observes dictum in animadversionibus, stylum S. C. Concilii esse ut, nulla exsistente peculiari causa, tolerantiae, standum sit iuri codicis.

Cur autem in 4 animadversione expresse id effertur, agi de consuetudine in re *disciplinari*, non autem in re *liturgica?* Id, ni fallimur, factum est, ne dubitetur de recta applicatione normarum Codicis, qui, in c. 2, profitetur se plerumque nihil decernere de ritibus et caerimoniis liturgicis.

III. Quia decreto S. R. C. de quo in responso ad IV, praescribit ut Episcopus in choro (etiam extra stalla) induat rocchettum supra subtanam et mantellettum violacei coloris, liquet cappam admitti non posse sine indulto S. Sedis, quod ob iustam causam, v. g. hiemis non denegabitur.

Cappa autem de qua agitur est sic dicta cappa magna qua, secundum Caerimoniale Episcoporum L. I, c. 3, n. 6, non utuntur « extra dioecesim et Ecclesiam suam, praeterquam in Romana Curia, cum in Divinis, Pontifice maximo vel sacro Cardinalium Collegio praesente, assistunt ».

55. — S. Congr. Concilii

Responsum 13-20 iun. 1925

DE « MENSURIS » GERMANIAE (1)

Dies comitiorum (13 iun. 1925).

In Comitiis plenariis, habitis in Palatio Apostolico Vaticano die 13 mensis iunii proxime elapsi, quaestio circa duella vulgo « mensurae » proposita fuit sub sequenti dubio:

Dubium.

An declarationes S. C. Concilii anni 1890 et 1923, quibus mensurae in Universitatibus Germaniae usitatae quae speciali nomine " *Bestimmungsmensuren*, „ vocantur, poenis ecclesiasticis subiciuntur, illas tantum mensuras respiciant, iuxta non nullorum recentiorum sententiam, quae cum periculo gravis vulneris committuntur, vel etiam complectantur eas quae sine periculo gravis vulneris fiunt in casu?

Eminentissimi Patres respondere censuerunt:

Negative ad primam partem, affirmative ad secundam partem.

Responsum. Approbatio SS.i (20 iun. 1925).

Quam resolutionem SS. D. N. Pius PP. XI, in audientia diei 20 eiusdem mensis dignatus est approbare et confirmare.

D. Card. SBARETTI, *Praef.*
Iulius, ep. Lampsacen., Secretarius.

ANNOTATIONES

I. *Responsa superiora.* Anno 1890, rogante Episcopo Wratislaviensi de non nullis seminaristis qui, ante ingressum in seminarium, mensuras quasdam participaverant, utrum necne contraxissent irregularitatem, dubium hac forma propositum est: « An, a quibus et quonam titulo irregularitas contrahatur, quando duellum ea ratione committitur qua, his temporibus, inter Germaniae Universitatis alumnos fieri solet in casu ». Ac S. C. *Concilii*, 9 augusti 1890, respondit: « Affirmative, a duellantibus eorumque patrinis, ex infamia iuris ». Censuit igitur irregularitatem duellantium esse contractam. (Cf. *Acta Sanctae Sedis* XXIII, 234-243).

(1) Responsum istud nondum prodiit in *Acta Ap. Sedis*. Num. Protol. est 2341/22.

Anno vero 1923, episcopo Ratisbonensi interroganti utrum necne haec resolutio adhuc valeret, responsum est affirmative. (Cf. A. A. S. 5 april. 1923, XV, 154.)

II. Iam post responsum 1890 interpretes iuris diversimode resolutionem intellexerunt. Alii enim, qui servare volebant receptam a saeculis definitionem duelli, contendebant « mensuras » in causa 1890 descriptas, esse tales quae periculum mortis vel mutilationis secum ferrent. Proinde ad solas mensuras periculosas ipsam vim responsi restringendam esse. Cf. v. g. NOLDIN, *Praecepta*, n. 350; PRUEMMER, *Manuale*, II, 124; LEHMKUHL, I, 1017, 3: « nisi forte omne periculum moraliter loquendo exsulet ». Alii, contra, proprietate et universalitate verborum responsi innixi, feriri dicebant quaslibet mensuras quales in concreto in Germania celebrantur.

Cum ferveret controversia, et res videretur non parum referre ad rectam institutionem moralem iuventutis catholicae in Germania, III Episcopus Wratislavien., praeses conventus quem Germaniae Antistites quotannis Fuldae habere solent, prope reliquias S. Bonifatii, ab anno 1922 supplicem libellum, pro opportuna declaratione misit ad S. C. S. Officii, quae causam remisit decernendam ad S. C. Concilii, tamquam ad auctorem responsionum de quibus interrogatio fiebat.

Haec, post maturam deliberationem, responsum dedit supra exscriptum.

III. De hac resolutione *pauca quaedam observanda* veniunt.

1. Eminentissimi Patres quaestionem examinare et dirimere noluerunt de condicionibus per se necessariis applicationi gravissimarum poenarum quae contra duellantes latae sunt. Sed hoc unum considerarunt, quaenam significatio et extensio tribuendae essent

responsis antea datis (1). Ac resolutum fuit responsa ista applicanda esse ad omnes mensuras, etiam quae fiant sine periculo gravis vulneris.

2. In quo responso dato, ad peculiaria adiuncta causae in Germania attendere potuerunt. Omnes theologi Germaniae de necessitate extirpandi barbarum morem istarum mensurarum consentiebant. Et, post responsum 1890, plures assimilationem mensurarum ad vera duella ideo propugnarunt. Si nunc minor poena statuta esset quibusdam mensuris (quod per se videtur magis iuridicum fuisse, ut non pauci fatentur), ista mitigatio potuisset aversionem a mensuris imminuere. Quare simpliciter urgendum esse responsum anni 1890 censuit S. Congregatio.

3. Itaque, propter istud responsum quod explicite dicitur datum *in casu*, nulla ratio est cur theologi traditionem scholae deserant quae ad veram duelli rationem exigit periculum mortis, mutilationis aut saltem gravis vulneris, et consequenter poenas, quae sunt strictae interpretationis, ad verum duellum limitat.

4. Cum optimis professoribus Germaniae, laeti excipiemus severitatem istam S. Congregationis, ut tandem aliquando pestis quae nimis diu saeviit penitus a gentibus cultis exsulet.

5. Ipsi iudices civiles in Germania mensuras sicut duella poenis sancire solent. Recens tamen scabini Castellani duos reos mensurae praescriptae statutis (*Bestimmungsmensur*) absolverunt, quia hodie mensurae istae inter gymnicas exercitationes habendae sint, et multo periculosiores exercitationes, ut pugillatus sunt, palam fieri soleant.

(1) Forma dubii est in ipsa Congregatione emendata. Namque, cum supplex libellus Episcopi Wratislaviensis iam anno 1922 missus fuerit, profecto in sua quaestione commemorare non potuit responsum 1923.

56. — S. C. Rituum

Epistola 17 oct. 1925

FORMULAM TRANSMITTENS ORDINARIIS CONSECRATIONIS GEN. HUM. SS. CORDI IESU

(A. A. S. 5 nov. 1925, XVII, 541).

Mandatum SS. Pontificis.

Perillustris ac R.me Domine. — Gratum mihi accidit atque periucundum munus exsequi a Sanctissimo Domino nostro Pio Papa XI mihi commissum transmittendi ad Amplitudinem Tuam formulam Consecrationis generis humani sacratissimo Cordi Iesu.

Ritus definiendus.

Qui quidem Consecrationis ritus, eiusdem Sanctissimi Domini nostri voluntate atque iussu, postrema die mensis decembris huius anni sancti, ea ratione perficiendus erit eisque servatis conditionibus, quae proximis apostolicis litteris manifestae fient.

Praeparatio Consecrationis.

Interim vero ad ea paranda, quae augustius et sanctius rei peragendae conferrent, illud visum est opportunum, ut singuli Sacrorum Antistites mature praenoscerent propositam praescriptamque Consecrationis formulam, cuius idcirco authenticum exemplar hisce inclusum litteris mittere cura fuit.

Dum autem Amplitudini Tuae fausta omnia precor a Domino, Tui permaneo

Dies (17 oct. 1925).

Datum Romae die 17 octobris 1925,

Addictissimus uti Frater

† Card. VICO, *Ep. Portuen, et S. Rufinae, S. R. C. Praefectus.*

L. ✠ S.

Alexander Verde, Secretarius.

AD SACRATISSIMUM COR IUSU

FORMULA CONSECRATIONIS RECITANDA

Iesu dulcissime, Redemptor humani generis, respice nos ad altare tuum humillime provolutos. Tui sumus, tui esse volumus; quo autem Tibi coniuncti firmius esse possimus, en hodie Sacratissimo Cordi Tuo se quisque nostrum sponte dedicat. Te quidem multi novere numquam; Te, spretis mandatis tuis, multi repudiarunt. Miserere utrorumque, benignissime Iesu; atque ad sanctum Cor tuum rape universos. Rex esto, Domine, nec fidelium tantum qui nullo tempore disces-

sere a Te, sed etiam prodigorum filiorum qui Te reliquerunt: fac hos ut domum paternam cito repetant, ne miseria et fame pereant. Rex esto eorum, quos aut opinionum error deceptos habet, aut discordia separatos, eosque ad portum veritatis atque ad unitatem fidei revoca, ut brevi fiat unum ovile et unus pastor. Rex esto eorum omnium, qui in tenebris idololatriae aut Islamismi adhuc versantur, eosque in lumen regnumque tuum vindicare ne renuas. Respice denique misericordiae oculis illius gentis filios, quae tamdiu populus electus fuit; et Sanguis, qui olim super eos invocatus est, nunc in illos quoque, redemptionis vitaeque lavacrum, descendat. Largire, Domine, Ecclesiae tuae securam cum incolumitate libertatem; largire cunctis gentibus tranquillitatem ordinis: perfice, ut utroque ab terrae vertice una resonet vox: Sit laus divino Cordi, per quod nobis parta salus: ipsi gloria et honor in saecula. Amen.

ANNOTATIO

Latino Consecrationis textui subiungitur authentica versio italica, gallica, anglica, germanica, hispanica, lusitana et polonica.

Quid intersit inter praesentem formulam et formulam Anno 1900 praescriptam a Leone XIII, diximus supra, p. 146.

57. — Pontif. Commissio Codici interpretando

Responsa 10 nov. 1925

AD PROPOSITA DUBIA

(A. A. S. 1 dec. 1925, XVII, 582).

Plenarii coetus responsa.

E.mi Patres Pontificiae Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos, propositis in plenario coetu quae sequuntur dubiis, responderi mandarunt ut infra ad singula:

I. — *De temporis supputatione*

De tempore zonario.

D. — An ubique terrarum, in casibus canone 33 § 1 expressis, tempus vulgo *zonarium* sequi quis possit.

R. — Affirmative, dummodo hoc tempus sit legale.

II. — *De praecedentia inter Episcopos suffraganeos*

De praecedentia inter. ep. suffraganeos.

D. — Utrum vi canonis 106, 3o praecedentia inter Episcopos suffraganeos in Concilio provinciali aliisque coetibus provincialibus definienda sit a die praeconizationis seu electionis ad episcopatum, an a die promotionis ad Ecclesiam suffraganeam.

R. — Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

III. — *De collatione beneficiorum*

De audiendo capitulo pro beneficiorum collationibus.

D. — Utrum in collatione beneficiorum et canonicatuum in ecclesiis collegialibus Capitulum, ad normam canonis 403 audiendum, sit cathedrale an collegiale.

R. — Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

IV. — *De praecedentia vicarii foranei*

De loco Vic. foranei in choro.

D. — An vicarius foraneus, qui sit simul canonicus Capituli colleggialis in suo districtu, vi canonis 450 § 2 praecedat ceteris canonicis in choro et actibus capitularibus.

R. — Negative.

V. — *De sacris processionibus*

De processionibus Regularium.

D. — An, secundum canonem 462, 7o et responsum diei 12 novembris 1922, ius parochi publicam processionem extra ecclesiam ducendi extendatur etiam ad processiones Religiosorum, licet exemptorum, extra eorum ecclesias et claustra.

R. — Affirmative, firmo tamen praescripto canonum 1291 § 2 et 1293.

VI. — *De admissione Orientalium ad novitiatum*

De cooptatione Orientalium in novicios.

D. — An in Religionibus latini ritus sine venia, de qua canon 542, 2o, licite admitti possint ad novitiatum Orientales, qui, proprio retento ritu, praeparantur ad constituendas domus et provincias religiosas ritus orientalis.

R. — Affirmative.

VII. — *De reservatione casuum*

De vi c. 900.

D. — 1o Utrum *quaevis reservatio*, de qua can. 900, sit tantum ratione peccati an etiam ratione censurae.

2o Utrum canon 900 agat de reservatione casuum ab Ordinariis tantum an etiam a Sancta Sede statuta.

R. — Ad 1um Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad 2um Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

VIII. — *De forma celebrationis matrimonii*

De matrimonio coram solis testibus.

D. — Utrum, secundum canonem 1098, ad valide et licite matrimonium coram solis testibus contrahendum sufficiat factum absentiae parochi, an requiratur etiam moralis certitudo, ex notorio vel ex inquisitione, parochum per mensem neque haberi neque adiri posse sine gravi incomodo.

R. — Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

De missa vetita in matrimoniis mixtis.

IX. — *De Missa in matrimoniis mixtis*

D. — An canone 1102 § 2 in matrimoniis mixtis, praeter Missam pro sponsis, prohibeatur etiam alia Missa, licet privata.

R. — Affirmative, si haec Missa ex rerum adiunctis haberi possit uti complementum caeremoniae matrimonialis.

De mandato cremationis.

X. — *De sepultura ecclesiastica*

D. — An, vi canonis 1240 § 1, 5o ecclesiastica sepultura priventur qui mandaverint suum corpus cremationi tradi et in hac voluntate permanserint usque ad mortem, etiamsi crematio ad normam canonis 1203 § 2 non sequatur.

Dies (10 nov. 1925).

R. — Affirmative.

Datum Romae, die 10 novembris 1925.

P. Card. GASPARRI, *Praeses*

Ioseph Bruno, Secretarius

ANNOTATIONES

Singula responsa breviter commentabimur.

I. **De temporis supputatione.** — Tempus vulgo « zonarium » est species temporis *regionalis* quod, canone 33, § 1, sequi permittimur in variis praeceptis privatim observandis.

Pro facilitate enim commercii internationalis, ut

maior uniformitas horarum induceretur, anno 1892 (1) propositum est ut orbis terrae distinguerentur secundum longitudinem 24 aequalia spatia *(fuseaux, fusi)* 15 graduum, quae singula uterentur eadem hora definita secundum tempus medium speculae Greenwich, ita ut versus Orientem tempus Greenwich tot horis augeretur quot spatiis 15° locus seu regio distaret a Greenwich; contra autem in singulis gradibus idem tempus hora minueretur versus Occidentem. Sit, v. g. hora 12 in Greenwich. Haec hora erit communis in toto spatio 15° quo Greenwich continetur. In proxime sequenti spatio 15° versus Orientem (v. g. in. Italia) erit hora 1; versus Occidentem hora 11.

2. Nomen tamen *zonarium* astronomis parum placet, quia iam dudum *zona* designat plagas contentas inter lineas *parallelas* circulo meridiano (*l'equatore, l'équateur*) dum spatia de quibus sermo fit definiuntur lineis quae circulum meridianum *secant.*

Praeterea, vox *regionalis* etiam praeferenda est ut generalior. Dicit enim tempus ultra locale; i. e. tempus commune plurium locorum, sive intra sive ultra fines unius Status politici. Propter varias causas autem huiusmodi tempus fingi commune potest.

Vis quaestionis propositae est omnis in verbis *ubique terrarum;* et haec sola ratio dubitandi esse potuit, quod non omnis lex civilis tempus illud in regione sua admiserit. Hollandia, v. g. regionalem suam horam mutuatur a specula Amstelodamensi, ita ut hora istius civitatis sit communis Neerlandiae.

3. Ipse autem canon 33, § 1 planam suppeditat solutionem dubii. Etenim tempus zonarium pertinet ad regionale. Iam vero regionale non admittitur formaliter qua tale, sed qua *legale*.

(1) Italia, 1 nov. 1893 admisit horam Europae centralis (secundum circulum meridianum Greenwich); Gallia tantum decreto 9 maii 1911 systemati assensum dedit.

Prudenter igitur responsum est: *Affirmative dummodo tempus sit legale.*

II. De praecedentia inter Episcopos suffraganeos.

1. Canon 106, 3° hunc ordinem constituit inter personas quarum nulla habeat in alias auctoritatem, quales sunt inter se Episcopi suffraganei: 1. secundum gradum; 2. secundum ordinem; 3. secundum promotionem ad gradum; 4. secundum ordinationem; 5. secundum aetatem.

Iuvat in primis scire quid in canone intellegatur per *gradum*.

Gradus non refertur ad hierarchiam *ordinis*, cum de hac agatur n. 2; nec iurisdictionis, nam de hac agitur in eodem canone, 2° Sed dicit, modo generali, aliquam praeeminentiam ratione cuiuspiam potestatis seu auctoritatis, non distinguendo utrum secundum veritatem facti, an tantum secundum titulum seu nomen possideatur. Gradus erit, v. g. in Ecclesia latina, Primatis, Patriarchae, quamvis, in ista Ecclesia, sint tituli mere honorifici. Gradus etiam erit Archiepiscopi, Episcopi.

2. Hoc praestituto, agitur in casu de personis quae sunt gradu et ordine aequales. Ordo igitur definietur secundum promotionem ad gradum, quae est hic praeconizatio in Consistorio (1) vel nominatio extra Consistorium facta.

Itaque prono alveo fluere videtur conclusio quae responsione sancita est, inter suffraganeos non attendendum esse diem promotionis ad ecclesiam suffraganeam, sed promotionis ad gradum episcopalem seu archiepiscopalem.

(1) Cf. *S. Rit. Cong.* in Segobricen. 21 mart. 1609 (*Decr. auth.* n. 270); et in Yaren. 15 april. 1904 (*Decr. auth.* n. 4133).

Ita ceterum fert usus Conciliorum: in his secundum ordinem promotionis ad gradum sedetur.

3. Observes tamen: *a*) consuetudinem contrariam, quae centenaria sit vel immemorialis, non supprimi si Ordinarii iudicent eam prudenter submoveri non posse. Ordinarii, in casu, erunt qui in Concilio provinciali suffragium decisivum habent.

b) Diversum ordinem statui cum agitur de convocando vel dirigendo Concilio provinciali, can. 284 et 292. Deficiente Metropolita, convocatio et directio spectant ad suffraganeum qui antiquior est promotione ad ecclesiam suffraganeam.

c) Praecedentiam inter canonicos paulo diversimode definiri canone 408 § 1. § 1 enim eorum antiquitas aestimatur e capta possessione canonicatus. In § 2 vero, congruenter ad c. 106, 3°, de capitulis ubi distinguuntur praebendae presbyterales, diaconales et subdiaconales, praecedentia tribuitur praebendae seu ordini, et in eodem ordine, receptioni in ordinem, non in Capitulum.

Idque locum haberi in capitulis etiam ubi omnes canonicatus massa communi fruuntur, ita ut nulla vera sit distinctio in gradus hierarchicos sed tantum liturgicos, declaratum est a S. C. *Concilii,* 13 april. 1918 (A. A. S. 2 ian. 1919 (t. XI, 9-18) vel *Periodica,* X, p. 63. 64).

4. Quaestio de solis suffraganeis inter se, ponebatur. Quid autem si his misceantur titulares? Secundum dicta, ad solam promotionem ad gradum attendendum est, ita ut antiquior gradu Titularis sedeat ante suffraganeum.

Dices fortasse titulares esse subditos episcopi suffraganei in cuius dioecesi domicilium vel quasi-domicilium habent, et proin ipsos saltem isti suffraganeo locum cedere debere? Sed notandum est episco-

pos titulares non qua episcopos alteri episcopo subesse, dum qua episcopi ordinem habent in Conciliis. Quare *Caerimoniale episcoporum*, Lib. I. c. 31, n. 15, simpliciter statuit, ut episcopi praecedant iuxta ordinem suae promotionis. (Cf. Varia responsa apud PALLOTTINI, *Collectio omnium Concl. et Resolut S. C. Conc.* t. XV, v. Praecedentia, n. 84.)

III. **De Collatione beneficiorum.** — Responsio satis perspicue ex ipso textu canonis eruitur. In canone enim isto agitur simul de ecclesia cathedrali et collegiata, et simpliciter statuitur beneficia et canonicatus in istis ecclesiis conferenda esse ab Episcopo, audito capitulo, sine addito. Manifestum est, Codicem locutum fuisse expresse de capitulo cathedrali, si huic voluisset dare ius aut privilegium dandi consilium etiam de collatione beneficiorum alius ecclesiae collegiatae. Id fecit, v. g. c. 196, § 3 ; c. 429. 431. 432.

Idem dicemus etiam de c. 394, ubi agitur de modo quo provideatur nimiae tenuitati redituum canonicorum, etc. Audiendum est capitulum cuius interest.

IV. **De praecedentia Vicarii foranei.** — Vi c. 450, § 2, Vicarius foraneus « praecedit omnibus parochis aliisque sacerdotibus sui districtus ».

Sed non inde concludi potest ipsum in choro aliqua frui praecedentia. Etenim, ratione officii, nullam auctoritatem habet in capitulares qua tales.

Quare non est cur hic applicemus c. 106, 2°, qui praecedentiam tribuit habenti auctoritatem.

Praeterea, cum agitur de Vicario generali, c. 370 explicite subiungit ei praecedentiam competere etiam in choro, dum haec verba omnino desunt quando sermo fit de Vicario foraneo. Quocirca, FERRARIS

(*Prompta Bibl.* v. *Praecedentia*, n. 14) negat Vicario foraneo, qua tali, quamlibet praecedentiam in choro.

Inde responsum ad quartum dubium facile intellegitur fuisse *Negative*.

V. **De sacris processionibus.** — Per se, e c. 462, 7°, pertinet ad parochum publicas processiones extra ecclesiam ducere. Quamvis enim parochus dici nequeat habere territorium, cum ei iurisdictio fori exterioris desit, nihilo minus, cum pleraeque paroeciae territorio distinguantur, ipsi reservantur plures functiones in isto territorio exercendae.

Atque in plenario coetu Pont. Commissionis Codici interpretando, 12 nov. 1922, responsum est id etiam de iis processionibus intellegendum esse quae initium ducunt ab ecclesia quae proprium rectorem habeat parocho minime subordinatum (A. A. S. 15 dec. 1922 (XIV, 621); *Periodica*, XI, 181).

Hic iam quaeritur num idem valeat de processionibus quae initium habeant ab ecclesiis *regularium*.

Ac per se idem dicendum esse, satis liquet.

Attamen per verba addita responso S. Commissionis: « firmo tamen praescripto canonum 1291, § 2 et 1293 », severitas responsionis apte temperatur. Excipiuntur enim processiones propriae, quas regulares extra ambitum ecclesiae agere possunt infra octavam festi Corporis Christi (c. 1291, § 2). Et vi c. 1293, excipiuntur processiones quas cum Ordinarii loci licentia ipsi ducere permittuntur.

Corollarium. Inde etiam consequens est, nulla opus esse licentia ut, interveniente parocho, regulares processiones *ordinarias* agant extra ecclesiam.

Ordinarias, inquam, i. e. quae statis diebus per annum fiunt ad normam librorum liturgicorum vel secundum consuetudinem ecclesiarum.

VI. **De admissione Orientalium ad noviciatum.** — Occasio istius dubii repetenda est ex opera quam non una religio, praecipue Ordo S. Benedicti et Societas Iesu, impendunt ut ritibus Orientalibus procurent ministros idoneos et apostolicos qui unitatem Ovilis et Pastoris efficaciter promovere apud Orientales possint.

Can. 542, 2° illicite sed valide admittuntur ad noviciatum « Orientales in latinis religionibus sine venia, scripto data, S. Congr. pro Ecclesia Orientali. »

Verba haec sunt generalia; nullam insinuant exceptionem. Quare, ad quaesitum de libera facultate admittendi Orientales qui, proprio retento ritu, praeparantur ad constituendas domus et provincias ritus Orientalis, dixeris prima specie esse negative respondendum. Etenim, e ratione legis exceptionem a lege clara colligere periculosum est. Ratio legis saepe inadaequate consideratur vel cognoscitur; ratio legis non est ipsa lex; et receptum est proverbium: ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus.

Verum, in praesenti casu, ratio legis contrarie tolli videtur. Cur enim ista cautio de exquirenda licentia scripta Congregationis pro Ecclesia Orientali? Nonne manifestum est, id statutum esse ad vitandam offensionem et damnum Ecclesiae Orientalis? Qui enim nomen dant religioni latinae per se tacite se praeparant ad transeundum ad ritum latinum.

Hic autem contra, cooptatio Orientalium favet ritui et prosperitati Ecclesiae Orientalis. Quando autem finis legis contrarie cessat pro communitate, ipsa lex cessare dicitur.

Privatus tamen interpres tutius existimaverit, per generalem facultatem Pontificiam rei prospicere. Sed melius profecto est ut authentica declaratio simul omnem dubitationem tollat et exceptionem a Codice

declinet. Quod praesenti responso ad dubium VI obtinetur.

VII. **De reservatione casuum.** — Responsio data ad utramque dubii partem clare ex ipso canonum textu eruitur.

Cum in duobus distinctis titulis Codex agat de reservatione peccatorum et de reservatione censurarum; immo, cum in ipso nostro capite 2 *De reservatione peccatorum* remittat pro reservatione censurarum ad can. 2246 et 2247, nonne manifestum fit verba « quaevis reservatio » in c. 900 de sola reservatione peccati ratione sui, non ratione censurae intellegi posse? Rursus autem, cum verba : « quaevis reservatio » sint prorsus generalia, cum sequantur canonem 899 ubi expresse ad casus ab Ordinario sibi reservatos dicta limitantur, etiam unicum peccatum S. Sedi ratione sui reservatum canone 900 comprehendi dicendum est.

Ita nobis semper visum est, contra non paucos scriptores. Cf. *Theol. mor.* III, n. 470 et *Epitome iuris canonici*, II, 179 ed. 2. Laeti sententiam nostram authentica declaratione confirmatam videmus.

VIII. **De Forma matrimonii.** — Ipse canon 1098, 1°, explicitis verbis postulat tamquam condicionem sine qua *(dummodo)* soli testes absque parocho sufficere nequeant, ut « prudenter praevideatur eam rerum condicionem esse per mensem duraturam ».

Liquet igitur solam absentiam parochi non sufficere, sed moraliter constare debere de permansuro per mensem obstaculo eius assistentiae. Inde datum responsum « *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam* ».

2. Quid autem si partes matrimonium fecerint coram solis duobus testibus, nulla facta inquisitione, et re vera tamen parochus absens fuerit ultra mensem?

Huic quaestioni, quae non raro usum habere potest, ita respondendum arbitramur. Vel ex indagatione postea facta, constat absentiam per mensem re vera prudenter praevideri potuisse, vel id non constat. Priore casu, matrimonium validum fuit; contra autem, in secundo. Canon enim 1096 non exigit ad valorem, subiectivam sponsorum praevisionem, sed id tantum requirit, ut absentia mensilis prudenter praevideatur, i. e. ut ei praevisioni locus sit.

Inde sequitur de valore vel de nullitate talis matrimonii diudicari non posse ante quam inquisitio facta fuerit. Ac si haec fieri nequeat, matrimonium praesumetur nullum, cum condicio eius validitati apposita non probetur adfuisse, et condicio ista vitium clandestinitatis auferre debuerit.

Confirmamur solutione quam scriptores dant de usu privilegii Paulini ab haeretico qui requisitas interpellationes non fecerit. Ad valorem novi eius matrimonii satis esse dicitur ut postea demonstretur coniugem infidelem re vera noluisse pacifice cohabitare cum baptizata parte. Cf. WERNZ-VIDAL, *Ius matrimoniale*, n. 632, nota 68.

IX. **De missa in matrimoniis mixtis.** — Responsione ista mere confirmatur solutio dubii iam data 17 ian. 1872 a Suprema S. Congr. *S. Officii.* « Utrum vigore clausulae *exclusa tamen semper missae celebratione*, quae apponitur in rescriptis de matrimoniis mixtis, prohibeatur tantum missa pro sponsis, cum orationibus et benedictionibus uti in Missali Romano, an quaelibet missa, etiam privata, quae celebretur coram sponsis et comitibus post matrimonium, licet sponsis non detur distincta sedes? » -- R. Ad I. Affirmative respondendum esse ad utramque partem, quando Missa celebretur cum omnibus expositis circumstantiis, ita ut ea habeatur tamquam complemen-

tum caerimoniae matrimonii (*Coll. S. C. de Prop. Fide*, II, n. 1379).

Responsio huiusmodi pertinet ad sinceram observationem prohibitionis factae canone 1102, § 2. Quam sinceritatem commendandam et inculcandam esse pro bono christianae rei publicae, nemo non videt.

X. **De Sepultura ecclesiastica.** — Responsio data non est nisi applicatio huius principii inconcussi: commissum delictum secum fert reatum statutae poenae.

Delictum cui annectitur privatio sepulturae sic describitur, c. 1240, §. 1, 3° « Ecclesiastica sepultura privantur, nisi ante mortem aliqua dederint paenitentiae signa... 5° Qui mandaverint suum corpus cremationi tradi ».

Hi de quibus fit interrogatio mandarunt suam corpus cremationi tradi, nec ullum paenitentiae signum dederunt. Ergo privantur sepultura ecclesiastica.

Privatio ista tria complectitur: translationem cadaveris ad ecclesiam; exsequias super illud in eadem celebratas; illius depositionem in loco legitime deputato fidelibus condendis (c. 1204).

Quaeres utrum necne heredes auctoritatem ecclesiasticam monere debeant de huiusmodi mandato dato, si manserit occultum, quia, v. g. contentum in testamento holographo, quod ipsi secreto servent?

Obligatio istius denuntiationis nullo canone praescribitur. Praeterea hodie contemptus iste legum ecclesiasticarum facile fit scandalosus, ita ut multo melius ignoretur. Sepultura ecclesiastica negatur mandanti tamquam publico peccatori. Sed si occultum manserit mandatum, non est publicus peccator. Quare, neque lege positiva neque lege naturali huiusmodi manifestatio imperata est vel etiam suadenda videtur.

ACTA SUMMATIM RELATA

58. — *SS. D. N. Pius Pp. XI*

Motu Proprio de Pontificia Commissione sacrae archaeologiae et de novo Pontificio Instituto archaeologiae christianae, cum annexis statutis.

A. *Motu Proprio* 11 dec. 1925, SS. Dominus promulgat Statuta Pontificiae Commissionis archaeologiae sacrae (*Regolamento per la Pontificia Commissione di archeologia sacra*) et Statuta *Pontif cii* Instituti archaeologiae christianae (*Regolamento per il Pontificio Istituto di archeologia cristiana*) quod creat et adiungit ad Pontificiam Commissionem archaeologiae sacrae, et ad Pontificiam Academiam Romanam archaeologiae (*Pontificia Accademia Romana di Archeologia*), quae antiquitate prior est.

Ponti¸icia Commissio sola praeficitur custodiendis, effodiendis, explorandis catacumbis Romanis, et reparandis conexis monumentis; ipsa ius exclusivum habet divulgandi primum quae reperta sunt; moderatur visitationes catacumbarum; permittit photographias et picturas lineares propter solam studiorum causam. Dividitur in quattuor sectiones: cultus, administrationis, directionis fossionum, officialium editionum.

Institutum Pontificium archaeologiae christianae sedem esse intendit studiorum scientificorum; sacram archaeologiam complete docere vult; studentium inquisitiones dirigere et professores, directores fossionum, custodesque monumentorum sacrorum praeparare meditatur. Quare statuta continent rationem studiorum, quae in tres annos distribuuntur.

Ambae Institutiones concorditer agunt cum Romana Academia Archaeologiae, nec ignorant Societatem pro colloquiis de archaeologia christiana *(Società per le conferenze di Archeologia Cristiana)*, et *Collegium Cultorum Martyrum*.

In erudita Praefatione, S. Pontifex fata historica catacumbarum paucis retexit, operam Pontificiae Commissionis laudibus effert, ac I. B. De Rossi velut principem, in recentiore aetate studiosorum antiquitatis christianae salutat et non semel honorifice commemorat. (A. A. S. XVII, 619, 28 dec. 1925).

B. *S. Consistorium. In consistorio secreto* 14 dec. 1925, S. Pontifex allocutionem pronuntiavit quam supra rettulimus p. 155; dein creavit et publicavit S. R. E. Cardinales. *Consistorium secretum 14 dec. 1925.*

Ex ordine presbyterorum: BONAVENTURAM CERRETTI, HENRICUM GASPARRI, PATRICIUM O'DONNEL; ex ordine diaconorum, ALEXANDRUM VERDE.

Postea varias Ecclesias de proprio pastore providit. Praeterea iam per apostolicas sub plumbo litteras renunciatos recensuit.

In consistorio publico 17 dec. 1925, galerum rubrum Pontificalem sollemniter imposuit Cardinalibus quos 30 martii creaverat, i. e. EUSTACHIO ILUNDAIN Y ESTEBAN, et VINCENTIO CASANOVA Y MARZOL, et Cardinalibus GASPARRI, O'DONNELL et VERDE a Se in superiore Consistorio creatis. *Consistorium publicum, 17 dec. 1925,*

Interea peroratio iterum facta est Causae Ven. S. D. Marci ab Aviano O. F. M. Cap.

Peracto publico, habitum est consistorium secretum in quo, postquam os supradictis novis Cardinalibus, ut de more, obserasset, plures Ecclesias providit, ac dein os aperuit novis Cardinalibus « ut in Consistoriis, Congregationibusque aliisque coetibus cardinaliciis suas valeant dicere sententias »; postulationes palliorum admisit; denique novis Cardinalibus anulos tradidit; et assignavit titulos et (uni) diaconiam. *et Consistorium secretum.*

C. *Litterae de dioecesibus.*

1. Bulla *Animarum saluti*, 19 dec. 1924, in re publica de Nicaragua, e dismembrata archidioecesi Managuensi, erigitur nova dioecesis, eius suffraganea *de Metagalpa* (A. A. S. 5 nov. 1925, XVII. 513). *de Metagalpa, in rep. de Nicaragua.*

2. Bulla *Ex Apostolico officio*, 27 mart. 1925, in Brasilia, e separatis partibus dioecesis Barrensis et Nictheroyensis seu Petropolitanae, nova erigitur dioecesis *Valentina in Brasilia*, suffraganea Ecclesiae S. Sebastiani Fluminis Ianuarii in Brasilia (A. A. S. 5 nov. 1925, XVII, 516). *Valentina in Brasilia.*

3. Bulla *Supremum*, 25 april. 1925, totum territorium inclusum in actuali provincia italica, dicta *Carnaro*, erigitur in novam dioecesim, *Fluminensem* appellandam, Apostolicae Sedi immediate subiectam. Ecclesia SS. Viti et Modesti in civitate Flumine exstans ad gradum et dignitatem ecclesiae cathedralis extollitur. Episcopo autem fit facultas assumendi quoque titulum Abbatis S. Iacobi de Abbatia (A. A. S. 5. nov. 1925, XVII, 519). *Fiume.*

4. Bulla *Vixdum Poloniae unitas*, 28 oct. 1925, Latini ritus Hierarchia in Polonia in posterum quinque provinciis ec- *Provinciae ecclesiasticae Poloniae.*

clesiasticis constabit, videlicet: I. Gnesnensi et Posnaniensi, II. Varsaviensi, III. Vilnensi, IV. Leopoliensi, V. Cracoviensi. Quomodo componantur postea dicetur (A. A. S. 5 nov. 1925, XVII, 521).

Praelatura Nullius *de Labrea in Brasilia,*

5. Bulla *Imperscrutabili Dei,* 1 maii 1925, pars territorii dioecesis Amazonensis separatur et constituitur in Praelaturam *nullius dioecesis* de *Labrea* appellandam (A. A. S. 1 dec. 1925, XVII, 561).

Praelatura nullius *Porto Velho, in Brasilia.*

6. Bulla *Inter nostri,* 1 maii 1925, distrahitur pars territorii a diocesi Amazonensi et pars a dioecesi Sancti Aloysii de *Cacere* et utraque pars avulsa, in Praelaturam *nullius dioecesis,* nuncupandam erigitur (A. A. S. 1 dec. 1925, XVII, 564).

Praelatura nullius *Rio Negro in Brasilia.*

7. Bulla *Christianae religionis,* 1 maii 1925, erigitur Praefectura apostolica *Fluminis Nigri* in Praelaturam *nullius dioecesis* (A. A. S. 1 dec. 1925, XVII, 567).

Vicariatus eccl. Chignolo Po unitur dioecesi Papiensi; alia pars territorii adiungitur Mediolanensi.

8. Bulla *Vertit in animarum,* 10 iun. 1925, omnes et singulas paroecias vicariatus eccl. nuncupati *Chignolo Po* distrahuntur a dioecesi Mediolanensi et dioecesi Papiensi coniunguntur. (A. A. S. 1 dec. 1925, XVII, 569).

D. *Litterae de ecclesiis.*

In basilicam minorem eriguntur:

Nancy.

1. Brevi *Venerabilis frater Hippolytus,* 26 iun. 1925 ecclesia paroecialis B. Mariae Virginis Lapurdensis in civitate Nanceiensi (A. A. S. 5 nov. 1925, XVII, 529).

Varese.

2. Brevi *Inter vetustissima,* 3 iul. 1925, ecclesia S. Victoris Mauri, Martyris in oppido Varese (A. A. S. 1 dec. 1925, XVII, 571).

Spira.

3. Brevi *Satis constat,* 4 iul. 1925, ecclesia cathedralis Spirensis in honorem B. M. Virginis sideribus receptae. (A. A. S. 1 dec. 1925, XVII, 572).

de Santos

In *Prioratum conventualem,* brevi *Sub titulo,* 8 iul. 1925, erigitur monasterium O. S. B., Beatae M. Virg. de exsilio dicatum in civitate de Santos (A. A. S. 5 nov. 1925, XVII, 530).

59. — *S. Congr. Consistorialis*

Monitum de Lacombe.

A. Pro norma Ordinariorum, praesertim Foederatorum Statuum Americae Septemtrionalis et Dicionis Canadensis, *S. C. Consistorialis* monet Petrum Carolum Edmundum Lacombe seu La Combe, Le Compte, La Compe, non posse ut sacerdotem recipi nec proin ad celebrandam Missam vel sacerdotalia munera exercenda admitti (A. A. S. XVII, 5 nov. 1925, 538).

B. Decreto 24 nov. 1925, fit quaedam finium commutatio, propter villam Forsthof inter dioecesim Augustanam et Eistettensem, in Bavaria. *Finium commutatio.*

60. — *S. Rituum Congregatio*

Decreto 12 dec. 1925, approbatur officium, missa, elogium Festi D. N. I. C. Regis, quod simul primarium renuntiatur (A. A. S. XVII, 668, 28 dec. 1925). Officium, Missa et Elogium habentur p. 655 ss. *Festum D. N. I. C. Regis*

61. — *S. C. de Seminariis et studiorum Universitatibus*

In *A. A. S.* 3 nov. 1925, XVII, 547 ss. promulgatur decretum 2 feb. 1924 de triennali relatione quam Ordinarii locorum, tertio quoque anno, secundum annexam decreto formulam ad S. C. de Seminariis mittere iubentur. *Triennalis relatio de Seminariis imperatur.*

Decretum atque annexa formula, una cum Annotationibus, dedimus in *Periodica* XIII (1924-25), 186-191.

62. — *S. Romana Rota*

Die 16 octobris, S. Rota, coram Pontifice annum iuridicum auspicata est. Pro-decanus, in sua oratione, rettulit anno superiore 52 decisiones definitivas latas esse. Tum ipse tum gloriose regnans Pontifex dixerunt de intrepida ratione qua omnibus aequaliter ius reddendum est (A. A. S. XVII, 554, 5 nov. 1925). *Auspicia anni iuridici.*

63. — *Provisio Ecclesiarum*

Decretis *S. Congr. Consistorialis*, nominati sunt:

8 oct. 1925, R. P. D. Iulianus de Diego y Garcia Alcolea, patriarcha Indiarum Occidentalium, ep. Compostellan. *S. Giacomo di Compostella.*

29 oct. 1925, R. D. Iulius Saliège, Vicarius gen. dioecesis Sancti Flori, ep. Vapincen. *Gap.*

14 dec. 1925, R. P. D. Ioannes Bapt. Cieplak, ep. Vilnensis, ex Archiep. tit. Achridano. *Vilna.*

14 dec. 1925, R. P. D. Adamus Stephanus Sapieha, *archiep.* Cracoviensis, ex *ep.* eiusdem Ecclesiae. *Cracovia.*

14. dec. 1925, R. P. D. Iosephus M. Caro Rodriguez, ep. de Serena ex ep. tit. Milasen. *Serena.*

Panama. 14 dec. 1925, R. P. D. Guillelmus Rojas y Arrieta *archiep.* Panamensis ex *ep.* eiusdem Ecclesiae.

Valparaiso. 14 dec. 1925, R. P. D. Eduardus Gimpert ep. de Valparaiso in Rep. Chilena, ex. ep. tit. Echinen.

Talca. 14 dec. 1925, R. P. D. Carolus Silva Cotapos, ep. de Talca in Rep. Chilena ex ep. de Serena.

Luceoria. 14 dec. 1925, R. P. D. Adolfus Szelazek, Luceoriensis (ex parte in Polonia) ex ep. tit. Barcaeo.

Lomza. 14 dec. 1925, R. P. D. Romualdus Jalbrzykowski, ep. Lomzensis, in Polonia, ex ep. tit. Curiensi.

Temuco. 14. dec. 1925, Prudentius Contardo, ep. de Temuco in Rep. Chilena ex ep. tit. Siuniensi.

Salamanca. 14 dec. 1925, R. P. D. Franciscus Frutos Valiente, ep. Salmantinus ex ep. Iacensi.

de Chillàn. 14 dec. 1925, R. P. D. Martinus Rücker, ep. de Chillàn in Rep. Chilena, ex ep. tit. Mariamensi.

Tortosa. 14 dec. 1925, R. P. D. Felix Bilbao y Ugarriza, ep. Derthusensis, ex ep. tit. Zaraitensi.

Crema. 14 dec. 1925, R. D. Iacobus Montanelli, ep. Cremensis.

Gerona. 14 dec. 1925, R. D. Iosephus Vila y Martinez, ep. Gerundensis.

Salford. 14 dec. 1925, R. D. Thomas Henshaw, ep. Salfordiensis.

Duluth. 14 dec. 1925, R. D. Thomas A. Welch, ep. Duluthensis.

Barra do Piray. 14 dec. 1925, R. D. Guillelmus Muller, ep. Barrensis de Piray in Brasilia.

Katow 14 dec. 1925, R. D. Augustus Hlond, ep. Katowicensis, in Polon.

Linares. 14 dec. 1925, R. D. Michael Leon y Prado, ep. de Linares in Rep. Chilena.

S. Filippo (Chili). 14 dec. 1925, R. D. Melchisedech Del Canto, ep. S. Philippi, in Rep. Chilena.

Nicaragua. 14 dec. 1925, R. D. Raphael Lira ep. de Nicaragua, in Rep. Chilena.

Czestochowa. 14 dec. 1925, R. D. Theodorus Kubina ep. Czestochoiensis, in Polonia.

Le Puy-en Velay, 14 dec. 1925, R. D. Norbertus Rousseau, ep. Aniciensis.

Rodez (in Gallia). 14 dec. 1925, R. D. Carolus Challiol, ep. Ruthensis.

Ponce (Antille). 14 dec. 1925, R. D. Edwinus Vincentius Byrne, ep. Poncensis.

64. — *Nominationes*

Decreto *S. Congregationis pro Ecclesia orientali* renunciatur

Tiro (Syria). 30 oct. 1925, R. P. D. Maximus Saigh, Vicarius patriar-

chatus Antiocheni graecorum Melchitarum, Archiep. Tyrensis eiusdem ritus.

65. — *Necrologium*

21 sept. 1925, Ill. D. L. Piergiovanni, ep. Cornetan. et Centumcellarum. *Tarquinia e Civitavecchia.*

5 oct. 1925, Ill. D. Ladisl Michael Zaleski, patriarcha Antiochen. Latinorum, rit. latin. *Antiochia.*

25 oct. 1925, Ill. D. Demetrius Ios. Cadi, patriarcha Antiochen. Graecorum Melchitarum. *Antiochia*

26 nov. 1925, Ill. D. Disma Marchese, ep. Aquen. *Acqui.*

BIBLIOGRAPHIA

E Libris

V. Fallon (S. I.) *Les Allocations familiales en Belgique et en France* (Société d'Études morales, sociales et juridiques). 1 vol. in-8, 238 p. Louvain, Desbarax, 1926. Prix 7,50 fr. Le Fait - Le Droit - L'Avenir.

F. M. Gaetani, S. I. *La psicanalisi*, 1 vol. in-4, 80 p. Roma, Civiltà cattolica, 1925

L'invasione psicanalitica. - L'attività psichica umana secondo il Freud. - Le pregiudiciali contro la nuova teoria. - L'inconscio. - La sublimazione. - Il metodo psicanalitico.

Theodorus Grentrup (S. V. D.) *Ius Missionariorum*, Tom. I, in-8, XV-544 p. Steyl Hollandiae, 1925.

Conspectus p. VII - Prolegomena p. 71 - Pars prima - *De iure et officio fidei propagandae* - Pars secunda - *De relatione inter missionem et civitatem*. Titulus I De relatione inter missionem et civitatem non christianam - Titulus II De relatione civitatis christianae ad missionem - Titulus III De relatione iuris gentium ad missiones.

L. Lavaud (R. D.), *Saint Thomas* « Guide des Études ». Notes et Commentaires sur l'Encyclique « Studiorum Ducem » de S. S. Pie XI. 1 vol. in-8, 280 p. Paris, Téqui, 1925. Prix 7,50 fr. PREMIÈRE PARTIE : La sainteté de saint Thomas, - DEUXIÈME PARTIE : Excellence de la Doctrine, § 1. L'autorité dont elle jouit dans l'Église ; § 2. Caractère surnaturel de l'oeuvre - *A*. La Philosophie - *B*. La Théologie, *a*) Apologétique ; *b*) Dogmatique ; *c*) Morale ; *d)* Ascético-mystique ; *e*) Biblique. - TROISIÈME PARTIE : Enseignements pratiques, § 1 La sainteté ; § 2. La doctrine. Appendice. Prières.

Iesus Pabon et De Urbina - *Positivismo y Propiedad* (Estudio sobre la idea de Propriedad funcion social). - Madrid, 3 Calle del Doctor Mata, 1925. 1 vol. in-8, 276 p.

DE LAS DOCTRINAS ECONÓMICAS - I. Ensayo de clasificacion - II. Individualismo - III. Utopismo - IV. Funcionarismo. - V. Catolicismo - VI. Resumen - Comte.

FILOSOFIA, SOCIOLOGIA Y MORAL - I. Derecho y Funcion - II. Individualismo y socialismo - III. Egoismo y altruismo - IV. Función, Derecho y Hecho. - Apendices.

*** *Portraits de Catholiques Sociaux,* Conférences données en 1924 25. *Le V.te de Villeneuve Bargemon* (Geoffroy de Grandmaison); *Le Card. Manning* (Chanoine Looten); *Léon Harmel* (R. P. Guitton); *Le Card. Mermillod* (S. G. M. Besson); *Giuseppe Toniolo* (Maurice Vaussard); *Henri Lorin* (Eugène Duthoit). 1 vol. in-8, 222 p. Paris, ed. Spes - Prix 9. fr.

Allen Sinclair Will. *Vie du Cardinal Gibbons.* Trad. par les soins de M. l'abbé A. LUGAN. Introd. par M. l'abbé Félix Klein. 1 vol. in-8, XXXIX - 373 p. Paris, Téqui, 1925. Prix, 15 fr.

Pourquoi lire la vie du Card. Gibbons Enfance. Études. Prêtre courageux. Vers le succès. En mission. Le plus jeune évêque au Conc. du Vatican. Évêque de Richmond. Archevêque de Baltimore. Prélat du peuple. Élargissement de la vie publique. Ame souple. Troisième Conc. de Baltimore. Université catholique. Sociétés secrètes. Cardinalat. Discours sensationnel. Défense des associations de travailleurs. Henry George et Mc. Glynn. Relations avec le président Cleveland. Siècle de progrès catholique. Nomination d'un déiégué apostolique. Question des écoles. Question Cahensly et Hecker. Quatrième centenaire de la découverte de l'Amérique. Parlement des religions. Action durant la guerre des États-Unis avec l'Espagne. Contre mouvement socialiste. Sympathie pour les catholiques français. Jubilé. Événement des dernières années. Pendant et après la guerre mondiale. Prédicateur. Goûts littéraires. Vie privée. Relations sociales. Relations avec protestants. Éléments de sa grandeur. Les dons de chef. Dernière maladie et mort. Hommage national et funérailles.

*** *Almanach de la Bonne Nouvelle* (pour. 1926) publié sous la direction du R. P. THIRIET, O. M. I. 1 vol. in -4, 496 p. Paris, Téqui, 1,60 fr.

Arnaud d'Agnel (R. D.) — *Saint Vincent de Paul « Directeur de Conscience »* 1 vol. in 8, XII - 388 p. Paris, Téqui. Prix 10 fr.

Esprit surnaturel du saint dans sa direction de conscience; spiritualité particulière dans son action sur les âmes; deux grands directeurs de conscience: S. Vincent de Paul et S. Fran-

çois de Sales; Rôle et importance de l'oraison dans la vie surnaturelle; Humilité du saint: Lumière et secours qu'elle apporte à sa direction de conscience; Un guide spirituel profondément humain; Un directeur optimiste; Fermeté dans la conduite des âmes; Prudence et largeur d'idées; Pragmatisme du saint ou son sens merveilleux des réalités d'ici-bas; Médecin de l'âme et du corps: importance donnée par le Saint à la santé physique; Pénétration psychologique de M. Vincent; Admirable compréhension de la psychologie féminine; S. Vincent de Paul et Louise de Marillac; Une sainte pour fille spirituelle: Madame de Chantal; M. Vincent et les Supérieurs: comment il comprend leur direction; S. Vincent de Paul et les scrupuleux; Un grand psychothérapeute: S. Vincent de Paul et les nerveux.

Aug. Aubry (R. D.). *L'étude de l'Écriture Sainte dans les Grands Séminaires*. 1 vol. gr. in. 8, 93 p. Paris, Téqui, 1925.

État de la question. Erreurs de méthode. Code du professeur. Emploi de l'Écriture dans l'Enseignement; dans la Prédication. Bible et Science. La méthode appliquée aux épîtres de S. Paul.

E. Bauduin (C. SS. R.). *Préparation à la mort, à faire chaque mois*. 1 vol. in-32, 80 p. Paris, Téqui, 1925. Prix: 1,50 fr.

Chaumont, Pangaud et **Marullaz** (Canonici) *Ce que c'est que la Société des Prêtres de S. François de Sales*. 1 vol. in-32, 120 p. Paris, Téqui, 1925.

Raison d'être, But. Notices.

J. Crosnier (O. M. I.). *Pourquoi le Coeur de Jésus désire la Sainte Communion*. 1 in-8, 60 p. Paris, Téqui, 1925. (Parce qu'Il nous aime; parce qu'Il veut être aimé.) Prix, 2 fr.

E. Duplessy (R. D.) et D.r **A. Marchand.** *Le Catéchisme vécu a Lourdes*. Lectures pour chaque jour du mois de Marie et du mois du Saint Rosaire, avec le récit quotidien d'une guérison attribuée à N. D. de Lourdes; Lettre Préface de S. E. Mgr Schoepfer. 1 vol. in-8, 264 p. Paris, Téqui, 1925. Prix, 7 fr.

L. Garriguet (R. D.) *Consolations et Espérances. Lectures pour le mois des morts*. 1 vol. in-16, 5 éd. 260 p. Paris, Téqui, 1925. Prix, 7, 50.

Iacques Gerber (S. I). *La Sainte Eucharistie*. Le Sacrement et le Sacrifice, Resumé de théologie morale. 1 vol. in-8, 194 p. Paris, Téqui, 1925. Prix, 5 fr.

Première section, SACREMENT: Matière et forme; Le

ministre de l'Eucharistie ; Le sujet qui reçoit la sainte Eucharistie - **Deuxieme section,** SACRIFICE : De la nature du sacrifice Eucharistique ; Des fruits et de la valeur du sacrifice de la messe ; De l'application de la messe ; De l'obligation de célébrer la messe ; De la manière de célébrer la messe.

G. Gibert (S. I). *Les Petits Chinois* ou La Sainte-Enfance au Vicariat de Nankin. Histoires vraies avec des illustrations. 1 vol. in-16, 83 p. Paris, Téqui, 1925. Prix, 1, 25 fr.

Abbé P. Giloteaux. *Sainte Thérèse de l'Enfant Jésus. Physionomie surnaturelle.* 1 vol. in-8, 210 p. Paris, Téqui. Prix. 7 fr.

Curriculum vitae - Les qualités naturelles - L'idée directrice de la vie - Les vertus monastiques - L'enfance spirituelle - La charité - L'amour de la souffrance - L'esprit de prière - Les graces extraordinaires de la vie - Pétales de roses.

Charles Grimaud (R. D.) *Prêtre ?..... Pourquoi pas ?* (illustrations de M. l'Abbé Constant Rouaud). 1 vol. in-16, VIII-134 p. Paris, Téqui, 1925. Prix, 3,50 fr. - Avant - propos - Ce qu'est le prêtre - Ce qu'est la messe - Importance du prêtre - La plus belle carrière - Les qualités qu' il faut pour être prêtre - Il faut remplacer les prêtres qui vieillissent. Qui se substituera aux victimes de la guerre - La grande misère du manque de prêtres - Le prêtre est l' Ange de sa famille.

L'apostolat sacerdotal dans la famille chrétienne - Ce que peut une âme pieuse pour les vocations - Les futurs prêtres recruteurs - Le monde ennemi des vocations - Quand l'âme a vécu dans la nuit - Les vacances perdent souvent les vocations - L'apostolat sauvegarde des vocations - Le centuple promis.

S. L. Julien (Ill. D.) *Les promesses évangéliques.* Retraite aux membres des Conférences de S. Vincent de Paul. 1 vol. in-8, 128 p. Paris, Téqui, 1925. Prix, 5 fr.

La Vie. - La Vérité. - La Liberté. - La Justice. - La Paix.

H. Lanier (R. D). *Le portrait de Notre Dame par S. François de Sales.* 1 vol. in 32, 104 p. Paris, Téqui, 1925. Prix 1,50 fr.

Henri Le Floch (C. SS. Spir.) *Les Élites Sociales et le Sacerdoce.* 1 vol. in-16, 42 p. Paris, Téqui, 1925. - Pénurie des vocations. - Défection des classes dirigeantes. - Notions inexactes et outrées du Sacerdoce. - Règles et directions. - Concours actif des parents. - Résultats pour les familles. - Résultats pour l'Église et la Société. - Belle époque pour entrer dans l'état ecclésiastique.

*** *Manete in dilectione mea. Le Coeur de Jésus et le Prêtre.* 1 vol. in-8, 48 p. Paris, Téqui, 1925.

R. P. Marie-Amand de S Ioseph (O. C. D.) *Panègyrique de la bienheureuse Thérèse de L'Enfant Jésus,* prononcé à S. Iacques de Lisieux, le 6 aout 1923. 1 in-16, 35 p. Paris, Téqui, 1925. Prix. 1,50 fr.

G. Massoutié. *Les noms Juifs*. 1 vol. in-16 ed. 2., 19 p. Paris, Téqui, 1925. Introduction. Prénoms. Noms de famille.

Ottavio Principe (S. I.). *La predestinozione e il Sacro Cuore;* o *i nove primi venerdì* 1 vol. in-16, ed. 3, 210 p. Torino-Roma, Marietti, 1926. Prezzo 4,50. Le promesse del S. Cuore. La grande promessa. Apparecchio ai SS. Sacramenti (S. Alfonso). Esempi di chi praticò i primi venerdì. — Preci. — Doveri. — Inni.

E Periodicis

Collationes Brugenses. Oct.-dec. 1925. G. J. ep. Brug. Deus obiectum princeps contemplationis. - E. HOSTEN, De oratione. G. BRYS, De portione paroeciali. V. COUCKE, De sigillo et usu scientiae sacramentalis.

Collationes Gandavenses. Dec. 1925. F. CLAEYS BOUAERT, De missa pro populo. De vicario substituto. - O. LEJOUR, De titulari ecclesiae et de patrono loci.

